APOLOGIA PRO HIBERNIA

ADVERSUS

CAMBRI CALUMNIAS:

SIVE

FABULARUM ET FAMOSORUM LIBELLORUM

SILVESTRI GIRALDI CAMBRENSIS,

SUB VOCABULIS

TOPOGRAPHIÆ, SIVE DE MIRABILIBUS HIBERNIÆ ET HISTORIÆ VATICINALIS, SIVE EXPUGNATIONIS EJUSDEM INSULÆ

REFUTATIO.

AUCTORE STEPHANO VITO, White

SOCIETATIS JESU, HIBERNO, CLONMELLIENSI.

NUNC PRIMUM EDITA

CURA

MATTHÆI KELLY,

IN COLLEGIO S. PATRICII APUD MAYNOOTH, PROFESSORIS, ETC.

DUBLINII:

APUD JOHANNEM O'DALY,

VIA VULGO DICTA BEDFORD ROW, NO. 7.

1849.

PREFACE.

STEPHEN WHITE, the author of the following work, was born in Clonmel about the middle of the sixteenth century. He entered the order of the Jesuits, and soon acquired a great reputation for profound and varied erudition. The Bollandists gratefully acknowledge the assistance which he gave to Father Rosweide, in preparing materials for the lives of the saints, and even when engaged in the laborious duties of the theology chair in Dilingen, he continued to devote much of his time to the ecclesiastical history of Ireland. He was among the first Irish writers who vindicated the honor of his country against the Scottish pretenders, who attributed to Scotland all the glories of the ancient Scotia. The value of his labours in this department has been attested by the most competent authorities; Ussher, to whom he supplied some manuscripts from the German libraries, not being less warm in his commendation than Lynch, Colgan, or O'Sullivan. The bishops of the Catholic Confederation resolved to publish one of his works at the public expense, as highly creditable to the honor of the country. But though he enjoyed so great a name among his contemporaries, and subsequently with the few scholars who had access to his manuscripts, none of his writings were ever printed. As several of them are still extant, there may be an opportunity of publishing them uniform with the present volume, and of collecting into a biographical sketch several notices of the author, which attest how much he was esteemed by those who could best appreciate his merits.

The Apologia is now published for the first time from a manuscript preserved in the Bibliothêque des Ducs de Bourgogne, Brussells.* No other copy of the work being known to the editor, there was no choice but to publish it as it stands, except in a few passages which had manifestly been corrupted by the copyist. On some points, which cannot escape the attention of the critical reader, it would have been desirable to have the benefit of a collation of different copies; but in general it will be found, that however such collations might exercise the industry of an editor, they are by no means necessary to sustain the main arguments of the author. In the MS. from which the text is printed, a considerable quantity of additional matter had been incorporated, as long parentheses, in the body of the work. But though these parentheses are evidently from the same pen as the text, it was considered better to print them as notes under the place which they occupied, in order to avoid the inconvenience of tampering with the original by editorial additions or alterations.

Whether the Apologia be worthy of the high name of the author the learned reader must decide. But it ought not to be forgotten, that it was composed very early in the seventeenth century, probably before the year 1615. It could not be expected that a person writing in a foreign land, without access to native original documents, (few of which had yet been printed,) could avoid falling into several errors. He had no work of Ussher, Colgan, or Ware to guide him. He wrote several years even before Ward had commenced to collect materials for the ecclesiastical history of Ireland; yet, due abatement being made for these disadvantages, his work will be found as free from errors as most of those written on new subjects. To some of his arguments the research of subsequent writers has been able to add very little, especially where he refutes some of the errors of Giraldus on the ecclesiastical history of

* Harris thus regrets the supposed loss of the Apologia: "And pity it is that we are deprived of it. For it must needs have been worth the public view, since so good a judge as Archbishop Ussher gives the author the high character of a man of exquisite knowledge in the antiquities not only of Ireland, but also of other nations."—*Ware's Writers of Ireland.*

Ireland previous to the English invasion. It was deemed unnecessary to correct in detail the points in which he differs from his successors, as a reference to Dr. Lanigan would generally be sufficient for the purpose. On one important question regarding the Bull of Alexander III. to Henry II., he was led astray by the Frankfort edition of Giraldus Cambrensis, which suppresses that Bull, and confounds it with Adrian's.

The reader may perhaps regret that our author has wasted so much learning and argument on the personal character of Giraldus. But Giraldus, whose works had been lately published, was in those days enlisted as a potent auxiliary for the solution of the old English difficulty, commonly called the "settlement" of Ireland. It had been his lot to be the apologist of the spoliation of the Irish by the first Anglo-Norman invaders, and he was now, four hundred years after his death, employed in the same work, to complete the ruin of the remnant of the old Irish, as well as of many of the Anglo-Irish. His well-stocked armory of calumny was as useful for the spoliation of the Irish by law under the Stuarts, as for their spoliation by the sword under the Plantagenets. The circumstances of the day imparted to his character, however contemptible, an importance which no writer undertaking to refute him could prudently overlook.

Should this volume receive due encouragement, there would be no difficulty in publishing several works written on Catholic affair after the Reformation, together with many valuable MSS. never printed, and rarely, if at all cited by historians. The usual catalogue price of Rothe's or O'Sullivan's writings is greater than would be required for a copious collection of Irish Catholic authors, uniform with the present volume.

To S. H. Bindon, Esq. is due the discovery of the manuscript from which the Apologia is printed. In his "Catalogue of Manuscripts relating to Ireland now found in the Burgundian Library, Brussells," may be seen some interesting notices of Stephen White and his writings. The catalogue was read before the Royal Irish Academy, May 24th, 1847, and printed in their proceedings.

INDEX CAPITUM.

INTRODUCTIO.

CAP. I.

CAP. II.

CAP. V.

CAP. VI.

CAP. VII.

CAP. VIII.

CAP. IX.

CAP. X.

CAP. XI.

CAP. XII.

CAP. XIII.

CAP. XIV.

CAP. XV.

CAP. XVI.

CAP. XVII.

CAP. XVIII.

CAP. XIX.

BENEVOLO LECTORI S.

In contumeliam multorum cùm sanctorum ecclesiæ triumphantis et militantis, tum diversarum Europæ provinciarum, personarum, ac potissimùm totius Ibernorum nationis, olim ante 400 circiter annos, plures suos libros sparsit, quidam apud multos nostræ ætatis homines immeritò in pretio habitus Silvester Gyraldus. Qui quod ipse lamentatur, omnibus fere tam suis et alienis sive notis sive ignotis ubiquè adeo fuit exosus, ut neque convictum hominis, professione critici, propter mores minùs modestos et linguæ calamique intemperiem facilè ferre poterant, neque varia quæ disserebat de rebus variis scripta, passim scatentia nugis Milesiis, fabulis maximis, plurimis superstitionibus, non infrequentibus in cœlites blasphemiis, crebrâ commemoratione, tum suarum laudum, et visionum, tum suæ familiæ, patris, avorum, patruorum, affinium, cognatorum, amicorum, panegericâ commendatione, adulationibus erga principes viventes, criminationibus, vituperiis erga eosdem vitâ functos, acerbissimis verborum aculeis, conviciis et mordacitate in quoscumque, vel ipsi vel ulli bellantium adversus Iberniam cognatorum suorum infensos, aut eisdem arte, armis, consilio, scripto, verbo resistere ausos. Ob quas causas aliasque non paucas, præsertim propter manifesta in rebus non parvis mendacia, satyras, et passim in eodem Silvestro obvios lapsus historicos circa memorabilia gesta tum publica, tum privata sui temporis et seculorum anteriorum, non tantum pro meritis, tam contemptu et indignatione a plerisque, dum ipse adhuc viveret, legebantur ejus libri. Quorum et auctor propterea sæpiùs coram et scriptis fuerat acerrimè a multis sui ævi reprehensus atque notatus, ut ipse dolenter et crebrò conqueritur: et vicissim conatur varia persecutoribus suis rependere, excusationesque satis frivolas in sui defensionem obtendere. Sed post ipsius mortem, deinceps per plura secula, mortua, atque in sepulchro oblivionis omnium projecta, ejus operum scriptorum, quæ multa fuerant, jacebat memoria, donec nostris diebus ex popularibus Silvestri, Joannes Lelandus, Humfredus Levidius, et Joannes Balæus, Angli heretici primi, quod sciam e latebris in lucem

quæcumque invenire potuerant, illius opera vetera produxerunt, edito eorumdem longo catalogo, ubi inter alias damnandæ lectionis libros nominantur quatuor, quos scripsit in defensionem suorum veterum magorum, sive Pithonici spiritûs Merlini Caledonii, et Merlini Ambrosii. Scripsit librum unum de nequitiis ut loquitur, Monachorum Cisterciensis ordinis; librum alium, quem dixit "Speculum Ecclesiæ," ubi horrenda de plurimis bonis præsertim ecclesiasticis mala refert et alia quæ cum "Speculo" flammis tradi potiusquam legi aut audiri merentur. Hujus Silvestri Gyraldi auctoritatem, fidem, scripta suspiciunt, et amplissimis verbis deprædicant, non modò nominati hæretici, sed et alii ejusdem ordinis atque tribûs, quorum inter præcipuos, primas habet popularis et admirator Gyraldi, Gulielmus Camdenus Calvinista; qui cûm mordere et maledicere cupit, ut frequenter facit in suis libris, phrases et longas periodos mutuatur a Gyraldo Magistro, cujus et aliquot quæ inter insigniora resenset, opera primus omnium typis mandari, idem Camdenus curavit cum aliis, nuper nimirum Francofurti, anno salutis 1602, "Topographiam," "Iberniæ," et "Expugnationem" ejusdem factam ab Henrico II. rege Anglorum, "Itinerarium Cambriæ," "Descriptionem Cambriæ, sive Walliæ provinciæ" in insulâ Magnâ Britannicâ. In quibus Gyraldi topographiæ et expugnationis operibus a Camdeno pervulgatis (et a me quoad potissima tantùm capita eorum, si possum, paucis universim ac perspicuè refutandis in gratiam Catholici lectoris, aut alterius cujus, bonæ mentis, avidæ veritatis et cupidæ scorpiaci sive alexipharmaci adversus gravissimè noxios de rebus variis errores plurimos, et non pauciores morsus venenatos famosarum chartarum) nævos haud paucos lector perspiciet. Nemo est modestioris mentis, aut animi Catholici, qui vel mediocri judicio pollet, qui paulo attentiùs illa legens, non statim videat et passim observet plurima quæ non parùm detrahant honori Dei; et bono nomini, cultuique sanctorum ejus adversentur, quæ multùm faveant superstitiosis et superstitionibus, quæ extra metas omnes modestiæ, veritatis et caritatis christianæ, crebrò, prolixè, studiosè, hyperbolicè, et miserandum in modum lacerent famam bonam, cultum christianæ pietatis et religionis catholicæ, multos moresque non malos universæ tum illorum Gyraldi quum anteriorum temporum, Christianæ Ibernorum gentis, quos universum ait immersos longè majoribus, fœdioribus, pluribus sceleribus, quàm olim fuerint Palestini, Sodomitæ et Gommorrhitæ, (nihil fingo): gentem esse bestialem, bestialiter viventem, versipellem, sanguinariam, ex bestiis natam, cum bestiis (fit horror auribus, oculis et naribus) coeuntes, et perpetuâ plurimorum retro seculorum consuetudine, non minùs cum eisdem neque minùs crebrò quàm cum mulieribus sese commiscentes: gentem extremè malitiosam, dolosam, perfidam, mendacem, inverecundam, spurcissimam, perjuram, informem, sacrilegam, deterrimam, ut nusquam in orbe toto pejorem reperias, involutam in omni genere vitiorum: nihil

christiani hominis, fidei, moris, modestiæ in illâ visum magis quàm in Turcis aut Tartaris, et licèt ad plenum," inquit, "naturæ dotibus gens eadem excolatur ut alibi nusquam videas homines, aut roboris perfectioris, aut vultûs venustioris aut corporis ad humanam justissimæ magnitudinis mensuram compositi vel pulchrioris, vel procerioris, vel coloris gratioris, aut membrorum agiliorum, ast quidquid tamen reliqui in ipsis est, sive spectes," inquit, "cultum mentis, sive corporis, sive industriam, sive mores, sive humanitatem, sive pietatem, sive disciplinam, sive educationem, sive convictum, sive aliud quod vis, omnia sunt incultissima et meri," inquit, "barbarismi;" bestialitas, vita brutalis et horrida, et aliis ejuscemodi, epithœtis passim ornat, et quàm maximâ valet arte conatur, eloquentiâ exaggerat, repetit, inculcat suis lectoribus, mores, ut ipse vocat et naturam totius gentis Ibernorum, tam sui ævi, quàm præcedentium plurium. Cujus gentis tamen defensionem, scriptis perennaturis, eodem ipso seculo quo Gyraldus vixit (neque ipse ista nescire poterat si vellet) in se suscepit S. Bernardus abbas (Clarevallis) qui cuncta ferè ut audiet lector de gente illâ tam suæ quàm præcedentium ætatum (si unicam, eamque non integram excipias) Gyraldo testatur contraria. Quem Gyraldum omnibus qui vel ipsum vel scripta viderunt, satis constat fuisse (propter causas post referendas) in universum nomen et nationem Ibernorum, non malè animatum tantùm, sed et perpetuo infensissimum ac infestissimum hostem, qui consilio, scriptis, aliis modis, cùm viveret, multam dabat operam per se, per suos, per alios totam eandem gentem libertate et propriis regibus gaudentem, malè apud quosque traducendi privandique et libertate et regibus et vitâ, et patriâ et famâ bonâ; eoque ut videtur fine facit, ne famam prædonum, tyrannorum ac iniquè sitientium sanguinem christianorum, apud omnes subirent, ut revera olim apud cordatos ferè omnes et plerasque nationes Europæ subierunt, amici ejus; testibus vel ipsi Gyraldo notis popularibus quibusdam suis scriptoribus, quorum nomina cum verbis postmodùm in loco dabo, simul et publicum contra Gyraldum testimonium regium, hoc est Henrici II. Anglorum regis, cujus viventis egregium adulatorem, vitâ verò functi egregium criminatorem, vel sicophantam mordacissimum videtur egisse sæpè, sed potissimùm in libro quem dixit "de Instructione Principis." Decem enim, aut duodecim partim fratres, partim patrui, partim cognati et affines Gyraldi (inferiùs nominandi sigillatim) collectâ manu magnâ hominum (ut utar verbis Gulielmi Neubrigensis Angli, cujus nota fuerunt fortassis scripta Gyraldo) in Angliâ et Walliâ laborantium inopiâ, cupidorum lucri, nimiùm creditoribus oberratorum, more viroque planè Turcico irruerunt, invaserunt, minis ac publicis mandatis sui Henrici II. regis Anglorum, etiam sub capitis, fortunarum et æternæ infamiæ pœnâ frustra prohibiti, devastârunt, et ferro, flammâ, urbes, oppida, incolas insulæ Iberniæ absumpserunt; regibus propriis, possessionibus, libertate exuerunt et superstites

indigenas in servitutem redactos, jussosque avitis sedibus selectioribus recedere, pro placito tractârunt, consueto tyrannis, qui fas in fortiore manu et jus insitum volunt. Hæc vera videtur fuisse causa acerbitatis, odii, tot atrocium Philippicarum declamationum Gyraldi in gentem Ibernorum, quamvis frivolas has aliunde quærat excusationes et obtendat vela, per quæ nihilominus (ut audiet lector) tamquam per transparentis tenuisque texturæ pannos facilè videtur quod intùs latet, sed foris radiat et lucet mendacium sese manifestans unâ cum Gyraldi insatiabili (quæ majorem vix me legisse de christiano alio homine memini) aviditate vanæ gloriæ, de suâ stirpe, de doctrinâ, de scriptis, dictis, dicteriis, gestis, moribus, amicis, bellicâ peritiâ, fortunâ, et fortitudine suorum fratrum et sanguini sibi junctorum captandæ. Quæ aviditas in aliis hominibus etsi semper sit cupida laudis, cauta plerùmque tamen, ne disertis verbis ipsa se palam apud omnes deprædicet, laudemque aliorum expectat. At quæ in Gyraldo fuit auræ popularis appetitio, ut cognosces ex ipsius confessione publicâ, nescivit desistere sed passim in illius scriptis, non voto tantùm, verùm absque verborum ambagibus, audacter, apertè, verbis disertis, non expectat aut expetit, sed instanter audiri orat se laudari, et scripta, dicta, facta, mores, doctrinam, genus, omnia. Atque ego ingenuè fateor, nunquam animum ad vani hujus scriptoris vanitatis, et mendaciorum plenissima scripta refutanda hactenus adjicere potueram, istius sciens aut planè mihi persuadens, neminem, nisi vel judicio munitum, vel mente parùm benevolo præditum, vel in legendo titubantem, qui Gyraldum in suis plerùmque omnibus scribendis non manifestè deprehendat ductum affectu magis quàm intellectu rerum, neque ipsi semper fuisse curæ satisfacere veritati potiùs quam suæ et voluntati et vanitati. Neminem præterea lectorem Gyraldi attentum fore, qui tantum fidei ipsi dicenti securè audeat accommodare, qui vel ipsa vera quæ narrat suspecta meritò non habeat nisi aliunde quàm ex dicente Gyraldo constent. Cæterum legendo variorum auctorum historicos et alterius argumenti libros tum hereticorum, tum catholicorum deprehendi, præter opinionem, viros bonæ mentis alioquin ac piæ catholicos nostræ ætatis, etsi numero perpaucos, erga Gyraldi scripta, quæ fortassis non inspexerunt ipsi oculis suis, sed alienis, nimium quantum affici, ejusque in rebus non spernendis auctoritate, fide, judicio niti, et ipsum non modicis extollere laudibus et audire (apud Richardum Stanihurstum ut aliorum nostrorum scriptorum nomina taceam) "doctum et litteratum, hominem pereruditum, acerrimum vetustatis contemplatorem, scriptorem non ferreum, qui nihil non doctissimè nihil non gravissimè scriptitârit." Quia, ut antè innuebam, Gyraldo in plerisque resistunt qui omnino audiendi sunt S. Bernardus et Gulielmus Neubrigensis, et alii in rebus attinentibus ad historiam variam; in aliis etiam multis attinentibus ad religionem et sacra resistere debent, quotquot non ignorant Gyraldum contemptim de ecclesiâ, irreverenter de sanctis,

honorificè de magis aut Pithonicis, eorumque divinis ut vocat vaticiniis, prophetiis, in favorem superstitionum et superstitiorum multorum loqui; tenentur et resistere qui sciunt (ut legendo nostra sciet quisque hactenus nescierat) Gyraldum si ex scriptis ejusdem sit ferenda sententia, hominem fuisse facilis et fluxæ fidei, servientem tempori, populari auræ, principum aulis, pleraque scribentem ex impetu potiùs affectûs, quàm imperio rationis rectæ. Mihi proinde visum, notas aliquot in Gyraldum meditari, qui cum venerint in publicam notitiam, multos in posterum monere possunt, si legerint, multos mederi poterunt quòd legerint et incauti crediderint, aut non respuerint pleraque Silvestri commenta vanissima. Ad quas notas pervulgandas non parum me extimulaverat cognovisse studium heretici Camdeni, qui non contentus in suâ Britanniâ edidisse famosos libellos adversus varios sanctos, tum Anglos tum Ibernos, et ex instituto scripsisse contra gentem præsentis ætatis Ibernorum, infames mendacesque calumnias; sed (ut non vanè fortassis aliqui suspicantur) ad stabilienda magis mendacia, et ad majorem apud exteras nationes conciliandum contemptum adversus præsentis et præteritorum seculorum gentem indigenam Iberniæ, voluit in vulgus dissipare Gyraldi prisca figmenta. Quibus etiam ad descriptiones recentes ejusdem insulæ et morum, per errorem usi sunt Abrahamus Ortelius in suo opere et Joannes Picardus in suis ad Gulielmum Neubrigensem notis et alii. Ut verò videar (ut revera sum) non malè animatus in Gyraldum, sed in mala ejusdem scripta, vanitatem, immodestiam et maledicentiam in sanctos Dei, et patriam gentemque meam; illud maximè curavi, ut in illo faciliùs, majore cum auctoritate et fide refutando, vix meis utar verbis aut amplificationibus, vel coloribus argumentorum longè petitorum, sed ipsius Gyraldi verbis contra Gyraldum apertè testantibus, partim manifestam præ se absurditatem, piarumque aurium offensionem ferentibus; vel verbis utar S. Bernardi, et aliorum omni exceptione majorum adversus calumnias et quædam monstruosa mendacia "Topographiæ et Vaticinalis Historiæ" præfati Gyraldi. Tu verò, humanissime lector, si vis et vacat hæc nostra legere, rogatum volo, ut neque mihi dicenti, neque Gyraldo contradicenti assensum accommodes; sed si placet, meis probationibus (quando videris esse plenas ac probas) et vestris oculis fidem habeas. Confido conatum industriamque meam qualemcumque a sincerâ mentis et professione pietatis in sanctos, in religionem catholicam et in patriam profectam, apud tuam humanitatem et candorem, si non laudem, quam neque ambio neque aveo, saltem excusationem exoraturam, si minùs tibi satisfecero quàm optârim aut promiserim. Vale et fave.

APOLOGIA PRO HIBERNIA.

CAP. I.

Quid Stanihurstus et alii senserint, de intemperie et mordacitate Sylvestri Gyraldi Cambrensis. Quid ipse Gyraldus de aliorum ferè omnium sui temporis, animo et censuris severis in suam personam, et scripta universa.

PRÆTER hereticos tres, quatuorve, quibus placebat acerbitas Gyraldi in sanctos, in ecclesiam, in ecclesiasticos, in monachos, in reges aliquot Anglos, neminem ex scriptoribus catholicis, nisi unicum Richardum Stanihurstum exceperis, video admiratorem et laudatorem ipsius operum scriptorum, non omnium; sed ubi sermonem instituit de Rebus Gestis ac memorabilibus suorum temporum, Gyraldum ut monui in præfatione, ornat Stanihurstus nomine "docti et litterati hominis, viri pereruditi, accerrimi vetustatis contemplatoris, scriptoris non ferrei, nihil non doctissimè nihil non gravissimè scriptitantis." Cæterum non ex ipsius laudatoribus tantùm hereticis, quispiam inter suos non infimi, et populares Gyraldi, sed et Stanihurstus tandem pertesi tantæ in illo vanitatis et virulentiæ, mutârunt mentem, et stylum in ipsum tanquam in maledicum in plerisque scriptorem strinxerunt. Cùm enim Gyraldus aliquot ex suis libris, præsertim "Topographiam Iberniæ," obtulerit legendos, et dedicârit Henrico II. Anglorum regi (qui reus putabatur mortis et martyrii S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi, qui et manu armatâ debellaverat insulam Iberniæ, quæ exinde in hunc usque diem paret imperio Anglorum) in quibus crebrò prolixèque adulatur viventem, laudat regem ab eximiâ orbeque universâ ut loquitur, notissimâ sapientiâ, pietate, fortitudine, justitiâ, litteris, studio pacis, clementiæ in cunctos, vacuitate ab avaritiâ aut invasione alieni. In aliis tamen multis libris editis a Gyraldo post Henrici mortem (quæ contigit anno salutis 1189) adeo exsecratur memoriam regis et mordacissimo stylo persequitur, præsertim in libro de "Institutione Principis," et in libro i. sui "Itinerarii Cambriæ," caput 4 et 5, et sæpiùs in suâ "Descriptione Cambriæ," et libro 2 "Expugnationis Iberniæ," et alibi, ut

David Povellus, homo hæreticus Anglus, qui notas addidit ad Gyraldi (quem appellat "antiquæ nobilitatis" et magnæ litteraturæ scriptorem pervetustum") "Itinerarium" lib. i. cap. 4, sic loquitur, "in libro illo de Instructione Principis, acerbè admodum in regem Henricum II. invehitur Gyraldus, ubi suæ in illum malevolentiæ virus ita evomit, ut suum inveteratum odium satis manifestè prodit." Natus enim fuit Gyraldus in Cambriâ sive Walliâ ubi antiquorum Britannorum (olim avitis sedibus exutorum agente vastatrice Anglo-Saxonum manû circa annum 453) in hodiernum usque diem supersunt reliquiæ, quæ ut norunt omnes Angliæ, Scotiæ, Iberniæ, indigenæ, adhuc immane fovent odium in animis adversus nomen et nationem Anglicam, cujus erat et gloriabatur se regem Henricum II. quem amabat Gyraldus, ut Brito sive Wallus, Anglum.

Sed Stanihurstus animadvertens Gyraldum pro libito ubique et in omnes, præterquam cùm se laudat et panegericas instituit orationes de suâ stirpe et cognatis, plenis malevolentiâ et maledicentiâ, velis ferri, in eos præsertim qui vel sibi vel suis in re ullâ aut ceptis, dictis, scriptis, gestis seu privatis seu publicis videbat contraire (ut fuerunt penè innumerabiles, quorum aliqua nomina memoratu non indigna in loco proferam) non poterat suum cohibere calamum quin Cambrensem "compelleret calumniatorem contumeliosum, maledicum, malevolum, acerbum criminatorem, supercilii Pharisaici hominem, qui alienos linceis oculis intuetur, suos strumas instar talpæ non dispicere." His epithœtis Gyraldum ornat mussantem crebrò facundiâ caninâ adversus Hervæum de monte Marisco virum primarium, quem idem Gyraldus* vocat unum "ex quatuor grandibus" expugnationis Iberniæ "postibus" qui detestabat rapinas, cædes, tyrannides, incendia, aliaque damna ingentia quæ Reymundus Gyraldus, patruus nostri Silvestri Gyraldi Cambrensis, inferebat Ibernis quos uterque extremo insectabatur odio. Hervæus verò, etsi initio Reymundum ad rapiendum juverit et ad cædes, vastationes et invasiones alieni juris multùm animârit, postmodum tamen malefactorum suorum pœnitens, et retroacta totiûs vitæ errata emendare cupiens, omnem malitiam cum militiâ deposuit, et pœnitentis monachi habitum induit; cui etiamsi monacho jam nec pepercit Cambrensis, qui non contentus sparsisse tot famosos libellos adversus Hervæum militem, sic in eumdem jam monachum irruit, et famam lacerans, ait "Circa hoc tempus (anno salutis 1179) Hervæus de monte Marisco monasticam vitam elegit, qui utinam sicut habitum, sic et animum, sicut militiam sic et malitiam deposuisset.† Quæ cùm Stanihurstus in Cambrensi legisset, ut et plurima alia passim de eodem Hervæo milite, quem Gyraldus vocat virum fugitivum a facie fortunæ, inermen et inopem, cùm tamen esset patruus comitis Richardi Strangbow supremi in expugnatione Iberniæ bellatoris ac

* Hib. Expug. l. 2 c. 4. † Ibid l. 2, c. 28.

ducis "exploratorem magis quàm expugnatorem,"* et alibi, "exteriorem Heruli hominem multiplici natura dote beaverat sed interiorem variis vitiorum maculis deformaverat, a pueritiâ veneri datus, et quidquid in omni libidine vel aliis in ipsum, vel ipsi in aliis exercere paratus, nec incæstus ullos, nec adulteria vitans; vir invidus delator et duplex, vir subdolus, facetus et fallax, cujus sub linguâ mel et lac veneno confecta; vir vagus et vanus, præter in inconstantiâ nullius rei constantiam habens, vir olim Gallicæ militiæ strenuus, sed hodie plus habens malitiæ quàm militiæ, plus fraudis quàm laudis, plus eminentiæ quàm existentiæ, plus festivitatis quàm facunditatis, plus verbositatis quàm veritatis,† cui rex Henricus tamen fidem habuit tanquam delatori adversus Reimundum quem ut suspectum rex ex Iberniâ in Angliam revocavit." His perpensis, Stanihurstus ita ipsum excipere incipit, "Verosimile mihi videtur, Herulum Gyraldi voluntatem lœsisse quandoquidem in quâvis fere libelli sui paginulâ, ejus famam omni contumeliâ attingit, quòd si domestici odii publicos testes colligere voluerit, maledicam bacchandi calumniam multùm reprehendo,"‡ et iterum, "tandem Herulus tanquam rudem accipiens atque ad meliorem mentem volutatemque a Deo conversus, mundanis corruptelis nuntium remisit, in monasticam professionem se totum tradidit, denique omnem malitiam cum militiâ deposuit: durus est in hunc scriptor Gyraldus, quem invidiosis maledictorum notis tradere voluit posteritatis memoriæ, sed quoniam malevolentia congruenter veritati convenienterque perrarò loquitur, talesque suos inimicos fingit quales eos esse et videri optat, æquum erit in narratione iniquo calumniatori fidem derogare." Et post pauca, "quorsum pertinet humano modo peccantem (ut vera crimina Heruli fuisse demus) tam acriter criminari, cùm liceat pœnitentem et melioris vitæ sensum capientem admirari, detur aliquod naturæ communis fragilitati, ut aliorum vitas ad insolens illud Pharisaicum perpendiculum minimè exigamus, quippe hoc nihil aliud est quàm in alienum nævum linceis oculis intueri, nostram strumam instar talpæ non dispicere."§

Sed et Stanihurstus observavit Gyraldum ubique captare occasionem convitiandi et malevolè interpretandi egregia quæque olim adversus Christiani nominis hostes gesta ab Ibernis et celebrata in antiquis aliarum nationum præsertim Gallicanæ et Germaniæ monumentis ex quibus eadem descripserat Cardinalis Baronius. Circa annum namque salutis 789, ut aliquot annos deinceps immensa penè classis Norwegorum (qui ut Nortmanni) paganorum et Christiano nomini infensorum Turcico more vastarunt et incenderunt loca fere omnia sacra, et urbes; ferro peremerunt maximam multitudinem indigenarum insulæ Iberniæ, ubi tunc maximè florebat pietas Christiana, quam eversum ibant vastatores illi Norwegi qui tandem ad

* Hib. Expug. l. 1, c. 3. † Ibid l. 2, c. 11. ‡ Hist. Hib. pp. 153. § Ibid p. 191-2.

paucos annos Iberniam sibi tributariam fecerunt. Quorum tyrannorum tamen jugum mirabili et memorabili stratagemate quod Gyraldus refert,* et nos ex ipso describemus postea, excusserunt, Christiani idem Iberni, circa annum redemptoris 806, ut indicat Albertus Krantsius his verbis, "annus erat post Christum natum 800 circiter, cùm Scoti-Iberni a Normannis per annos plurimos effecti tributarii, super eosdem irruentes auxilio Dei victores, eos a finibus suis propellunt, unde rex Scotorum ad Carolum (Magnum) Franciæ regem, pacis et amicitiæ gratiâ legatos mittit cum muneribus, viam sibi petendi Romam concedi poscens."† Verùm Norwegorum natio tantâ suorum in Iberniâ clade irritata, longè majorem priore classem cogens, ad excindendam penitus gentem Christianam Ibernorum, et ad possidendam ipsorum patriam, invasit ejusdem insulæ indigenas, infausto et Norwegis deinceps lamentabili successu, quem testis fermè oculatus, et domesticus historicus, (qui passim extat) Caroli Magni et Ludovici Pii, ejus filii; et Amoinus monachus Gallus, qui floruit circa annum salutis 870, referunt in hæc verba: "Anno Domini 812, classis Normannorum, sive Danorum, Iberniam, Scotorum insulam aggressa, commisso cum Scotis prælio, parte non modicâ Normannorum interfectâ, turpiter fugiendo domum est reversa."‡ Hermannus Contractus quoque qui ante 500 circiter annos floruit in Chronico sic ait, anno salutis 812, "classis Danorum, nam olim Dani, Norwegi, Suevi, uno Normanorum nomine dicebantur, Iberniam invadens a Scotis victa est:" et Gulielmus Camdenus de hisce Iberniæ rebus ita scribit: "Norwegi Turgesio duce regionem Iberniæ per 30 (circiter) annos indignissimis populationibus devastaverant, sed illo demum ex dolo sublato in Norwegos cæde adeo atroci grassati sunt incolæ, ut vix nuntius tantæ cladis superfuerit; Norwegi hi procul dubio fuerunt Normanni illi qui, ut inquit Eginhardus Caroli Magni temporibus, Iberniam Scotorum insulam aggressi, a Scotis in fugam conversi erant."§ Quid ad hæc Gyraldus; et ut Stanishurstus maledicum os obstruat, "iniquè Gyraldus, sic rem refert et in Ibernos furit Cambrensis, in hujus Felmidii (Fedelimitii meliùs) Regis (Scotorum Iberniæ) tempore Norwegienses in magnâ classe ad Ibernica littora, anno 838,"‖ appulerunt, qui et in manu forti terram occupantes, et Gentili furore debacchantes, ecclesias fere omnes destruxerunt. Horum autem dux Turgesius vocatus, multis variisque conflictibus totam sibi insulam brevi subjugavit, et peragratis totius regni finibus, totam undique terram

* Topog. Hib. Dict. 3, cap. 37, 40, 41, 43. † Norwegia, cap. 41.
‡ Gest. Francorum, l. 4, c. 100. § Britannia, p. 685, Francfort, 1590.
‖ Non ita fortassis, sed prima classis circa annum 787: secunda Norwegorum anno 812, vivente adhuc Carolo Magno (qui mortuus anno 814,) advenerat. Quo verosimile videatur quod nonnulli narrant, Gyraldum hic sermonem instituisse de Norwegensium tertiâ irruptione in Iberniam circa annum salutis 838, quia eodem tempore iidem barbari omnia cœperunt, in Galliâ, in Belgio, Germaniâ ut notum est ex passim vulgatis historicis multorum.

locis idoneis incastellavit, unde et fossata infinita alta nimis, rotunda quoque ac pleraque triplicia, castella etiam murata et adhuc integra, vacua tamen et deserta ex reliquis illis et antiquitatis vestigiis hic (in Iberniâ) usque in hodiernum multa reperies. Turgesius igitur regnum Ibernicum aliquamdiu pacificè rexit, donec puellarum dolo delusus interiit, nam gens Ibernica ad consuetas artis iniquæ decipulas, non inefficaci molimine statim recurrit, cùm enim eâ tempestate filiam regis Medensis scilicet O'Malachlini (Malachiæ) Turgesius adamâsset, rex ille virus sub pectore versans, filiam suam ipso concedens ad insulam quamdam Mediæ, in stagno scilicet Locherino illam cum quindecim puellis et egregiis missuram se spopondit: quibus et Turgesius gavisus cum totidem nobilioribus gentis suæ statuto die et loco obviam venit, et invenit in insulâ quindecim adolescentes imberbes animosos et ad hoc electos, sub habitu puellari dolum palliantes, cultelis quos occultè secum attulerant statim inter amplexus Turgesius cum suis occubuit. Famâ igitur pernicibus alas totam statim insulam pervolante et rei eventum ut assolet divulgante, Norwegienses ubique truncantur, et in brevi omnes seu vi seu dolo vel morti traduntur vel iterum Norwegiam et insulas unde venerant navigio adire compelluntur; quæsiverat autem a Turgesio prædictus Medensium rex et in dolo (nequitiâ jam animo conceptâ), quonam tenore volantes aves quædam in regnum super advectæ terræ toti, patriæque pestiferæ destrui possent et deleri; cumque responsum accepisset nidos eorum ubique destruendos, si jam forte nidicassent, de castellis Norwegensium hoc interpretantes mortuo Turgesio in eorum destructionem Ibernenses per totam insulam unanimiter insurrexerunt. Annos igitur circiter triginta Norwegiensium pompæ, ut Turgesii tyrannis in Iberniâ perduravit, et inde gens Iberniæ servitute depulsâ, et pristinam libertatem recuperavit, et ad regni gubernacula denuo accessit."*

Richardus Stanihurstus, ut dicere cœperam, suum olim "doctissimum," "gravissimum," "pereruditum," et "aureum Gyraldum Cambrensem," non amplius maledicum sustinens ita excipit, "nimis est in scribendo mordax Gyraldus, cùm facinus omnibus laudibus celebrandum parùm consideratè reprehendit; num iniquum esse existimabimus barbarum sicarium ex omnibus vitiis conglutinatum, qui bellum non tam Ibernis (quibus non admodum suis scriptis favet Stanihurstus) quàm Christianæ religioni indixit, qui omnia passim sancta delubra funditus eradicavit, qui tot annos intolerandum tyrannidem occupavit, qui adolescenti virgini regiæ stuprum inferre decrevit, imò qui ipsum patrem regem ad filiolæ pudicitiam expugnandam neque ganeonem ex lutrorum fuligine super emersum sollicitavit, aut armatum, aut dormientem, aut vigilantem e medio tollere? dolus an virtus quis in tali hoste requirat?"† Alibi, aliis de

* Topog. Hib. Dict. 3, c. 24. † Hist. Hib. p. 260-1.

causis, Stanihurstus Gyraldo mercedem mordacitatis persolvit. Cæterum audiamus ipsum Gyraldum conquerentem, " de aliorum in se," (et adversum inepta, maledica, immodesta, et fabulosa pleraque sua scripta) " livore," ut ipse vocat, et " invidiâ." Omittam autem justas omnium querelas in illum propter libros adversum monachos Cistericenses editos et alios, qui vel in fronte ferunt judicia reproborum operum, sed pauca tantùm commemorabo de persecutione quam ipse ob libros alios quos magni facit et titulos non malos præferunt, et nominat "Topographiam" Iberniæ " Vaticinalem historiam," seu Expugnationem Iberniæ, " Itinerarium Cambriæ," et similes; sic scribit historiæ cap. 31: " Inter ipsas curiæ Henrici II. Regis curas quinque annorum studio digessi et disposui, Topographiam et Vaticinalem historiam, illam triennio, istam biennii labore complevi, posteris lectionem, præsentibus livorem, illis delectationem, istis detrectationem, illis beneficium, istis odium præstans."* In prefatione suæ Descriptionis Cambriæ, ad Stephanum archiepiscopum Cantuariensem: " quoniam nonnulli viri magni, quos vidimus et novimus,† quibus litteræ exosæ erant, libros egregios eis oblatos,‡ statim in scriniis, recondere et tanquam perpetuo carceri retrudere solent,§ a te, vir optime, cui præsens opusculum transmitti deproperat, petitum, si placet, et impetratum esse cupio, hactenus hæc nostræ diligentiæ monumenta, sicut et priora a nobis exarata quamquam in se modica, aliquando tamen et aliquibus forsan accepta futura, tenebris involvi, quæ lucem desiderant, non permittas, sed ea potiùs quæ publicata, pulchriùs elucescunt, voce liberali ac liberâ jubeas in commune deduci; pretium quippe laboris et præmium reputem, si etsi nec aliam a vobis, cùm hodie scripta nemo remuneret, vel expeto, vel expecto retributionem, quamquam rationi tamen id dissonum minimè foret, nisi a magnatibus hodie quasi conjuratio in auctores facta fuisset." Ita et in prefatione libri de Instructione Principis (quem nimis mordacem esse et intolerandum non minùs heretico quàm Catholico lectori insinuavi superiùs, ubi videtur quærere colores magis quàm reddere rationes veras,) cui tam ipse tam sua opera parum grata essent, non tantùm regibus illis, sed et aliis plerumque, etiam popularibus et civibus suis, ita pingit, miscendo simul

* Hib. Expug. l. 2, c. 31.

† Inter quos Henricus II. Rex Anglorum et ejus filius ac successor Richardus Rex et hujus frater ac successor Joannes Rex, cujus pædagogum, cûm junior esset egerat Gyraldus.

‡ Nam Henrico II. Regi dedicârat Cambrensis suam Topographiam, Richardo regi suam Historiam Vaticinalem primæ editionis ; Joanni regi eandem Vaticinalem secundæ editionis priore locupletiorem ob mendacia nova.

§ Nempe hoc est quod superiûs innuebam, ideo regibus illis et aliis ingratam fuisse lectionem prædictorum librorum et suppressos voluisse, quòd pleraque in ipsis relata partim se prodant monstruosa figmenta, partim famosos esse libellos, partim detrahere honori ecclesiæ et sanctorum Dei, partim narrare adulationis causâ, quæ iidem reges et alii fere innumeri falsa fuisse sunt experti, et universum, quòd plurima veris paucis mendacia misceant.

suas laudes et jactantiam nobilitatis cum parum fortunatæ sortis deploratione: "ad curiam a studio, peccatis exigentibus a rege (Henrico II.) vocatus (cui nihil majus menti quàm mentire, nihil desiderio magis quàm decipere, quàm deferre, quàm sequentium animos et obsequentium delationibus cruciâsse.) Circa eundem ejusdemque defuncti filium atque hæredem (Johannem Regem) et utinam non vitiosum, irreparabili damno, duo fere lustra consumens, nihil ab illis præter immanes vexationes et vacua donis promissa suscepi. Si quid enim gratiæ, morum gravitas, si quid litteræ, si quid industria inferre potuit, totum id suspectum, totum infectum, totum exosum Walliæ nomen ademit.* Tres enim naturæ partes, quamquam ab Anglis et Normannis (Galliæ) contraxerim lineâ originali (avi Gyraldi et atavi fuerunt orti ex Anglis et Normannis) totamque præterea convictûs a quo mores formantur vim, partem, et proprietates longam quoque commorandi consuetudinem, quæ et alteram sibi naturam comparare solet, ex quartâ tamen parentalis propagationis columnâ, et post tertiam prima tamque genialis quadrigæ rotâ a Trojanâ nobilitate contractâ (sæpè in suis libris ait se satum sanguine Trojano) totum infici, et modico quasi fermento massam corrumpi; semperque in elationem gens inimica conjectat; unde et quoniam inter Anglos nostra tam morum institutio erat quàm conversatio, in Cambriâ verò natio reperta est et cognatio, compactum est ex his et confectum, ut uterque populus me sibi tanquam alienum reputans et non suum, semper oculo respexerit novercali; alter ab hoc suspectum habens, alter exosum. Accessit et aliud inter incommoda, quod si quid a nobis egregiè dictum vel gestum fuerit (egregiè te ipse laudas Gyralde!) statim quoad licuit, aut illud invidia supressit, aut malitia pervertendo corrupit (non es in tuâ causâ idoneus judex) in hujusmodi verba plerumque prorumpens, a Cambriâ potest ne aliquid boni esse? si autem ut humanis mos est excessibus, aut pes aliena quandoque titubare, aut a litterâ vel syllabâ cadere lingua videbatur, in mediis quoque et indifferentibus nec laude dignis nec vituperio, statim hostilis irrisio cum exclamatione, Cambriæ vitium exprobavit, tanquam patriæ cognata fuerit enormitas et innata."

Scilicet hinc tibi istæ lacrymæ et non inde magis quòd manus et lingua tua contra omnes, et miraris proinde, manus omnium contra te, et præsertim cum te recensentem pro more, pro historiis memorabilibus incredibiles fabulas audirent? Quid inde aliud quàm censum et irrisionem sperare debebas, a tot magnis multisque, ut ais, audito-

* Non est ita, sed aliud quàm Walli nomen, quo tu gloriaris, te suspectum, infectum et exosum fecit; te Wallum sive Cambrensem patriâ quòd bonus habereris grammaticus, poeta, criticus et linguæ latinæ promptus, in pædagogum liberatorem Joannis principis, et quartogeniti elegerat Henricus Rex pater, et populares Cambros tuos, imo patruos, consanguineos, affines et amicos tuos voluit Henricus Rex perficere et promovere ad honores et prædia possidenda in Iberniâ. Te verò initio carum regibus et filiis et pædagogum regium, vacuum et honoribus et lucris, quæ expectabas, tandem dimiserunt, tu scis quare (et alii plures quibus eras fastidio.)

ribus et lectoribus? quod cùm tibi aliquando in faciem objiceretur, tu, ut soles, frigidè et minus ad rem respondes, partim in primâ præfatione tui "Itinerarii," partim in præfatione primæ tuæ "Vaticinalis historiæ" seu "Expugnationis Iberniæ lib. 1," et in præfatione libri secundi inquiens, "non artes hodie vigent, sed Martis officia, studium versum est in odium, adeo litterarum honor in summis olim gradibus constitutus, quia sic omnia fato in pejus ruere et retro sublapsa referri, jam proclivis in ruinam, ad ima devolvi videtur, ut rarum addicti studiis, non solum hodie, imitabiles, non venerabiles, verùm etiam odibiles." Non est ita, nam tuo tempore, etiam in Angliâ et alibi, in magno fuerant pretio litteræ et litterati, dummodo cordati et modesti, ut omittam enim in Galliâ, te vivo, Gyralde, floruisse Petrum Lombardum magistrum sententiarum, viguisse Parisiis studium bonarum artium omnium, doctosque viros ad regimen ecclesiæ ubique tunc assumptos; nonne tecum in Angliâ vixerunt, et fortassis oculi tui viderunt, qui per ora virum passim volitabant, Gulielmus Malmesberiensis, Henricus Huntintonensis, Joannes Salisberiensis, (post factus Carnotensis episcopus) Petrus Blesensis (secretarius Henrici II. et filiorum ac uxoris sui reginæ, vir venerabilis) Gulielmus Neubrigensis, Rogerus Hovedenus et alii supra viginti, quos si vis videre et numerare, adeas Baleum et Lelandum. "Præterea dicis," quoniam opus non ignobile Topographiam nostram (libenter tua laudas) livor laniat et detractat, ad ejus excusationem quædam interferre non indignum putavimus. Objicit enim in hunc modum, "lupum introducit cum sacerdote loquentem,* mulierem barbatam usque ad umbilicum, cristatam in tergo, et jubatam instar equi, etc. hominem, verùm qui talia vehementer abhorret, legat in libro Numeri asinum loquentem Balaam, et prophetam increpitantem.

* Lib. 2, Topogr. cap. 19. ubi longam et refertam ineptiis et incredibilibus fabulam recenset de pari sui temporis conjugum, verso in lupos, servante tamen rationis usum, serpentium sicut Nabuchodonosor inter bestias, exulante simul a patriâ, in quâdam silvâ, gementum tamen, et humana voce loquentum, et salutante sacerdotem qui per sylvam pergebat, et flagitante lupo, submissis precibus ut accederet ad specum lupæ uxoris, quæ enixè cupiebat sacrâ Eucharistiâ refici, quam sacerdos in pixide e collo pendenti tunc gestabat, lupusque ad lupam approprians coram sacerdote, voce humanâ pedeque lupino ostendens librum sacrorum rituum, quo se carere aiebat sacerdos, simul etiam et eodem pede pro manu fungens, tangens caput lupæ, pellem lupinam totam a capite usque ad umbilicum leniter retractam, replicavit et statim expressa forma vetulæ mulieris apparuit, quæ obnixè postulavit et devotè (nam pia erat et catholica et lupus ipse suscepit eucharistiam de manu sacerdotis,) confestimque lupus quam retraxerat antè pellem, in pristinam formam ac statum coaptavit; et conducens sacerdotem extra silvam ostendit ei rectum, securum iter, et egit gratias pro impenso suæ lupæ beneficio, et propheticè narravit sacerdoti, quæ variis temporibus futuris superventura forent genti Anglorum, quæ iisdem diebus invaserat et occupaverat Iberniam. Addit Gyraldus hanc esse veram historiam, et ipso illo fere tempore quo morabatur tantisper in Iberniâ contigisse, et ad examen adeo inusitatæ rei coactum fuisse Synodum Episcoporum et Abbatum, qui Gyraldi consilio sacerdotem illum, totamque rei gestæ seriem de fide lupi, de ministratione Eucharistiæ confitentem, et sigillis eorundem episcoporum atque abbatum munitam, miserunt Romam ad sum-

Legat vitas patrum, faunumque ibidem cum Antonio loquentem, legat Augustinum, libro 16 et 21 de Civitate Dei, et audiat divum Hieronymum aientem, " multa in scripturis incredibilia reperiuntur nec verosimilia quæ nihilominus vera sunt, nec enim contra naturæ prævalet Dominum, natura, nec detestari debet, sed admirari, sed venerari creatoris opera quævis, creaturæ est: ut quid, nisi quia mundus positus est in maligno, rodimur et laceramur? et desinant ergo aliquid damnare quia sit novum, quod labentis temporis beneficio dum novitatis arguitur desinit esse novum. Habeat igitur in illis (scriptis nostris) et præsens tempus quod laceret, et posteritas quod laudat, habeat hoc quod lædat, illa quod legat, habeat hoc quod damnet illa quod amet, habeat hoc quod probet illa quod reprobet." Hoc, illo loco Gyraldus qui etiamsi non sit Deo impossibile facere quod de lupis narravit, nullo idoneo argumento tamen, præterquam suæ solius auctoritatis, nobis ostendit permissum vel factum fuisse. Quod refert de piis devotis, catholicis et prophetantibus lupis illis deque accessu eorundem ad sacram synaxim non præmissâ de more Catholicorum sacrâ peccatorum confessione; neque uspiam, quod sciam nisi, apud Gyraldum, visum vel auditum, synodum eâ de re ludicrâ, et multò minùs Synodum eâdem de re monuisse papam. Sed has prætereo aliasque fabulas plures, quarum unam insignem de præsbitero Eliodero et pigmeis et novo mundo, vide lib. 1. Itinerarii cap. 8, reprobatam a Povello.

mum pontificem, imò adjungit in quâdam familiâ Iberniæ ex imprecatione cujusdam sancti accidere, ut quolibet septennio duo aliqui ex illâ, mas nimirum et femina cogantur exulare tam a formis quàm a finibus, et humanam exeuntes induant lupinam. Etiam adjungit quæ non video ut excusari possint ab apertâ heresi, cum ait "non itaque decredendum est sed potius fide certissimâ est amplectendum divinam naturam pro salute mundi; humanam naturam assumpsisse," (hoc esse heresim unâ voce doctores, theologi cum generalibus conciliis affirmant, aientes, fide christianâ nos credere, quòd Deus assumpserit humanam naturàm; eâdem etiam nos fide credere quòd natura divina sive deitas non assumpserit humanam) "cùm hic solo Dei nutu ad declarandam sui potentiam et vindictam, non minori miraculo (hoc est manifestum mendacium, nam omnium maximum miraculum fuit incarnatio Dei) humana natura lupinam assumeret," et hoc est tertium mendacium, nam nunquam fuit facta unio duarum naturarum in unicâ hypostasi nisi in personâ filii Dei.

CAP. II.

Quàm indignè sentiat et scribat Gyraldus de ecclesiâ et multis sanctis quos ipsa passim et publicè colit.

Vidimus ut Gyraldo auctoritatem, ejusque dictis et scriptis fidem, vel ipso teste, denegârint quotquot fere, eodem adhuc vivente, illa viderunt, audierant, legerunt, et unà cum auctore labores et opera irriserunt, contempserunt. Si qui verò nostris annis priùs Gyraldum suspiciebant et laudabant tanquam neque illiteratum neque malum historicum, postmodùm experti sunt suum errorem, et illum eo in loco habuerunt, quo olim suo tempore a plerisque passim tam suis quàm extraneis habitus; nimirum pro scriptore mordace, maledico, malevolo et fabulatore. Neque id quod sciam, extat homo catholicus qui Gyraldum audeat meritò locare vel inter postremos bonæ notæ, fidei scriptores sive historicos, sive theologos, sive philosophos, sive de aliâ ullâ liberali scientiâ ultra mediocritatem laudatos. Illum hæretici cum ipsorum Baleo, Lelando, Levidio, Camdeno, quòd et quantumlibet suspiciant, ac deprædicent nihil moror; non est vera laus, sed verum vituperium laudari ab illaudatis atque perversæ ut fidei ita et judicii viris.

Cæterum quod plus ponderis cæteris probationibus habere solet ad auctoritatem dicentis damnandam, et ad fidem dictis abrogandum, producamus deinceps in medium, et cordati lectoris oculis subjiciamus atque auribus, ipsius Gyraldi scripta non pauca, et verba, quæ palam adversus auctorem suum, testimonia ferant magis vera quàm bona. In primis duo tantummodo in hoc capite proferamus de irreverentiâ et obloquiis illius in ecclesiam Dei et multos sanctos, quos piè passim et publicè ipsa veneratur. Ad quæ blasphema ut videntur verba, non semel abreptus fuit malè cautus Cambrensis ingenti, quod ipse ferè ubique prodit odio, aversove animo quo ferebatur in nomen, nationem, sanctos insulæ Iberniæ; ut pluribus suo in loco producendis a me exemplis perpicuè cognoscet qui volet. Sed videamus obloquia Gyraldi de ecclesiâ et sanctis. In præfatione distinctionis secundæ Topographiæ suæ pollicetur sui lectori in hæc verba: " ex his quæ per se miranda, suique novitate conspicua in his terrarum (Iberniæ) finibus natura reposuit, ex his etiam quæ sanctorum meritis egregiè nimis, et valdè miraculosè

gesta sunt, quorumque memoria ex certis quibusdam indiciis pereniter extat, memoratu dignissima, stylo perstringere non superfluum duxi. Scio tamen et certus sum, me nonnulla scripsisse quæ lectori vel impossibilia vel etiam ridiculosa videbantur. Sed ita me Dii amabilem præstent (cur tua vota Diis nuncupas, Christiane Cambrensis?) ut nihil in libello apposuerim cujus veritatem vel oculatâ fide vel probatissimorum comprovincialium virorum testimonio cum summâ diligentiâ non elicuerim." Pulchra protestatio; sed metuo ne ex multis tui libelli locis, in luce clarâ deprehendatur adversa vero, ut invitus ex verbis tuis audies. Sed nunc in alium locum, remittamus fabulas refutandas, partim infames, partim superstitiosas, quas refers cap. 9, 12, 18, 19, 21 de Sodomitâ et bestiali origine, lacûs ingentis et fluvii Ultoniæ, de insulâ in medio maris instabili, stabilitâ jactu ignitæ in illam sagittæ, de choreâ gigantum sive congerie lapidum immensæ magnitudinis ab ultimis Africæ partibus a gigantibus olim in Iberniam allatorum, et inde divinâ ut loqueris, Merlini (qui manifestè noscitur esse mendax et magus) diligentiâ in Brittanniam advectorum, de colloquio sacerdotis cum lupis, mare et fæmellâ, fide Catholicâ, pietate et prophetiæ dono pollentibus, humanâ voce loquentibus, sacram Eucharistiam devotè reverenterque de manu sacerdotis sumentibus, de semibove viro, semiviroque bove, ut inquam ista præteream, postquam Gyraldus multa non minùs vera quàm miranda retulisset de sanctis episcopis aliisque viris Iberniæ et miraculis ipsorum, plurima etiam non minùs mordaciter quàm mendaciter de gente et moribus indigenarum ejusdem insulæ, et similia his, neque pauciora tam de sanctis quàm de gente eâdem narrâsset in distinctione suâ tertia,* tandem cap. 27, 28, 29, 31, erumpit in has voces: " in episcopis verò et prælatis (Iberniæ omnibus, qui fuerunt ab annis S. Patritii, mortui circa annum salutis 493 usque ad illum quo Gyraldus suam Topographiam scripserat, anno 1188,) præcipuè reprehensione dignum invenio, quòd in populi tam enormiter delinquentis correctione, desides nimis sunt et negligentes, quòd igitur nec prædicant nec corripiunt; hinc ipsos prædico corripiendos, quòd non arguunt, hinc arguo, qui repræhendere negligunt, hinc repræhendo, quoniam, ut ait Gregorius, præconis officium suscipit quisquis ad sacerdotis gradum ascendit. Sacerdos ergo si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem est daturus præco mutus? Si enim prælati tempore S. Patritii, per tot annorum curricula, prædicationi et instructioni, item increpationi et correptioni pro officii debito viriliter institissent, et prænotatas gentis enormitates aliquatenus extirpâssent, aliquam procul dubio in eis formam honestatis et

* Quasi penitens facti quòd tanta tamque miranda deprædicâsset, de tot sanctis semper, ut ait omnibus retro sæculis spurcissimæ gentis, vitiis involutissimæ, omnium gentium in fidei rudimentis incultissimæ, maximè perjuræ, fallacis, perfidæ, malitiosæ, dolosæ, sanguinariæ, sacrilegæ, inverecundæ, bestialis, deterrimæ, crudelissimæ.

religionis impressissent, sed non fuit in ipsis qui tanquam tuba exaltaret vocem, non fuit qui ex adverso ascenderet, et murum pro domo Israel se opponeret; non qui usque ad exilium, nedum usque ad sanguinem pro ecclesiâ Christi dimicaret. Unde et omnes sancti terræ istius, confessores sunt et nullus martyr, quod in alio regno Christiano difficile erit invenire; mirum atque quòd ubi gens crudelissima et sanguinis sitibunda* "fides ab antiquo fundata, et semper tepidissima pro Christi ecclesiâ, corona martyrii nulla. Non igitur inventus est in partibus istis, qui ecclesiæ surgentis fundamenta sanguinis effusione cementaret, non fuit qui faceret hoc bonum, non fuit usque ad unum. Sunt enim pastores qui non pascere quærunt, sed pasci; sunt prælati qui non prodesse cupiunt, sed præesse, sunt episcopi qui non omen sed nomen, non onus sed honorem amplectuntur; unde accidit, ut nec verbum Domini populo prædicent, nec scelera eorum eis annuntient, nec in grege sibi commisso vel extirpent vitia, vel virtutes inserant. Cum enim ferè omnes Iberniæ prælati de monasteriis in clerum electi sunt, quæ monachi sunt, solicitè complent omnia: quæ verò clerici vel prælati, ferè prætermittant universa. Sui enim tantùm curam agentes, et tanquam sibi solliciti, pro grege sibi commisso sollicitari negligenter omittunt et postponunt. Sed malè sibi provident, malè sui curam agunt, cùm iis quorum custodiæ ex suscepti regiminis officio sunt deputati, per injuriam et negligentiam, curam, et providentiam subtrahunt et subducunt." Benè habet Gyralde, reclamante etiam conscientiâ tuâ, ut paulò post mentitus videaris contra tot quot infamas, sanctos tam confessores quàm martyres, tam episcopos quàm prælatos alios Iberniæ, apostolicæ vitæ viros, et verbi Dei egregios præcones, non in Iberniâ tantùm, sed et in patriâ tuâ, in Scotiâ, in Angliâ, in Belgio, in Galliâ, in Germaniâ, in Italiâ, et alibi, testibus S. Bernardo (qui in tuis diebus vixit) et Romanâ ecclesiâ in suo Martyrologio et aliis omni exceptione majoribus, quorum pauca verba dabo et breviter. Evincam, tot te protulisse paulò aute mendacia et errores graves, quot penè verba, aut certè sententias, sed patienter et parumper, quæso, expecta quòd jam properem propalare novas tuas adversus ecclesiam et sanctos blasphemias, quas a te extorserunt quæ jam descripsi tua, vacua veritate verba, mordacia et injuriosa in gentem et sanctos Iberniæ, penè innumeros. Sic igitur pergis! præfigis istum titulum, "quòd quidam intùs esse videntur qui foras missi sunt" et e diverso deinde ordine narrare. "Mirum autem quòd cùm omnino desides sui officii, tam subditorum salutis negligentes (Iberni) semper extiterint, quòd tot ex istis in terrâ pro sanctis (quorum vel in Romano

* **Nempe armatâ manu resistit fratribus, cognatis Gyraldi qui more et jure Turcico collectâ manu magnâ prædonum, invito et sub capitali pœnâ prohibente ipsorum rege Angliæ, Henrico II., ferro, flammâ devastabant Iberniam et indigenas in servitatem redigere, et libertate ac regibus propriis et patriis sedibus exuere satagebant.**

Martyrologio est copiosus numerus, ut dicam) habentur, et ab incolis tanquam sancti, tam devotè coluntur et venerantur,* unde et unum duorum est inevitabile non evitari, tot enim ab hagiographis nostris tam circa pastoralis officii debita, quàm aliarum quarumlibet rerum instructionem, multa ad terrorem constat esse emissa; et quoniam misericordiâ Domini plena est terra, magis sperandum esse de clementiâ quàm timendum de justitiâ, aut potiùs ecclesia militans in multis decipitur, triumphans verò non irridetur, unde et nonnullos quos recipit hæc, despicit illa, quos prædicat hæc, abdicat illa, et e diverso. Illa quoque inter electos non immeritò multos honorat, quos ista tamen prorsus ignorat. Quidam animi intus esse videntur, qui foras missi sunt, et quidam foras missi, qui tamen intus existunt, quia plerumque quod altum est hominibus, abominabile est apud Deum."† Nempe hoc unum restabat, Gyralde, et huc tota tua tandem collimabat adversus gentem sanctosque Iberniæ dentata oratio, ut videreris reliquis Christianis ecclesiæ plus sapere et scire, et discretè colere, et abstinere ab indiscreto cultu sanctorum plurium, quos ignoranter veneratur Christi militans in terris ecclesia, quæ amat, prædicat, veneratur ut sanctos, quos in cœlis Deus, et ecclesia triumphans, sed tu (cui consilia Dei et cælestium quibuscunque collocutus interfuisti nota sunt) damnatis, abdicatis, execramini tanquam Deo sanctorumque ejus consortio indignos, et foras missos, in infernum cum diabolo detrusos. Errat ecclesia, tu non erras, (o error!) neque judicio aut affectu es erga sanctos quosdam, quo sunt cæteri hominum. Neque sicut publicani (ut tibi sunt) Iberni, qui a longè positi in extremis terræ finibus, non ausi sunt levare faciem suam ad cælum, aut ad aliud boni quicquam, sed ad extrema semper facienda flagitia a diebus S. Patritii usque ad tuos, id est per spatium 700 circiter annorum. Et gratias agis Deo quòd non sis eâ mentis ignorantiâ et præpostero in suppositìtios sanctos devotionis affectu, quo militans in terris ecclesia Christiana. Et interim cupis credamus te ista sensisse, dixisse, scripsisse, mente, judicio, affectu, verbo, calamo benè et verè Christiano, Catholico, circumspecto, reverenti in matrem tuam ecclesiam, pio in illos quos ipsa reverenter, pièque et publico cultu Divis Dei, ac triumphantis urbis indigenis debito, supplex veneratur; neque tibi sancti Dei sunt, qui Iberni fuerunt, quòd ex Iberniâ fuerunt, quasi a Nazareth quicquam boni prodire non possit, neque lilia ulla nascantur inter spinas; neque in ullis terræ finibus aut angulis, vel montibus asperis ullos reposuerit Deus unquam thesauros suos, aut caros sibi famulos. Nescio an duo illi, odium Dei et bonorum omnium, qui flammas subjecerunt domui Dei, Lutherus et Calvinus, legerint tua scripta, Gyralde; hoc scio, illos nullo fortiori, ut ipsis videbatur, ariete, neque compendiore viâ voluisse uno impetu

* Putabam te antè dixisse vix vestigium devotionis aut Christianæ religionis remansisse in ejusdem incolis, a diebus S. Patritii ad usque tuos.

† Topog. Hib. Dict. 3, cap. 31.

subruere fundamenta religionis Catholicæ et Romanæ, et superstructam fidei ejusdem veram, Christianam, et apostolicam doctrinam, sanctosque ritus colendi Deum et cœlites suos, quam tu imprudens et nescius, (nam quoad licet, et valeo tuam temeritatem minuere magis quàm augere cupio) subruere tentâsti, erroris atque præposteræ pietatis arguendo militantem in terris ecclesiam, quam S. Apostolus Paulus credidit esse "columnam Dei vivi et firmamentum veritatis" immobile; nutare nescium; erroris expers; sinceræ veræque pietatis magistram; falli unquam vel fallere inscientem: Deo per omnia placentem; judicio, affectu, cultu, artibus, doctrinâ, persuasione eidem maximè conformem. Cæterum satis, jam habeo, et habet, nisi fallor, cautus quisque et cordatus scriptorum tuorum Catholicus lector, quid de te, de tuis libris, de tuo sensu adversus ecclesiam et sanctos suos; quid de fide tuâ in scribendo, quid de immoderato tuo mordendi et obloquendi, quibuscumque tuo affectui ingratis affectu, sentiat; ut jam nemini meritò mirum adeò videri debet, te stylum et linguam tam livore sævisse in miseram Ibernorum gentem et sanctos, qui ausus es in cælum cælitesque ponere os tuum, et ecclesiam Dei sugillare de inscitiâ, errore, indiscretâ devotione; et e catalogo sanctorum voluisti expungere pro tuo arbritrio, quos Deus in Iberniâ elegere sibi fuit dignatus. O! quàm vellem cognosceres, affectum tuum illum in Ibernorum nationem, qui a te expressit blasphemias in ecclesiam sanctam et cœlites, quos colit, non fuisse profectò a spiritu, vel sancto, vel veritatis, vel bono sed aliunde et ab alio, qui amat non quæ Christus. Christus enim odio habet efferentes de suo sensu, sententias supra cæterorum omnium, supra ecclesiæ, et indignè fert qui quicquam honoris, auctoritatis, reverentiæ detrahit militanti eidem suæ ecclesiæ vel sanctis, quos ipsa in honore habet. Multò autem minùs dignè fert, qui ecclesiæ contumelias irrogant, ignorantiæ, erroris, indiscretæ religionis in colendis tanquam sanctis et cœlitibus, quos Christus ecclesiæ sponsus et in omnibus rector atque magister, pro maledictis habet et addictis dudum et ob ipsorum malefacta, diabolo et inferorum pœnis. Se ut aliquando cum istâ in ecclesiam jactatâ a te contumeliâ finiam, te judice, (qui ais ipsam errare in colendis sanctis Ibernis, præsertim qui episcopi et prælati fuerunt,) etiam in hodiernum usque diem errat ecclesia Romana* quæ in suo Martyrologio ex sanctis Iberniæ nominat et veneratur: ad 16 Januarii Sanctum Fursæum, de quo Beda mira refert, et quâ repleverit evangelicâ prædicatione Iberniam, Angliam, et Galliam, ubi quiescit in pace; ad 18 Januarii S. Deicolam discipulum Columbani, verbi Dei in Galliâ, ubi et obiit, insignem præconem; et ad 17 Februarii S. Fintanum Scotiæ veteris, sive Iberniæ egregium et evangelicum prædicatorem; ad 17 Maii S. Patritium (quem unicum tu lau-

* Ut taceam aliarum provinciarum particulares ecclesias, et earumdem sanctilogia postea producenda a me in apertum.

das, Gyralde); ad 18 Mart. S. Frigidianum episcopum et patronum Lucensis in Italiâ; ad 20 Mart. S. Cutbertum episcopum Lindisfarnensem in Angliâ, cujus indefessos in seminando Dei verbo labores, docebit te Beda: ad 27 Mart. S. Rupertum, episcopum Novicorum ac apostolum Bavariæ in Germaniâ. Ad 5 April. S. Tigernacum, episcopum et insignem præconem evangelii: ad 6 April. S. Celsum, archiepiscopum et primatem Armachanum in Iberniâ, qui ipse eodem quo tu Gyralde vivebas seculo vixit, quem a S. Bernardo in vitâ Malachiæ, si nosse cupis, cognosces summis laudibus ornatum; ad 1 Maii S. Asaph, episcopum; ad 8 Maii S. Wironem, episcopum, et S. Cathaldum patronum Tarentinum in Italiâ, prædicatorem verbi divini eximium; ad 15 Maii, S. Dympnam, virginem et martyrem (tu Gyralde ais nunquam extitisse Ibernum martyrem, sed expecta dum tibi respondeam pleniùs postea,) et ad 16 Maii S. Brandanum quo vix parem evangelii prædicatorem invenias; ad 9 Junii S. Columbam abbatem, qui quantus fuerit in convertendis ad Christum gentibus, dicet tibi Beda et alii. Ad 1 Junii S. Rumoldum episcopum Dubliniensem, in Iberniâ, martyrem (en tibi, Gyralde, vel ex Romano sanctilogio alterum martyrem Ibernum, et plures statim audies.) Ad 8 Julii S. Kilianum, episcopum et martyrem, et apostolum Franconiæ, in Germaniâ, cum duobus sociis Ibernis Colonato et Totnano martyribus (en tibi novos tres martyres, Gyralde): ad 11 Julii S. Hildulfum, archiepiscopum Trevirensem in Germaniâ, filium regis Iberniæ. Ad 14 Julii S. Vincentium (antè dictum Malitegarum) filium regis Iberniæ et patronum multis Belgis. Ad 17 Julii S. Fredegandum, beatum illum, inquit Molanus, prædicatorem. Ad 21 S. Arbogastum, episcopum Argentinensem in Germaniâ. Ad 30 Augusti S. Fiacrum, filium regis Iberniæ, et patronum Peronæ, apostolicum prædicatorem in Galliâ. Ad 31 Augusti S. Aidanum, episcopum Lindisfarnensem, qui qualis quantus vir fuerit, et quàm multos populos ad Christum converterit, dicit tibi Beda. Ad 3 Septemb. S. Mansuetum in Galliâ episcopum, et apostolum Tullensium in Galliâ. Ad 9 Septemb. S. Keranum (qui et Queranus) cujus tanquam divini prædicatoris in Iberniâ fit mentio in vitâ S. Columbæ apud Adamnanum, in Henrico Canisio tom. 8 antiquarum lectionum. Ad 11 Oct. S. Canicum Abbatem et egregium concionatorem in Iberniâ, ut disces ex Adamnano in vitâ Columbæ. Ad 13 Octob. S. Colmannum martyrem (en tibi sextum ex Romano, martyrem Ibernum) in Austriâ Germaniæ. Ad 14 Octob. S. Eliphium martyrem (ecce martyrem, Gyralde.) Ad 16 Octob. S. Gallum abbatem et apostolum Sueviæ et Helvetiæ in Germaniâ. Ad 21 Octob. S. Ursulam cum tot millibus martyribus (en tibi tot martyres, quas Ibernicas natione fuisse, ne dubita, si verum velis audire.) Ad 18 Octob. S. Mononem, martyrem, quem cognosces ex Molano. Ad 19 Oct. S. Ethbinum. Ad 2 Novemb. S. Malachiam, episcopum et primatem Armachanum in Iberniâ, qui tuo seculo, et vivente te, Gyralde, vixit. Num fuerit

episcopus, prælatus, et prædicator unus, ex maledictis illis quos tu finxisti, disces ex S. Bernardo. Ad 7 Novemb. S. Florentium, episcopum et patronum Argentinæ in Germaniâ. Ad 12 Novemb. S. Livinum, archiepiscopum Iberniæ et martyrem (vis martyres plures) in Belgio, cujus inter patronos recensetur. Ad 14 Novemb. S. Laurentium, archiepiscopum Dublinensem, qui te vivente et vidente, fuit malè habitus a tuo, cujus egisti adulatorem, Henrico II. rege Anglorum. Sed longè ferius et crudeliùs fuit tam ipse quàm ejus civitas, et cives Dublinenses habiti, a tuis patruis, fratribus, cognatis, affinibus, qui sancti viri animam ad amaritudinem perduxerunt et stragem, captivitatem, cædes, incendia, et infinitas miserias, civibus et toti patriæ illius illatas a tuorum tyrannide, coegerunt oculis suis videre. Ad 15 Novemb. S. Macutum qui et Maclovius, episcopum et prædicatorem insignem et patronum minoris Brittaniæ, in Galliâ. Ad 21 Novemb. S. Columbanum, de quo, an et quantus fuerit prædicator, interroga Galliam, Germaniam, Italiam, Iberniam, et ejus vitam a B. Jonâ abbate scriptam et descriptam a Laurentio Surio. Ad 16 Decemb. S. Beanum, episcopum Iberniæ. Cæterum hic nunc sisto a numerandis ex Romano Martyrologio pluribus, quàm istis quos numero quadraginta nominavi sanctis Ibernis, episcopis, prælatis, prædicatoribus, virginibus, confessoribus, martyribus quos colit Romana ecclesia, et spernit (nisi palinodiam bonam canere velit) Cambrensis noster. Qui tamen alios multos Iberniæ sanctos, quos nominat et miracula, recenset ut Dominicum, Natalem, Kevinum, (qui et Cœmanus) Colemannum, Nannannum, Finnanum, Ivorum, Brigidam virginem, Maidocum, Finabarum, Lucherinum, Fechinum, Kennacum, Piranum, (ut taceam Brandanum et Beanum de quibus Romanum Martyrologium) sed non sine dente et morsu valedicit illis, et ut videtur blasphemè vellicat. En ipsa quæ describo Gyraldi verba in 2 distinctione Topographiæ, caput 55 et ultimo, cujus titulus ita habet, "quòd etiam sancti terræ istius," Iberniæ, "animi vindicis esse videntur;" deinde pergit: "hoc autem mirabile mihi et notabile videtur, quòd sicut nationis ejus homines hâc in vitâ mortali, præ aliis gentibus impatientes sunt et ad vindictam præcipites,* sic et

* Videlicet quòd impatientes essent servitutis quam vestri fratres, patrui, cognati, et reliqua manus prædonum, quam coegerant, voluerant cervicibus Ibernorum injicere, eosque libertate, regibus propriis, et patriâ tyrannicè privârunt: et præcipites fuerunt Iberni ad vindictam, quia resistere voluerunt suis hostibus, a quibus justam vindictam expetierunt! Sed, O Gyralde, qui pro affectu scribis, audi quàm aliter de Ibernorum gente scribat, qui te vivente floruit in tuâ Angliâ, Gulielmus Malmesburiensis, lib. 1, de gestis Anglorum regum, cap. 3, dicens: "idem Egfridus (rex Northumbrorum in Angliâ) in supplices protervus, quo morbo, nullum Tyrannorum carere videas, Ibernense genus sanè hominum innocens, genuinâ simplicitate, nihil unquam mali moliens, vastâ clade protrivit. Et Henricus Huntintonensis tibi, O Gyralde, notus Anglus, sic inquit lib. 4 suæ historiæ paulo post principium: miserat namque Egfridus (rex Anglorum) in Iberniâ ducem Beretum cum exercitu, qui miserè gentem innoxiam, et nationi Anglorum semper amicam, vexârunt. Ex his major et melior testis, qui familiarissimus fuerat Ibernis, venerabilis Beda lib. 4

in morte vitali, meritis jam excelsi præ aliarum regionum sanctis, animi vindicis esse videntur.* Nec alia mihi ratio quærentis, hujus occurrit, nisi quoniam gens Ibernica castellis carens, prædonibus abundans, ecclesiarum potiùs refugiis quàm castrorum municipiis et præcipuè ecclesiastici viri seque suaque tueri solent, divinâ providentiâ simul et indulgentiâ, gravi, frequentique animadversione in ecclesiarum hostes opus fuerat, ut et sic ab ecclesiasticâ pace, impiorum pravitas procul arceatur, et ipsis ecclesiis ab irreverenti populo (quàm durus in istum populum sis semper, O Gyralde) debita veneratio vel serviliter exhibeatur." Itaque, te judice, sancti Iberniæ, jam cœlorum indigenæ, et induti mansuetudinem Agni et Christi Dei, quorum perpetuo consortio conversantur, præ aliis cœlitibus civibus omnibus, sunt animi vindicis, in iram et vindictam proni. Ego sanè si tantumdem dixissem de ullo sanctorum qui vel cœlum vel terras incolit, putâssem me irreverenter ac saltem ad speciem blasphemè esse locutum. Sed adhuc alibi pergis, et in Topogr. 3 distinct. cap. 33, ita scribis: "hoc etiam non prætereundum puto, quòd campanas bajulas, baculosque sanctorum in superiore parte recurvos (id est pedum pastorale prælatorum) auro vel argento vel ære contectos, in magnâ reverentiâ tam Iberniæ, quàm Scotiæ, quàm Walliæ, populus et clerus habere solent; ita ut sacramenta super hæc, longè magis quàm super evangelia, et præstare vereantur et pejerare: ex vi enim quâdam occultâ, et eis quasi divinitus insitâ, nec non et ex vindictâ, cujus præcipuè sancti illi appetibiles esse videntur (quin verò potiùs credamus, te vellicatorem sanctorum, et præcipuè videri appetentem maleloquentiæ in sanctos et alios), plerumque puniuntur contemptores, et graviter animadvertitur in contemptores." Eadem penè ad verbum repetit, Gyraldus lib. 1 Itinerarii, cap. 2. Si tuis auribus non malè sonent de cœlitibus audire quòd ad iram sunt proni; quòd animi sunt vindicis, quòd præcipuè sint appetibiles vindictæ, quòd hæc omnia ipsis conveniant ex vi quâdam occultâ, et quasi divinitus eis insitâ; dic sincerè num auribus vestris si piæ, si Catholicæ, si religiosæ fuerunt, pessimè sonarent, si dicentem quempiam audires, Deum ipsum et unigenitum ejus, Jesum Christum, ad vitam jam in cœlis regnantem (aut verò etiam cùm nobiscum mortalis viveret) esse pronum ad iram, animi esse vindicis, appetibilem vindictæ, hoc ipsi competere, vi quâdam occultâ, et quasi eidem innatum? Christianum animum ullum sui compotem, non facilè credam in asperas

Historiæ Anglorum cap. 24. "Egfridus misso in Iberniam cum exercitu, duce Bereto, vastavit gentem innoxiam, et nationi Anglorum semper amicissimam, ita ut nec ecclesiis quidem aut monasteriis manus parceret hostilis, &c. Istis enim Gyralde tantis non de trivio testibus, potiùs quàm tuis in Ibernos perpetuis convitiis credendam est. Sed pergo texere tua reliqua in cap. 55 tuæ Topographiæ distinct.

*** His, ipse aliquâ ex parte contradicis cùm in tui Itinerarii lib. 2, cap. 7, ista scribas: "sicut natio Ibernica, nec non et Cambriæ præ aliis gentibus præcipites in iram atque vindictam, in vitâ proni reperiuntur, sic et in morte vitali, terrarum earumdem sancti, præ aliis, animi vindicis esse videntur."**

ejusmodi loquendi formulas eruptum fore, et necesse est tamen in illas erumpat, de Deo voces, et de Christo, qui non veretur de cœlitibus efferre quod Gyraldus: nam perinde, imo pejus sonat si dicas Deum vel Christum suis cœlitibus impertiri (quid verò habent quod non referant Christo acceptum a Deo) ut sint animi vindicis, appetibiles vindictæ, proni ad iram, quàm si loquaris Deum pronum ad vindictam, ad iras et animum vindicem: nam in istis et in ejusmodi rebus locum non incongruè videtur habere vulgatum verbum, "in malis et mali speciem præ se ferentibus, pejor est conditio auctoris quàm actoris, pejor qui facit, quàm qui habet animos ad vindictas pronos." Sed mitto te nunc, mi Gyralde, qui cauti tui lectoris Catholici judicio fecisti tibi nomen et quidem grande et magnum, sed non bonum, qui de bonis et Dei sanctis, de Dei ecclesiâ militante, malè videris et sensisse et scripsisse. Neque mordes tantùm, minuis que honorem sanctorum Iberniæ, quos reverenter colit ecclesia, sed et dentem non abstinuisti ab Augustino Anglorum apostolo et apostolicæ sedis legato, viro sanctissimo miraculis in vitâ et morte corruscanti, et ad convertendos ad Christum Anglo-Saxones misso a B. Gregorio Magno papâ. Quem Augustinum in sanctorum cathologum ab ecclesiâ Romanâ relatum tanquam apostolicæ sedis legatum, sedentem in sellâ, quòd non assurrexerit adventantibus in se Britonibus, (tum schismaticis, sed jure et mandato Gregorii Magni, subjectis eidem Augustino tanquam legitimo archiepiscopo et legato apostolico,) disertis verbis Gyraldus lib. 2, cap. 1, sugillat ut hominem "Romani fastûs," et in testem citat Bedam in Historiâ Anglicanâ, ubi tamen nihil, nisi quod facit ad laudem viri beatissimi refert, et in lib. 2 ejusdem historiæ, cap. 2, tantùm scribit Britones sive Cambrenses illos, qui post visa miracula Augustini refractoriè renuebant agnoscere ipsum pro suo archiepiscopo, superbæ et fastuositatis contumeliosè notâsse eumdem, qui patienti et humilitatis Christianæ affectu ferens injuriam sibi allatam, leniter et veraciter prædixit adversariis Britonibus, Deum per gentem Anglorum vindictam de illis sumpturum, quòd mandatis Gregori Magni et apostolicæ sedis parere renuerint. Quod et paucis annis post Augustini mortem accidisse narrat fusiùs Beda, lib. et cap. antè notatis. Claudo caput istud revocans Gyraldo in memoriam, an cum istis contumeliis in ecclesiam et in sanctos consentiat votum (a me descriptum initio capitis hujus) ab ipso Diis nuncupatum in hæc verba: "ita me Dii amabilem præstent, ut nihil in libello apposuerim, cujus veritatem vel oculatâ fide, vel probatissimorum et authenticorum comprovincialium virorum testimonio cum summâ diligentiâ non elicuerim. Sed pergo ad cætera tua, Cambrensis, cui timeo ne vindictam eorum, quos tu pronos ad vindictam, animi vindicis, et appetibiles iræ exercendæ esse aiebas, aliquando severam senseris.

CAP. III.

Refellitur mendacium Gyraldi, spargentis neminem ex sanctis Ibernis fuisse martyrem Christi.

DESCRIPSI capite præcedente, quæ Gyraldus mordaci stylo scripserat, cap. 28, 29, 31 suæ tertiæ distinctionis, et cap. 55 suæ secundæ distinctionis, adversus gentem sanctosque Dei Ibernos, et militantem Christi ecclesiam. Summatim ad quatuor capita revocari posse videntur, quæ prolixiùs ille persequitur: "Quòd omnes sancti terræ istius (Iberniæ) confessores sunt et nullus martyr, nec in illâ fuerit unquam inventus qui hoc bonum faceret, non fuit usque ad unum," ut loquitur, cap. 28. tertiæ distinctionis: "quòd a tempore S. Patritii nullus episcopus unquam," usque ad dies Gyraldi "fuerit bonus prælatus aut episcopus Ibernus: quòd gens et populus Iberniæ ab iisdem S. Patritii diebus usque ad Gyraldum fuerit crudelissima, sanguinaria, in fide christianâ semper tepidissima, gens omnium gentium in fidei rudimentis incultissima, moribus spurcissima, malitiosa, fallax, perjura, et flagitiis omnibus involutissima, ut inquit in tertiâ distinctione,* "Quòd sancti Iberniæ præ omnibus cœlitibus sint proni ad iram, animi sint vindicis, appetibiles vindictæ, et quòd militans in terris ecclesia Christi erret in illis agnoscendis et colendis tanquam sanctis." De postremo capite satis videmur dixisse antea, cætera vix pauca attingemus, quæ cùm graves injuriæ esse videantur in universam gentem, olim de re christianâ et penè Europâ totâ, ut audies in loco, si velis lector, benè meritam, non facile sunt præmittenda silentio, ne nostrum silentium quispiam consensum cum Gyraldo interpretetur. Nunc tantùm in tertio isto capite nostro, videndum est nobis, an verè dixerit, an verò etiam contra testimonium conscientiæ suæ, et aliorum penè innumerabilium testium non de trivio, sed de præcipuis ecclesiæ Dei scriptoribus et historicis, sparserit, nullum unquam, ne vel unum martyrem, tulisse terram Iberniæ. Assertionem suam modis omnibus conatus Cambrensis confirmare, loco palmarii et irrefragabilis argumenti refert, quod cap. 32 tertiæ distinctionis, inseruit his verbis: "cùm igitur hæc et hujus-

* Cap. 10, 19, 21, 22, 24, 25, 28.

modi (de spurcitiis et enormitatibus Iberniæ et errore ecclesiæ militantis, quæ sanctos Iberniæ colit) Mauritio Cassiliensi Archiepiscopo, viro litterato et discreto,* coram Gyraldo ecclesiæ Romanæ clerico, tunc ad partes illas legationis cujusdam vice transmisso,† aliquando objecissem et de tantis terræ illius enormitatibus in prælatos præcipuè culpam refunderem, validissimum inde argumentum sumens, quòd nullus unquam in regno illo pro ecclesiâ Dei martyrii coronam adeptus esset, obliquè satis et ad hominem solvens non ad orationem, respondit! Verum est inquiens, quia licèt gens nostra barbara nimis et inculta esse videatur, viris tamen ecclesiasticis honorem magnum et reverentiam semper exhibere solebant, et in sanctos Dei nullâ occasione manum extendere. Sed nunc in regnum gens advenit (nempe Anglorum, qui tyrannicè invaserunt et occupaverunt Iberniam) quæ martyres et facere novit et consuevit‡ et modò Ibernia sicut et aliæ regiones martyres habebit."

Promiseram, paucis et plenè satisfacturum me cauto et catholico lectori tuo, Gyralde, et convincere, te scienter fallere voluisse librorum vestrorum lectores, et scienter videri voluisse, multis rebus obscurare nomen et nationem Ibernorum: quæ an consentanea sint caritati et sinceritati christianæ, tu videris? En ordior liberare fidem datam; ais, ne vel unum verum Christi martyrem visum aut auditum fuisse in Iberniâ, aut ex Iberniâ; quam, ut tu nosti et scripsisti, veteres vocabant "Scotiam veterem," sive "majorem" aut non rarò "Scotiam" absque addito. Si mens tibi fuisset, vel tua verba sic indicâssent, in Iberniâ, vel ex Iberniâ nunquam prodiisse martyrem, cujus carnifex aut carnificis adjutor vel auctor homicidii sacrilegi fuisset natione Ibernus, fermè tibi per omnia concessum; cùm neminem, nisi unicum, eumque regem Iberniæ, in Iberniâ die sancto Parasceves in templo orantem, martyrem fuisse ab Iberno sacrilego factum legerim, ut postea audies; sed, cum aliâ te mente locutum fuisse, satis tua verba probent, audi Gyralde, vera, quæ non vis, qui dixisti falsa quæ volebas. Non negabis, eisdem sæculis et annis pueritiæ tuæ, vixisse senem et sanctum Bernardum Clarevallensem abbatem, qui nemini penè universæ Europæ fuerat illo seculo ignotus, vir tantæ sanctimoniæ, sapientiæ, apostolici zeli, qui columna fuit ecclesiæ laborantis gravissimo schismate ac turbis, quas divinus Bernardus fermè solus sedaverat, et pacem toti reipublicæ christianæ restituerat. Mortuus fuit tandem anno salutis 1153 et tu paulò post annum 1170 designatus fuisti pædagogus Joannis, filii Henrici II. Anglorum regis, neque sanè te latere potuerunt libri et scripta pub-

* Laus Deo, Gyralde, qui tandem aliquando nominas unum bonum Iberniæ episcopum!

† Urbano III. papa circa annum salutis 1185.

‡ Allusio ad martyrium S. Thomæ Cantuariensis, ante tredecim ferè annos in Angliâ, per Anglos, culpâ Henrici II. regis Anglorum peractum, et ad aliorum in Angliâ martyrium.

lica S. Bernardi, quæ tanto erant in prætio apud omnes, et meritò, ut nulla ferè aut nullius sancti, vel docti et sapientis scripta, avidiùs unquam terrarum quærebantur, legebantur, quàm Bernardi. Te verò minimè omnium latere potuerunt, qui et pestilentem tuum librum sub nomine Speculi Ecclesiæ, et contra Cistercienses monachos, ex instituto adversus filios religiosos instituti B. Bernardi scripsisti. Te minimè latuerunt, qui helluonem librorum te vocas, et undique et ubique et totâ tuâ vitâ ut ipse fateris, quærebas, versabas omnium de quovis argumento libros et monumenta. Ergo quare dissimulâsti quæ apud S. Bernardum in vitâ B. Malachiæ episcopi Iberniæ (mortui non integro ante Bernardum quinquennio) legisti? ubi videbas copiosè narrata de gente Ibernorum, de sanctis eorumdem, de episcopis, prælatis, quæ de verbo ad verbum damnant quæcumque ferè in tuis adversus Ibernos, Ibernorum sanctos, mores, doctrinam, constantiam in fide catholicâ, pietatem per plurima sæcula. Hic tibi, et cognoscere te cupientibus, Gyralde, repræsento fragmentum Bernardi, in vitâ Malachiæ, "Benchor nobilissimum in Iberniâ monasterium sub patre Congello,* (de quo in vitâ ejusdem Columbani apud Surium,†) multa millia monachorum generans, multorum monasteriorum caput; locus verè sanctus fecundusque sanctorum, copiossissimè fructificans Deo, ita ut unus ex filiis sanctæ illius congregationis, nomine Lucanus, centum solus monasteriorum fundator extitisse feretur. Quod idcirco dixerim, ut ex hoc uno conjiciat lector, quàm ingens reliqua multitudo sanctorum. Denique ita Iberniam, cæterasque regiones Scotiæ (novæ sive minoris) Angliæ repleverunt genimina ejus, ut ea potissimum tempora, Davidici illi versiculi prævidisse videantur, " visitâsti terram et inebriâsti eam, multiplicasti locupletare eam, flumen Dei repletum est aquis; parâsti cibum illorum, quoniam ita est præparatio eorum, rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus, in stillicidiis ejus lætabitur germinans," et cæteri versus qui sequuntur. 'Hæc modo in præfatas.' Sed etiam in exteras regiones, quasi inundatione factâ, illinc se agmina sanctorum effuderunt, ex quibus ad has nostras Gallicanas partes, Columbanus,‡ accedens, Luxoviense construxit monasterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnam fuisse, ut sibi succedentibus vicissim choris, continuarentur solemnia Divinorum, ut ne momentum quidem diei aut noctis vacuerint a laudibus. Hæc de antiquâ sint dicta gloriâ Benchorensis monasterii, in quo multa corpora sanctorum dormierunt, ut taceam illa quæ in pace sepulta

* S. Columbani Luxoviensis in Galliâ, et Bobiensis in Italiâ, magistro.

† Tom. 6, ad 21 Novemb.

‡ Cogita Cambrensis, istum, post S. Patritium, qui obiit anno salutis circiter 493, migrâsse in cælum anno Christi 613 aut 615, ut vel hinc, si cætera deessent, palpare queas mendacium tuum, quo asserebas a morte Patritii ad tuos usque dies, nihil uspiam boni, nihil pii, nihil ferè Christiani, visum in Iberniâ aut ex Ibernis prodiisse.

sunt, ferunt nongentos simul uno die a pyratis occisos;" nempe a paganis et ethnicis Normannis, Danis, et Norwegis, qui tempore circa annum salutis 800 et sequentes multos, furore diabolico sævientes in Christum et christianum nomen, latè vastabant ac depopulabantur Germaniam, Galliam, Belgium, Angliam, demoliebantur sanctorum templa, sacerdotes ad altare sacrificantes trucidabant. Audisti Gyralde: Bernardum vel hoc loco testari in Iberniâ uno die, in eodem monasterio nongentos monachos a paganis factos fuisse martyres Christi, et tu, lecto Bernardo, cui nisi duro corde esse maluisses, fidem denegare nequiebas; scripsisti, dixisti, quòd nullus unquam in Iberniâ, nullus unquam "sanctus Ibernus fuerit christi martyr ne vel unus." Nempe jam vides, si oculos habes, me verum de te dixisse, quòd sciens fefellisti et corde conscio mendacia de Ibernis, ore et calamo provulgâsti. Vis aliunde quàm ex S. Bernardo tibi noto, convincam te conscientiâ contradicente negâsse dictis et scriptis martyres multos fuisse Ibernos. Tecum et annis tuis in Angliâ vixit historicus Anglus, fortasse de facie tibi notissimus, certè libris, Gulielmus Malmesburiensis, qui inter alias, suam historiam, ut nominat Novellam, perduxit usque ad annos Henrici II. Anglorum regis, cujus expressam fecit mentionem lib. 2, non longè a fine; alia hujus scriptoris opera legisti, inde et collegisti (scio quod loquor, et cognoscet quisque tuos libros, conferens cum Malmesburiensi) non pauca. Ergo cur dissimulas te legisse quæ Malmesburensis lib. 2, de Gestis Anglorum pontificum et de episcopis Wallensibus scripsit, in hæc verba: "Subsecuti sunt magistrum (S. Patritium Iberniæ apostolum) Indractus Ibernensis regis filius (cujus indole nihil dulcius, nihil sanctius) et septem,* comites illius terræ spectabiles. Quos ibidem (Glastoniam in Angliâ) irruentibus latronibus cæsos in martyres credula consecravit antiquitas? Et potuisses, Gyralde, ea tacere quæ in alio libro integro, quem Malmesburiensis de S. Indracto martyre et sociis provulgavit, legisti, S. Indractum, nimirum, filium regis Iberniæ, cum suâ sorore Drusâ, et novem nobilibus Ibernis aliis, pietatis causâ, peregrinationem Romam versus instituisse circa annum salutis 508, animo tamen etiam priùs obeundi cætera loca celebria et sancta, quæ in itinere tanto noverunt fuisse non pauca. Cùmque ex patriâ simul profecti fuissent in Angliam, et famâ sanctitateque notissimam ecclesiam Glastoniensem visitare voluissent, ecce ut de improviso, Stapwich non procul Glastoniâ, in sanctos Dei irruunt, impii quidam West Saxones, qui odio religionis sacræ et peregrinationis, Indractum, sororem Drusam et reliquos novem beatos comites, crudeliter cædunt, occisos in campo deserunt, unde eodem die Glastoniæ illata et honorificè tumûlata, sacra eorum cadavera miraculis magnis coruscârunt. Vis etiam, Gyralde, ex Bedâ, quem totum legisti, et frequenter in tuis libris nominas, te falsi convincam? nonne in suo martyrologio ita scripsit Beda ad 8

* Error librarii fuit, qui *decem* debebat posuisse.

Julii: "Octavo idus Julii in pago Austriæ et castro nomine Wurtzbourg, juxta Mænum fluvium, natale S. Kiliani Martyris et sociorum (Colonati et Totnani) ejus, qui de Iberniâ, Scotorum insulâ, venientes, nomen Christi in prædictis locis prædicaverunt, ibique ob confessionem veritatis sub quodam judice Dosberto trucidati sunt, et multis postea signis veri Christi martyres esse claruerunt." Dic, deinceps, Gyralde, non fuit unquam ullus, non fuit usque ad unum, sanctus Ibernus martyr, nullus a diebus S. Patritii, prædicator evangelii Ibernus? Non urgebo te testimonio Romani martyrologii, unde superiùs tibi nominavi, saltem novem martyres Ibernos. Primam per quam elabaris viam invenies et dices, te non legisse martyrologium Romanum, quod hodie in usu est, sed tamen sine dubio versasti, quæ in 6 tom. antiquæ lectionis, inseruit Henricus Canisius, martyrologium Rabani, qui floruit circa annum salutis 856, et martyrologium Notkeri, qui vixit circa annum 912. In quo utroque martyrologio idem quod Beda scripsit de martyribus Ibernis Kiliano et sociis vidisti. Et verisimile videtur te vidisse opera Walafridi Strabi (mortui circa annum salutis 850) ex quibus est libellus metricè scriptus apud Henricum Canisium tom. 6, antiquæ lect. de vitâ et morte beatissimi martyris, præsbyteri, et unigeniti regis Iberniæ, nomine Blathmac, ad altare dum offeret sacrificium missæ, crudelissimè in odium christiani nominis trucidati a paganis pyratis Danis, qui infestabant et vastabant parvam sed sanctam illam et in veterum scriptis celebrem insulam Hi sive insulam Ionæ seu S. Columbæ: quæ a littore Iberniæ septentrionali vix duarum horarum navigatione distat in oceano versus hodiernam regionem Scotorum. Vix dubito quin legeris in chronico Sigberti (qui 40 circiter annis ante mortuus fuit, quàm tu Gyralde natus esses) ad annum salutis 833 hæc verba. "Sanctus Livinus Episcopus (cujus mentio in martyrologio ad 12 Novemb.) in Braibanto ab impiis occiditur: et annum 1007 Gandavi, adventus corporis S. Livini, Hibernensis archiepiscopi et martyris piissimi 16 kal. Septemb. ex villâ Holthem. Credam te non legisse opera S. Bonifacii, natione Angli, Archiepiscopi Moguntini, et apostoli Germaniæ, martyrio coronati, anno salutis 755? Ibi vidisti, quis, cujus, qualis, fuerit Livinus martyr, an, quantos, et quales habuerit olim Ibernia, et ex se ad nationes externas miserit sanctos episcopos, confessores, martyres, prædicatores evangelii. Adjunctam epistolis Bonifacii editam a Nicolao Ferario invenis vitam Livini episcopi martyris, prædicatoris Iberni, scriptam a Bonifacio; nec dubito quin Chronicon Mariani Scoti (qui obiit anno salutis 1086) vestro ævo celebratum et ubique lectum, videris, et in eo ad annum Christi 1014 ista legeris, "Brienus (qui et Barnabas) rex Iberniæ 8 cal. Maii in parasceve paschæ 6 feriâ, in templo, mente et manibus in Deum intentis, necatur a nefariis qui pietatem sancti regis exosam habebant." Ergo cùm ex tantis testibus tibi satis notis constat, saltem 916 fuisse Ibernos ante te natum martyres Christi, quo quæso spiritu actus fuisti adeò audacter

asseverare in dehonestationem Christianæ gentis Ibernorum, eos adeo fœdis semper fuisse moribus, semper tepidos in fide, semper in rudimentis Christianæ religionis ac fidei (a tempore S. Patritii) incultos, ut nunquam meruerint habere martyres, nequidem vel unum. Putas te actum spiritu veritatis, an vertiginis vel minùs benevolæ propensionis in nomen et nationem Ibernorum! quam, nunquam ab ipsâ læsus, ubique graviter quoad valebas læsisti; nomen famamque malam eidem conflâsti contumeliis, conviciis, et dicteriis creberrimis, plus quàm bonum Christianum decet, afflixisti. Quòd si Gyraldum convincere falsi vellem ex authenticis aliis libris, quos ipse fortassis non viderat, vix facerem finem. Volumen non modicum edere cogerer, si singula quæ de tot quot supersunt adhuc martyribus Ibernis dici possint recensere aggrederer, non recensens quæ parum probabilia videri possunt prudenti et benevolo lectori, qui ut ante monueram, audivit ex ore S. Bernardi Clarevallensis (cui testi quis nisi imprudens fidem deneget) vel ex uno monasterio Benchorense in Iberniâ prodiisse, "multa millia sanctorum," et examina eorundem, qui quasi "inundatione factâ sese effuderunt, et evangelio repleverunt Scotiam, Angliam, aliasque regiones exteras," ut Germaniam, Galliam, Belgium, Italiam. Hoc loco satis habeo indicare lectori, ex scriptis priscorum probatis didicisse, inter tot sanctorum nomina mihi nota, quos olim Ibernia misit, et colit Germania tanquam proprios patronos, quindecem supra centum, me numerâsse. ex quibus reperio triginta sex martyrum nomina. Inter tot viros sanctos ex Iberniâ missos olim in Gallias, numerâsse me quadraginta quinque, quorum sex martyres nominatos habeo. Inter triginta quos scio (multo plures qui restant nescio) missos ex Iberniâ in Belgium ad verbum Dei prædicandum, novem fuisse martyres. Inter quadraginta quatuor sanctos missos Ibernos ad promovendam salutem æternam Anglorum, tredecim novi esse martyres. Inter tredecim sanctos mihi notos quos Ibernia dederat Italiæ, duos fuisse martyres. Inter sanctos Ibernos missos in Norwegiam et Islandiam, octo fuisse martyres. Inter centum mihi cognitos supra triginta sanctos priscos Ibernos, qui in patriâ obdormierunt in pace, duos tantùm martyres nominatos invenio præter 900, illos anonimos martyres, de quibus scripsit S. Bernardus, nam recentes sanctos martyres tulit Ibernia, postquam Heresiarchæ Lutherus et Calvinus cæperunt suâ peste inficere Europam. Insigniorum nomina nunc tantùm mihi occurrunt decem. Ex Iberniâ olim ad evangelium Christi seminandum in Scotiâ minore seu novâ (quæ ad aquilonem est Angliæ et pars Britanniæ insulæ est, et olim dicta regio Pictorum) missos, novi sanctos circiter viginti septem, quos inter nullum fuisse martyrem constat. Omnia ista alibi a me paulo diffusiùs sunt exposita, neque nunc hoc in loco repetenda, ne tædio sim meo lectori, qui satis jam videt Gyraldum longè a vero abiisse, cùm tóties exaggerat, Iberniam ne vel unum unquam habuisse martyrem Christi.

CAP. IV.

Refutatur calumnia Cambrensis aientis nullum unquam a diebus B. Patritii (mortui circa annum salutis 493) fuisse in Iberniâ bonum episcopum aut prælatum qui prædicatione evangelii aut aliter curaverit corrigere "bestiales," ut ille loquitur "mores et scelera continua gentis omnium gentium semper incultissimæ, in rudimentis Christianæ fidei et honestatis."

Ex quatuor capitalibus calumniis Gyraldi in Ibernos, quas ante recensuimus, duas de blasphemiis (ut videtur) in ecclesiam Dei et sanctos ejus confessores ac martyres rejecimus, restat refellere reliquas duas, quarum unam, quæ mendacium insigne est, negans bonos ullos fuisse a tempore Patritii in Iberniâ prælatos, sed "omnes desides, sui officii et gregis negligentes," improbabilem et imperitam assertionem esse probabimus, hoc loco ex fide meliorum Europæ et ecclesiæ Christianæ testium; nam postremam calumniam de "bestialibus" et perpetuis gentis sceleribus; "moribus, ruditate in rebus fidei Christianæ," sequenti capite ostendam, aliud non esse nisi contumeliam infamem ex ore mendace et mente adversus Ibernorum nomen hostili profectam. Dic mihi, Cambrensis, oro, tibi quæ fuerit mens, cùm cap. 28 et 29, distinctione 3, tuæ Topographiæ dicebas, "a tempore Patritii, per tot annorum curricula (700 circiter annorum) non fuisse in Iberniâ prælatum, qui tanquam tubam exaltârit vocem, et ex adverso ascenderet, et murum pro domo Israel se opponeret, et prædicationi et instructioni, increpationi et correptioni pro officii debito instaret, et prænotatas, inquis, gentis enormitates aliquatenus extirparet, alioqui procul dubio in eis (Ibernis) formam aliquam honestatis et religionis impressisset. Sed non fuit in eis, qui usque ad exilium, non fuit usque ad unum, qui in populo sibi commisso vel extirparet vitia, vel virtutes insereret. Sunt enim omnes pastores, qui non pascere quærunt, sed pasci, prælati qui non prodesse cupiunt sed præesse; sunt Episcopi qui non omen, non onus, sed honorem amplectuntur, sicque seipsos multò graviùs et damnabiliùs, quàm gregem sibi commissum perdunt?" Vis, Gyralde, neque Iberniam edidisse ex se, qui bonum ageret in patriâ prælatum, aut evangelii præconem, neque Iberniam ex se emisisse ad exteras Europæ provincias, bonos animarum pastores, aut verbi Dei, idoneos præcones: prius illud disertis verbis scripsisti, posterius istud satis

apertè insinuâsti, neque minus poteras, priori posito, unde necesse est alterum nasci. Nam quò posset Ibernia, ad exteras nationes "examina" ut utar verbis B. Bernardi, "sanctorum, et præconum verbi Dei præstantissimorum" mittere, nisi ipsa sibi reservaret ad solatium et salutem suam et filiorum indigenarum, qui sufficerent evangelii præcones et prælati præstantes. Neutrum ergo vis, Cambrensis, Iberniam vel sibi bonos prælatos et præcones Evangelicos per tot annorum auricula (ut tu loqueris) reservâsse, vel alios ad alienas nationes Europæ misisse. Omnino vis, neque aliud minus, cùm ais, a diebus Patritii ad tuos, universam gentem Ibernorum adeo altè immersam et involutam omni scelerum, crudelitatum, nequitiarum, fraudum et malitiæ generi, ut neque superiorem, neque parem habuerit uspiam aut unquam in orbe terrarum, sed eò in Iberniam tanquam in sentinam aut voraginem vitiorum atque bestialium morum, mala omnia confluxisse. O! quæ te cæca libido, livor et effrenis furor impulit! ergo ut video, vis credamus fefellisse lectores suos, S. Bernardum nobis narrantem "multa millia sanctorum" et "examina" ipsorum vel uno Iberniæ monasterio (per plurima secula continua post S. Patritiam) prodiisse, et quasi inundatione factâ repleverint regiones exteras præconibus evangelii, prælatis præstantibus, cœnobitis, eremitis, monialibus eximiâ vitæ sanctitate coruscantibus, et addit S. Bernardus aiens: "unus ex filiis sanctæ illius congregationis (cænobii Benchorensis) nomine Lucanus, centum solus monasteriorum fundator extitisse feratur, quod idcirco dixerim ut ex hoc uno conjiciat lector, quàm ingens fuerat reliqua multitudo sanctorum," nimirum qui et patriam suam et provincias alias Europæ repleverint evangelio, instituerint in fide, informârint Christianis moribus et pietate. Quam rem indicans Marianus Scotus in chronico, ad annum salutis 674 (multo post Patritium) ait. "Ibernia Scotorum insula sanctis viris plena habetur; de quâ B. pater Disibodus (cujus mentio in multorum martyrologiis, ut Rabani, Molani, P. Canisii, Arnoldi) episcopatu abdicato, cum plerisque sociis egressus hunc locum, (Moguntia in Germaniâ) inhabitavit et divinis laudibus, hìc se a fidelibus venerari apud Deum meruit. Qualis, quantus, quàm bonus et sanctus fuerit Disibodus et episcopus et evangelicus tum in patriâ Iberniâ, tum in Germaniâ, præco, dicet tibi vita ejusdem, ante dies tuos Gyralde scripta, et post modum descripta a Laurentio Surio ad 8 diem Julii, neque te latere potuerunt quid Bernardus, quid Marianus adversus tua commenta contumeliosa provulgârunt. Sed num mentior, si dicam te veritatem agnitam videri impugnâsse, Iberniam universam te malis artibus dedecorare voluisse; sanctis, bonis viris omni honore privare tentâsse; opprobriis, convitiis, ac honestamentis e stabulo, curru, petitis, conatum te ubique populum, præsules, et quidquid ferè attinebat ad Iberniam, ludibrio lectorum tuorum exponere. Dissimulâsti etiam, ut videtur, quæ in familiari tuo scriptore Beda lib. 2, histor. cap. 3

de Ibernis, legisti his verbis: "Gentes Scotorum, quæ in australibus Iberniæ partibus insulæ morabantur, jamdudum ad admonitionem apostolicæ sedis Antistitis, pascam canonico ritu observare didicerunt.* Exinde (ex Ibernià, veterum Scotorum insulâ et patriâ) cœpere plures, per dies de Scotorum regione venire in Britanniam, vocante Oswaldo, atque illis Anglorum provinciis quibus regnavit rex Oswaldus, magnâ devotione verbum Dei prædicare (audi, Gyralde, Ibernos præcones evangelii) et credentibus gratiam baptismi, quicunque erant sacerdotali gradu præditi, ministrare. Construebantur ecclesiæ per loca, confluebant ad audiendum verbum Dei populi gaudentes, donabantur munere regio possessiones et territoria ad instituenda monasteria, imbuebantur præceptoribus Scotis parvuli Anglorum, unà cum majoribus, studiis, et observatione disciplinæ regularis, nam monachi erant maximè, qui ad prædicandum venerant, etc." Tu verò, veritatis impugnator, Cambrensis, ais, cap. 28 et 29, tertiæ distinct. neque Ibernos ullos a diebus S. Patritii vacâsse instructioni et prædicationi evangelii, vel, "et cùm omnes ferè Iberniæ prælati de monasteriis in clerum electi sunt, quæ monachi sunt, complent omnia sollicitè, quæ verò clerici vel prælati (vel prædicatorum evangelii) prætermittunt universa." Sed pergit Beda lib. 8, cap. 23, inquiens: "Mirâ divinæ constat factum dispensatione pietatis, ut quoniam gens illa (Scotorum indigenarum Iberniæ) quam noverat scientiam divinæ cognitionis, libenter ac sine invidiâ populis Anglorum communicare curavit, ipsa quoque postmodum per gentem Anglorum (sermò erat de S. Egberto Anglo in Iberniâ educato) in eis quot minus habuerat ad perfectam vivendi normam perveniret." Nempe quia B. Egbertus (cujus meminit Romanum Martyrologium) unum ex monasteriis Iberniæ, quod non paucis ante annis errabat, circa legitimos ritus, et tempora paschalis solemnitatis Christianorum, reduxerat ad rectam observantiam et ritus ejusdem festi. Gesta generatim tantùm dicta de præconibus evangelii priscis, sive quos apud se retinuit, sive quos ad exteras nationes miserat olim Ibernia, non dissimulare debebas, Gyralde, te vidisse in Bernardo, Mariano, Bedâ. Deinceps ad confusionem gravis tuæ calumniæ majorem, audire te oportet in speciali, nomina quorumdam ex insignioribus episcopis sanctis et prædicatoribus, quos "per tot illa annorum curricula" (ut tu ais) ex se edidit insula Iberniæ, et partim in patriâ remanserunt, et partim procul ad provincias Europæ plurimas, seminandi evangelii causâ miserunt. Vel in solo Romano Martyrologio ex Ibernis sanctis prædicatoribus et pastoribus animarum, episcopis partim confessoribus, partim martyribus, nominatos video quatuordecem; totidem etiam aut plures præcones evangelicos qui non fuerunt episcopi.

* Sermo erat Bedæ, de bonis moribus, doctrinâ, ritibus piis, catholicæ fidei, ardore inter Ibernos, a diebus S. Patritii, a Cœlestino papâ missi ad illos convertendos, usque ad tempora S. Oswaldi regis Anglorum, martyris facti, anno Christi 642.

Inter multos quos miserat Ibernia, sanctos in Germaniam prædicatores, viginta duo, ego (qui plurimos alios ignoro) numeravi episcopos, supra quinquaginta autem non episcopos, et quos in Galliam destinavit sanctos præcones, episcopos, scio fuisse saltem septem, non episcopos triplo plures et ampliùs. Quos in Belgium episcopos undecim, non episcopos præcones multò plures. Quos dedit Italiæ saltem sex episcopos, et totidem nominatos præcones non episcopos. Quos Anglia saltem episcopos sanctos duodecim, alios inferioris dignitatis prædicatores nominatos supra viginti. Quos recentiori sive Novæ Scotiæ, quæ ad aquilonem Angliæ sita est, numero, ut minimùm viginti septem, partim episcopos, partim alios animarum pastores sanctos. Quos mundo non tantùm edidit. sed et vitâ mortali functos, sepulturæ honore voluit Ibernia afficere. sanctos Dei præcones, recensui ad quinquaginta episcopos, duplo plures non episcopos, præter ingentem multitudinem aliorum, qui de nomine sunt mihi ignoti. Neque est quòd Gyraldus, aut alius malè credulus, nullam vel tardem fidam hisce revera, in se magnis narrationibus accommodet, testante poetâ: "Tarda solet magnis rebus inesse fides," ita est, magno nisi teste probentur aut argumentis magnis. Quorum aliqua, et validissima, quæ vel ab initio assensum extorqueant ad specimen afferam, sed pauca, (ne sim tædio) pro rei dignitate et pro gravitate calumniæ Cambrensis. Sileo vel inde quæ retuli, probabilia videri, quòd universim antea audivimus B. Bernardum "de multis illis sanctorum millibus, examinibus et multitudine maximâ, quæ quasi inundatione factâ sese effuderunt per tot Europæ provincias exteras," quas recenset vir sanctus. Taceo quæ vidimus in Mariani chronico et descripsimus antè, ut et generalia Bedæ testimonia; prætereo universalia verba illa, quæ ex fide priscâ et scriptis descripserat Lucius in vitâ S. Wironis episcopi Iberni, ad 8 Maii, inquiens, "Scotia (de veteri, quæ et Ibernia vocatur, est sermo) fertilis sanctorum insula, et stellarum numerum propè æquans patrociniis sanctorum virorum, producit sanctum Wironem;" cujus meminit Romanum Sanctilogium: neque immorabor in verbis Henrici Huntitonensis (notissimi Gyraldo) lib. 1 histor. multò antè medium, ubi in descriptione Iberniæ insulæ hæc inter alia ait: "mirabili dono Deus hanc ditavit insulam, multitudinemque sanctorum ad ejus tuitionem in eâ constituit," etc. Non multis commemorabo testimonium Gulielmi Camdeni (hostis alioquin Ibernorum et admiratoris Gyraldi) qui in suâ "Britanniâ," loquens de Iberniâ ait: "S. Patritius a Cœlestino papâ tanto successu Christianam religionem per Iberniam propagavit, ut longè maximam insulæ partem ad Christum converterit, et Ibernorum apostoli nomen meruit, et ejus tanti progressus in re Christianâ fuerint, ut subsequenti ætate (audi, Gyralde, qui contradicis) Scoticis monachis, nihil sanctius, nihil eruditius fuerit, et in universam Europam sanctissimorum virorum examina emiserint, quibus Fulda, Germaniæ, San-

gallensis urbs Helvetiæ, aliæque urbes et monasteria originem debent suam," et alibi ait, "Primis his temporibus (ab anno salutis circiter 500 aut 600 usque ad 1000 fere) hic in Glastoniæ cœnobio celeberrimo Britanniæ, viri sanctissimi Deo invigilârunt, et præcipuè Ibernici, qui adolescentes et pietate artibusque ingenuis instruebant." Ista universalia argumenta sive testimonia, planè nisi fallor, satis forent ad obstruendum os loquentis iniqua et ad contumelias Cambrensis pro mendacibus habendas, circa prælatos et præcones evangelicos Ibernorum, a tempore S. Patritii usque ad annum salutis 1188, quo suos provulgarât ille, libellos famosos. Cæterum fidem datam me liberare oportet, et specialibus probationibus agendum adversus Gyraldum, quem cogam confiteri se rebellem fuisse lumini sive ut videtur, scienter mentitum in re gravi; faciamque ut lector manu tangat et palpet pede, crassos illius errores. Ais, nullum a diebus B. Patritii fuisse Ibernum, qui pro debiti officio vacaret increpationi aut prædicationi, aut instructioni gentis super gentes omnes, enormis, barbaræ, spurcæ, rudis in rebus omnibus ad fidem et mores Christianos attinentibus, sed omnes, usque ad unum, "pastores aut prælatos non populum, sed semetipsos pascisse, non prodesse voluisse sed præesse," desides super omnia fuisse in suo officio, nullam famam honestatis aut religionis impressisse plebi aut reliquis indigenis; nullum unquam, qui vel usque ad exilium, nedum usque ad sanguinem, se commiserit periculo, pro grege sibi credito. Nosti, Gyralde, aliquem scripsisse: "pudor doceri non potest, nasci potest," et Luciani documentum, quo calumniatores erudiebat, fuisse: "Si mentiaris, unicum medicamentum est impudentia;" et alius: "Quid dicas aut contradicas, non cures, dùm maledicas; et quod lubet loquaris, calumniare audacter, nam semper aliquid hæret." Et tamen, O Silvester, verum, in tuâ lib. 2 Expugn. Iberniæ cap. 23,* scribis dicens: "Intereat† Laurentius Dublinensis archiepiscopus (Iberniæ) vir bonus et justus, ob privilegia in Lateranensi concilio, cui intererat (anno 1179) contra regiæ dignitatis honorem, zelo suæ gentis, ut ferebatur, impetrata Anglorum regi suspectus, et ob hoc tam in Anglicanis quàm in transmarinis Galliæ partibus detentus, tamen apud Augum, Normanniæ castrum 18 cal. Decembris, laboriosum vitæ et viæ cursum felici fine complevit, de quo inter varia miracula, quibus in hoc suo sancto, se mirabilem usque in hodiernum diem ostendit, et hoc, in partibus illis, primum emicuit, &c." Jam habes saltem Ibernum unum, qui, te teste vivente, (credo et oculis sæpe vidente Laurentium) pastor fuit bonus, justus, sanctus, pro grege sollicitus, et pro ipso exilium, etiam usque ad mortem, pertulit ab iniquo tuo Henrico rege, (nam, iniquum, eum appellat Romanum Breviarium in lec-

* Quem eodem anno quo tuam Topographiam scripsisti et dedicâsti Richardo filio Henrici regis.

† Id anno salutis 1181, septennio nimirum ante provulgatos ejus libros.

tionibus officii de B. Thomâ Cantuariense.) Iste est Laurentius, qui ad 14 Novemb. colitur ab ecclesiâ Romanâ, et nominatur in Martyrologio universalis ecclesiæ: fuit filius regis Iberniæ, vir sanctitatis eximiæ, legatus apostolicus ab Alexandro III. papâ constitutus, insignis præco evangelicus, et in vitâ ac morte magnis et multis miraculis clarus, et relatus ab Honorio III. papâ in catalogo sanctorum, ut videbit, qui volet apud Surium, tom. 5, ad 14 Novemb. Tuo seculo, Gyralde, et annis vixit in Iberniâ, S. Malachias ejusdem insulæ archiepiscopus, primas, legatus apostolicæ sedis, qui in cælum migravit anno Christi 1148, 2 Novemb. quo et Romana ecclesia in suo martyrologio colit ipsum. Num et Malachiam, quem dicet tibi et S. Bernardus (quinquennio non integro post illum mortuus), quantus vir fuerit coram Domino, et populis nationum terræ, audebis negare pastorem bonum, sed pascisse se, non gregem, voluisse præesse, non prodesse, non vacâsse prædicationi evangelii, nullam honestatis formam vel religionis impressisse in mentibus aut gentibus Ibernorum, nulla extirpâsse vitia, nullas inseruisse virtutes in patriâ suâ, non se opposuisse murum pro domo Israel, non promptum fuisse pro grege se offerre in exilium, nedum in mortem? Cur dissimulâsti te novisse Malachiam, cujus si vultum non vidisti, certè cognovisti virum ex celeberrimâ, toto tuo seculo, famâ virtutum, sanctimoniæ, apostolicæ vitæ, stupendorum ejus miraculorum plurium, quæ, cooperante Deo, patrârat in Iberniâ, Scotiâ, Galliâ, Italiâ? Non legisti vitam Malachiæ provulgatam a S. Bernardo, cujus universa scripta non est verosimile te latuisse? Nonne tu, Gyralde, fortassis interfuisti, quando, anno salutis 1194 e Clarevallense monasterio in Galliâ, cum ingenti pompâ et pietate fuerunt in Iberniam translatæ reliquiæ, B. Malachiæ et collatæ in Mellifonte, cœnobio ordinis S. Bernardi, ut testantur vulgata chronica ejusdem ordinis; et ausus es nihilominus dicere per tot annorum curricula, id est per 700 fere annos, qui a diebus S. Patritii effluxerunt ad usque tempus tuæ "Topographiæ," et "Vaticinalis Historiæ," (scriptæ primùm vel vulgatæ anno salutis 1188) ne vel unum bonum pastorem animarum vidisse Iberniam, sed ad unum omnes pastores fuisse desides et pessimos, qui se pascebant, non gregem? quàm te transversum agit, aversus ab Ibernis animus tuus, qui ad illos dehonestandos, etiam quæ in oculos tuos incurrebant, et in diebus tuis spectante et stupente universâ penè Europâ Christianâ, mirabilia in salutem et honorem illius gentis per Malachiam fiebant, vel omnino dissimulas, vel facta negas. Nonne de Malachiâ inter plurima vidisti hæc verba apud Bernardum: "Quoniam a terrâ defecit sanctus, videor mihi non supervacuè ex his qui empti sunt de terrâ, revocare ad medium, Malachiam episcopum, virum verè sanctum, et nostrorum quidem temporum singularis sapientiæ et virtutis. Iste erat lucerna ardens et lucens, nec est extincta tamen, sed submota, quis mihi succenset si readmovero eam," &c., si mundo restituam quò dignus reveret mundus,—si servem memo-

riâ hominum, hominem, cujus memoria in benedictione sit omnibus." Et post multa: "erat autem, cùm sacerdos factus esset annorum quasi 25 (anno Christi 1119) nec contentus episcopus, (S. Celsus, qui Malachiam ordinavit) etiam vices suas commisit ei seminare semen sanctum, et dare rudi populo legem vitæ et disciplinæ. Suscepit ille mandatum in omni alacritate, sicut erat spiritu fervens, nec talentis incubans, sed inhians lucris, et ecce linguæ sarculo cœpit evellere, destruere, dissipare, de die in diem factitans prava in directa et aspera in vias planas, exultabat ut gygas ad discurrendum ubique, diceres ignem urentem in consumendo criminum vepres. Diceres securim vel asciam in dejiciendo plantationes malas, extirpare barbaros ritus, plantare ecclesiasticos, &c. Et post multa: "trigesimo ferè ætatis anno, Malachias consecratus episcopus Connerensis," (in Ultoniâ, provinciâ Iberniæ) "Cùm autem cœpisset pro officio agere, tum intellexit homo Dei non ad homines se, sed ad bestias destinatum (cervicosus enim, indocilis, ferus, et nequam erat tum populus ejus diœcesis.) Quid faceret athleta Domini? aut cedendum turpiter, aut periculosè certandum. Sed qui se pastorem et non mercenarium agnoscebat, elegit stare quàm fugere, paratus et animam suam dare pro ovibus, si oportuerit, (audis, Gyralde) an ille se opposuerit murum, an promptus etiam ad sanguinem pro grege offerendum?) et quamquam omnes lupi et oves nullæ, stetit in medio luporum pastor intrepidus, omnimodis argumentosus quamodo faceret oves de lupis," quod et fecit, ut pulchrè narrat sanctus historicus, qui post multa inquit: "anno 36 ætatis Malachiam diu resistentem, S. Malchus episcopus et magister Malachiæ et Gillebertus legatus apostolicæ sedis coegerunt tandem, etiam anathemate intento, ni faceret, et in virtute sanctæ obedientiæ præceperunt, ut pateretur se consecrari archiepiscopum et primatem Iberniæ totius. Quibus respondens Malachias, "ad mortem, inquit, ducitis me, sed obedio spe martyrii, &c." Jam factus primas, iniquissimi quidam principes Iberniæ, insidiantes vitæ beati viri, dolis tentabant ipsum allicere ad colloquium ac tractationem pacis, ut prætendebant. Sed dolum præsentiens vir sanctus, cùm pro grege sibi commisso ire vellet in occursum hostium, sed prohibitus a suis, ne iret ad certam necem, respondit: "Sinite, fratres, sinite me imitari magistrum meum, sine causâ sum christianus, si Christum non sequor; fortè flectam humilitate tyrannum, et si non, vinco tamen exhibens ovi pastor, sacerdos laico, quod mihi ille debuerat. Vos quoque quod in me est, non parum ædifico exemplo tali, quid enim si contingat occidi? non recuso mori, ut vos vitæ ex me teneatis exemplum; oportet episcopum, ut ait episcoporum princeps, non dominari in clero, sed formam fieri gregis, &c. Quis mihi det hanc relinquere filiis signatam sanguine meo? experiemini certè an sacerdos vester dignè satis a Christo didicerit, mortem non timere pro Christo." Et surgens, cœpit ire, flentibus cunctis, ac supplicantibus ne tantùm cupe-

ret pro Christo mori, ut tantam Christi gregem desolatum relinqueret; veriùm ille, totam spem suam ponens in Domino, totâ alacritate perrexit, tribus tantùm comitatus discipulis, paratis mori cum eo, qui, ut calcato limine domûs repentè, se medio tulit armatorum, scuto fidei armatus ipse, concidere facies omnium, qui pavor irruit super eos, ut dicere posset episcopus: qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt. Hoc verbum verum est, videres hostiam stantem, carnifices ferro armatis manibus undique circumstantes et qui immolaret, non erat. Putares stupere lacertos, sic non fuit qui extenderet manum, nam et is quoque qui caput malitiæ videbatur, assurgit ei potiùs quàm insurgit, &c., res mira, pacem offerunt qui necem paraverant; non est quod abnuat qui et vitæ periculo quæsiverat illam; itaque facta est pax, et tam firma, ut ab illâ die, hostem sacerdos non modo pacatum habuerit, sed subditum, sed devotum. Quo audito fideles quique gavisi sunt, quo non modò salvatus sit sanguis innoxius in die illâ, sed et nocentium multorum animæ, Malachiæ meritis evaserint ad salutem. Et apprehendit omnes circumquaque timor audientes, quomodo duos inimicorum ejus qui viderentur fortiores et ferociores in generatione suâ sic subditâ virtute prostravit Deus, istum loquor, qui in manibus est, et eum de quo superius dixi, fulmine, de cœlo tactum cum tribus aliis sceleratis insidiatoribus viri Dei. Et post: "Malachias mirâ triennium redditâ retributione superbis, et libertate ecclesiæ restitutâ, pulsâ barbarie, et reformatis ubique moribus christianiæ religionis," &c. Et alibi, "cessavit duritia, quievit barbaries, (diœcesis Coneretensis) et domus exasperans paulatim leniri cœpit, paulatim correptionem admittere, recipere disciplinam, fiunt de medio barbaricæ leges, Romanæ introducantur, recipiuntur ubique ecclesiasticæ consuetudines, contrariæ rejiciuntur, reædificantur basilicæ, ordinatur clerus in illis, sacramentorum solemnia ritè celebrantur, confessiones fiunt, ad ecclesiam conveniunt plebes, concubinatus honestat celebritas nuptiarum, postremò sic in meliùs mutata omnia, ut hodie (illa scribebat S. Bernardus anno salutis 1150 aut circiter) illi genti conveniat quod Dominus per prophetas dicit: qui ante non populus meus, nunc populus meus." Hæc et plura, scriptor sanctus, in vitâ Malachiæ et in sermone quem habuit in die depositionis ejusdem, et in variis epistolis, tum ad Malachiam adhuc in terris viventem, tum et ad Ibernos quos de morte Malachiæ solatus fuerat ipse Bernardus. Hæc, impudentia calumniæ Cambrensis coegit me descripsisse, qui non solùm novit (etsi noluit fateri) suo seculo in Iberniâ floruisse optimos illos animarum pastores et sanctos Malachiam et Laurentium, (relatos in catalogum sanctorum Romanæ ecclesiæ) sed et novit se apud Bernardum in vitâ Malachiæ, legisse egregia de miraculis, et prædicatione, et pastorali animarum curâ, et sollicitudine aliorum præsulum, cognovit scilicet proximum prædecessorem Malachiæ, Celsum archiepiscopum et primatem Iberniæ, mortuum anno salutis 1128, et in Romano

martyrologio positum ad 6 Aprilis; item S. Malchum episcopum Lismorensem in Iberniâ, magistrum Malachiæ mortuum anno Christi circiter 1134, de quo Malcho inter alias laudes, ita S. Bernardus: "Hic erat senex plenus dierum et virtutum, et sapientia Dei erat in illo, natione quidem Ibernus. Tanta ei desuper collata est gratia, ut non modò vitâ et doctrinâ, sed et signis clareret, quorum dico penè exempli causâ, ut omnibus innotescat qualem in scientiâ sanctorum Malachias habuerit præceptorem." Item dissimulavit Cambrensis agnoscere pro pastore bono et viro sancto, Ibernum nomine Gelasium, discipulum et successorem Malachiæ in archiepiscopali dignitate et officio primatis totius Iberniæ: quem "Gelasium" ait Bernardus, "fuisse virum bonum et dignum tali honore," et ad eum assumptum, "consentientibus et convenientibus regibus, principibus, clero, et populo Iberniæ." De quo Gelasio primate Armachano Iberniæ, ait Cambrensis lib. 1, Expugn. Ibern. cap. 34: ipsum in personâ non interfuisse concilio Cassiliensi ecclesiasticorum Iberniæ (coacto Henrici II. regis Anglorum jussu, anno salutis 1172) "quòd grandœvus esset et corpore imbecilli," sed inquit, "vulgi opinione vir sanctus:" Itaque tibi, Gyralde! S. Bernardus fuit vir vulgaris opinionis de Gelasio, quem fortasse etiam de facie novisti, sed non agnovisti pro pastore bono, quòd esset Ibernus, aut ne vel unum Ibernum vidisset Iberniæ prælatum bonum animarum, a diebus S. Patritii ad extremos tuos. In eodem etiam lib. 1, cap. 34, nominas "Christianum episcopum Lismorensem et legatum sedis apostolicæ," qui præsidebat præfato concilio Casseliensi, et præter nudum nomen ejus ac dignitatem nihil laude dignum de ipso recenses, aut quod bonus pastor esset; cùm tamen in vitâ Malachiæ, legeris ipsum discipulum ejusdem viri sancti, et monachum ordinis S. Bernardi, (contra quem ordinem tu, Gyralde, pestiferum evulgâsti librum) et ab eodem S. Bernardo adhuc vivente in cœnobio Claravellense educatum ad petitionem Malachiæ, tunc præsentis cum Bernardo qui de illo Christiano, multa memoranda, et optimo religiosæ professionis viro digna refert, et vocat eum sanctum; et a se ait missum in Ibernam, ut abbas esset monasterii Mellifontis, unde ab Eugenio III. papâ assumptus est in episcopatum, et dignitatem legati a Latere. Dissimulas etiam, O Cambrensis! te nescivisse alium Ibernum nomine Christianum, fratrem germanum Malachiæ, et episcopum ac pastorem præstantissimum, de quo hæc verba Bernardi legisti in vitâ Malachiæ: "contigit interea (circa annum salutis 1140) novi germanum ejus (Malachiæ) Christianum nomine, virum bonum plenum gratiæ et virtutis. Episcopus erat, illi (Malachiæ) quidem secundus in celebri opinione, sed vitæ sanctimoniâ et justitiæ zelo fortè non impar. Dissimulas te in vitâ Malachiæ legisse de alio ejusdem discipulo nomine Edano (alias Aidano) successore episcopi Christiani, quem Edanum ad officium pastorale, ipse Deus miraculo prævio assumpsit, ut testatur Bernardus, aiens: "sed ne quid imper-

fectum relinqueret, (Malachias) tractare cœpit quomodo defuncti fratris semen suscitaret, et accersitis ad se tribus discipulis suis, anxius æstuabat quisnam dignior ad hoc opus sive utilior videretur, et diligenter intuitus singulos: tu, inquit, Edane, suscipe onus. Illo cunctante et flente: ne timeas, ait, tu enim mihi a Domino designatus es, quia annulum aureum, quo desponsandus es, jam nunc prævidi in digito tuo." Iste est Edanus quem Eugenius III. papa, triennio circiter post obitum Malachiæ, misso in Iberniam legato a Latere, cardinale Joanne Paparone, (quem laudant Bernardus et Baronius) creavit primum archiepiscopum Tuamensem, et concessit pallium unum ex primis quatuor quæ idem cardinalis, jubente Eugenio, secum in Iberniam tulerat, ut unum primati Armachano, secundum archiepiscopo Cassellênsi, tertium archiepiscopo Dublinensi, quartum archiepiscopo Tuamensi daret. Itaque hujus boni pastoris Edani nulla mentio apud Cambrensem, ut neque alterius boni pastoris, et legati sedis apostolicæ, Gilleberti Iberni, sancti senis et in officio legati, immediati prædecessoris Malachiæ, ut ait Bernardus. Neque item facit mentionem Cambrensis, sancti alterius pastoris et episcopi Neemiæ nomine, familiaris et amici B. Malachiæ, quem Neemiam non laudat tantùm S. Bernardus, sed et fragmentum vitæ, viri sanctissimi et in cœlo inter choros angelorum visi, ab eo qui vidit, refert Vincentius Belovacensis in Speculo Historali, scribens de visione Tundali Iberni. Nec meminit Cambrensis illius sancti et docti (ita scribit Bernardus) episcopi Corcagiensis in Iberniâ, quem grandi prævio miraculo Deus elegi ad pontificatum, et ordinari voluit, ab ipso tum vivente Malachiâ. Expressit autem Cambrensis nomen Catholici archiepiscopi Tuamensis, qui successit Edano prædicto, et interfuit concilio Cassellensi anno 1142. Cæterùm, præter nomen Catholici, nihil de ipso expressit aliud, qui tamen notus erat Cambrensi, tanquam qui anno 1179 interfuerit œcumenico concilio Lateranensi sub Alexandro III. papâ, qui eumdem Catholicum magnificat, quòd et pastorem animarum egregium ageret, et discipulus esset Malachiæ (neque hoc latebat Cambrensem) et monachus esset Benchorensis cœnobii, restaurati ab eodem sancto, et quòd Catholicus omnium monachorum esset junior. Fuerit ipse, de quo S. Bernardus recenset stupendum, sed omnium postremum ex miraculis Malachiæ patratis in Iberniâ, inquiens: "Malachias soluto concilio, (habito in Iberniâ anno salutis 1148, circa mensem Augustum) arripuit iter! prosequuntur eum qui convenerant fratres usque ad littus, non multi tamen, ipso mimirum prohibente. Ad quem unus illorum, Catholicus nomine, flebili voce et fletu: Heu tu abis, inquit, et in quantâ pene quotidianâ vexatione me deseris, non ignoras, nec fers opem misertus mei. Si ego dignus qui patior, fratres quid peccaverunt, quid? vix diem, noctemve ullam a tam laboriosâ curâ et custodiâ mei feriatam habere sinuntur! his verbis et lacrymis filii, (flebat enim) paterna viscera concussa sunt, et amplexatus est eum

blandiendo, impressoque pectori ejus signo crucis, "certus esto," inquit, "te ejusmodi nihil passurum donec redeam" (Româ, quo instituebat iter.) Erat autem epilepticus et cadebat frequenter, ita ut interdum non semel sed sæpiùs pateretur in die. Hoc jam per sex annos morbo horrido laborat, sed ad verbum Malachiæ perfectè convaluit. Ab illâ horâ nil tale perpessus est, nil tale, ut confidimus deinceps perpessurus, quia Malachias deinceps rediturus non est." Nam in itinere cum transiret per Clarevallem in Galliâ, ut visitaret amicum suum S. Bernardum, correptus febriculâ, e sinu ejusdem Bernardi sanctus Malachiæ spiritus evolavit in cœlum, die 2 Novembris, anno salutis 1148.

Hæc omnia et multò fortasse plura, de tot tantisque apostolicis animarum pastoribus, qui, eodem ipso seculo quo Cambrensis, florebant in Iberniâ, et per tantæ sanctimoniæ, doctrinæ, sapientiæ atque auctoritatis scriptorem S. Bernardum sparsa per universam ferè Europam, suppressa fuerunt in libris famosis ejusdem Cambrensis, qui maluit spargere de Ibernis, illos infames mordacesque rumores quos antè descripsi: et quod in causam suppressionis illorum (quæ expressit Bernardus) atque evulgationis mendaciorum istorum, suspicetur cordatus lector fuisse partim, quòd Cambrensis ubique studeat supprimere, quæ faveant ad famam bonam et nomen nationis Ibernorum, partim quòd vir cautus fortasse animadverteret, tot quot in Iberniâ illis annis claruerunt apostolicæ vitæ pastores et præcones verbi Dei, familiares et amicos fuisse Malachiæ et maximâ ex parte unà cum eodem Malachiâ, monachos ordinis Cisterciensis, pro quibus idem vir sanctus in Iberniâ fundavit, juvante ipsum Deo, et B. Bernardo saltem 40 monasteria, quæ et monachis optimis repleverat, ut idem Bernardus indicat: addens Malachiam, etiam jam factum episcopum, archiepiscopum, primatem, legatum sedis apostolicæ, "solitum incessanter circuire parochias Iberniæ omnes, evangelio serviens, et de evangelio vivens, sicut constituit ei Dominus, nisi quòd frequentiùs ipsum evangelium sine sumptu ponens, de laboribus suis suorumque ferebat, unde se et alios qui secum laborabant in opere ministerii sustentaret; percurrebat autem per oppida, pede, cum sancto illo peditum monachorum et præconum verbi Dei comitatu, discipulorum suorum, qui nunquam deerant lateri ejus." Notaveram verò superiùs Cambrensem sparsisse inter alios librum contra monachos Cisterciensis ordinis, adversus quos etiam lego satis salsum pasquillum Cambrensis, lib. 1 sui Itinerarii, caput 3. At fortassis una inter plurimas ac potissimas causas, cur olim Gyraldus cum suis opusculis ac libris adeo passim tum suis tum extraneis exosus fuit, (quod et ipse dolenter sæpè conqueritur, ut monuimus superiùs), illa erat, quòd in homine partim observârint boni lectores, non bonum animum in Cistercienses, qui annis illis maximè florebant sanctitate cum suo B. Bernardo; partim quòd in Cambrensi tam manifesta, magna, multa deprehenderint mendacia adversus Ibernos, (præsertim

illa quæ paulò antè refutavimus) et mirati fuerint tantam in homine audaciam et aversionem ab illis, qui, ut publicis scriptis evulgavit, neque suo seculo, neque sex anterioribus vel unum vidissent in Iberniâ bonum pastorem, prælatum, præconem evangelicum, sed pessimos omnes usque ad unum, et desides ac negligentes sui officii, &c. Cùm tamen universa penè Europa, et lectores librorum Cambrensis dum viveret, partim per ubique sparsam famam, partim per testimonia S. Bernardi, probè intellexerunt illo ipso seculo Cambrensis, tot tantosque sanctimoniâ vitæ, zelo divini honoris promovendi, et salutis animarum, claruisse in Iberniâ episcopos, prælatos, quà vix uno unquam alio seculo sive in Iberniâ, sive fortasse extra eam: tum verò nominatim claruisse eximios illos pastores et præcones divinos Malachiam, Laurentium, Celsum (relatos in martyrologium Romanum) Malchum, alios citatos et laudatos ore, non testis de trivio, sed laudatissimi ac divini viri Bernardi.

Quòd si tu, Gyralde, ea negas falsa, quæ ab Ibernis Dei præconibus tot tantisque gesta sunt in diebus tuis, et in conspectu omnium penè, qui seculo tuo vixerant in variis christianorum provinciis, longè latèque diffusâ, per Angliam, Galliam, Italiam, Scotiam, Iberniamque famâ factorum Malachiæ, Laurentii* et aliorum Iberniæ sanctorum, quos etiam sanctos fuisse non scribis, excepto Laurentio, in quo etiam ipse tibi contradicis, quid mirum, si audacter neges ea, quæ a diebus et seculo tuo longè remotiora fuere, nimirum "per cuncta retro curricula" (ut utar verbo tuo) annorum, ascendendo usque ad S. Patritium, ais neminem bonum pastorem, vel prælatum populis idoneum, vel præconem evangelicum Ibernum extitisse?

Itane, o audax! jam antè dixeram, te uno mendacio isto non læsisse solos Ibernos, sed et varias te provincias Europæ privare voluisse videri, suis patronis plurimis et pastoribus, et evangelicis præconibus Ibernis; te videri voluisse plùs sapere quàm Romana ecclesia in suo martyrologio, et quàm aliorum Europæ tum historici, tum sanctilogiorum probatorum scriptores. Nosti autem vel nosse debebas, Gyralde, Romanam ecclesiam, neminem episcopum referre in album sanctorum, quem non credit fuisse pastorem bonum et sui officii studiosum. En tibi tamen nomina novemdecem episcoporum Ibernorum, quos illa colit, et in ecclesiis omnium provinciarum, cùm celebrantur officia divina, honorificè ac religiosè nominari mandat. Omitto nomen S. Patritii Ibernorum apostoli ad 17 Martii: venio ad alios; ad 18 Martii et 18 Novemb. in Romano legitur nomen S. Frigidiani, episcopi et patroni Luccensium in Italiâ, de quo S. Gregorius Magnus (ante cujus creationem in pontificem fuit Frigidinus mortuus) cum laude miracula refert lib. 4 Dialog. cap 9: fuit verò

* Qui etiam post patrata miracula interfuit concilio œcumenico Lateranensi, sub Alexandro III., a quo et habitus in magno honore, ut in ejus vitâ apud Surium legitur.

filius regis Ultoniæ in Iberniâ, ut est in Frigidiani vitâ quæ passim extat ad 20 Martii.

In eodem Romano ponitur nomen S. Cutberti, Lindisfarnensis episcopi in Angliâ, mortui anno salutis 687, de quo multa legisti, Gyralde, in Bedâ: fuit Cutbertus filius regis Iberniæ, ut vel hæreticus Baleus, in suis Centuriis, cum indignatione et convitiis conqueritur.

Ad 27 Martii nominatur S. Rupertus, primus episcopus et apostolus Bavariæ in Germaniâ, ubi obiit vel circa annum salutis 580 vel 603; fuit filius regis Iberniæ, ut est in ejus vitâ apud Henricum Canisium, tom. 6 Antiq. lect.

Ad 5 April. nominatur S. Frigernanis, episcopus Scotiæ veteris, sive Iberniæ.

Ad 6 Apr. nominatur S. Celsus, episcopus Iberniæ, mortuus anno salutis 1128.

Ad 1 Maii S. Asaph, episcopus Angliæ urbis ex nomine illius S. Asaph dictæ.

Ad 8 Maii nominatur S. Wiro, qui ut infideles externarum nationum convertere posset ad Christum, resignato, ex licentiâ papæ, episcopatu Dublinensi in Iberniâ, venit in Belgium, ubi postquam plurimos traxisset ad salutem, sanctè obiit.

Ad 10 Maii nominatur S. Cataldus episcopus, primùm in suâ patriâ Iberniâ, deinde Tarenti in Italiâ, ubi miraculis, vivens et vitæ functus clarus, migravit ad Christum, et nomen Tarentinorum patroni meruit.

Ad 1 Julii nominatur S. Rumoldus, unigenitus regis Iberniæ, episcopus Dublinensis in eodem regno, qui, licentiâ pontificis Romani, abdicato episcopatu, ut posset infideles ad Christum trahere, deserens patriam et omnia, venit in Belgium, ubi, post plurimos ad fidem conversos, martyrio coronatus fuit apud Mechliniam in Belgio, anno salutis 775.

Ad 8 Julii nominatur S. Kilianus, episcopus, martyr, apostolus Franconiæ in Germaniâ, ubi occisus pro Christo anno salutis 687 fuit, filius regis Iberniæ.

Ad 11 Julii nominatur S. Hildulphus, archiepiscopus Treverensis in Germaniâ, ubi obiit circa annum salutis 710. Fuit filius regis Iberniæ, ut inter alios videre potes ex veteribus monumentis descriptum a Wiguleo Hundio in suâ metropoli Saltzburgense, dum agit de episcopis Ratisponensibus, verbo, S Erhardus.

Ad 21 Julii S. Arbogastus, archiepiscopus Argentinensis in Germaniâ, ubi obiit anno 67. Socius fuit et popularis S. Florentii, episcopi ejusdem urbis, natione Iberni.

Ad 31 Augusti S. Aidanus, archiepiscopus Lindisfarnensis in Angliâ, ubi obiit anno salutis 651, quem an, quantus et qualis fuerit Ibernus præco evangelicus dicet tibi Beda.

Ad 3 Sept. S. Mansuetus, episcopus et apostolus Tullensium in

Galliâ, discipulus S. Petri principis apostolorum, natione Scotus antiquus sive Ibernus, ut est in ejus vitâ.

Ad 22 Octob. S. Donatus, episcopus Fesulanus in Italiâ, ubi prævio insigni miraculo fuit a Deo electus in pastorem, et tandem Fesulis obiit clarus miraculis, circa postrema tempora Caroli Magni.

Ad 2 Novemb. S. Malachias, de quo superiùs.

Ad 7. Novemb. S. Florentius, episcopus Argentinensis in Germaniâ, ubi obiit anno salutis 687. Natus fuit "in vetere Scotiâ," ut est in ejus vitâ.

Ad 14 Novemb. S. Laurentius, episcopus Dublinensis et filius regis Iberniæ, de quo superiùs.

Ad 15 Novemb. S. Macutus, sive Maclovius, episcopus Maclovensis, sive urbis nunc dictæ S. Malo, in minore Brittaniâ Galliæ, natione Ibernus.

Ad 12 Novemb. S. Livinus, qui, resignato archiepiscopatu Iberniæ, venit in Belgium ad convertendos infideles, a quibus martyrio fuit coronatus anno salutis 633, vel circa 660 aut 670; fuit nepos regis Iberniæ, ut in ejus vitâ testatur S. Bonifacius, archiepiscopus Moguntinus et martyr, quam vitam videre potes ad finem epistolarum ejusdem Bonifacii, apud Nicolaum Ferarium.

Ad 16 Decemb. S. Beanus, episcopus Iberniæ; iste est Beanus quem tu, Gyralde, 2 distinct. Topogr. cap. 40, taces fuisse pastorem animarum, sed sanctum tamen fuisse fateris, et refers miracula quædam ipsius, quamvis postea videris in dubium illa vocare, an vera sint, an phantastica?

Præter Patritium et alios novemdecem episcopos istos et bonos animarum pastores Ibernos, in Romano martyrologio nominatos, qui suo pastorali munere functi fuerunt diversis sæculis post S. Patritium, multos alios nominat idem martyrologium Ibernos sanctos, non episcopos sed evangelicos præcones tamen, qui insistentes prædicationi verbi Dei, et exhibentes exempla vitæ sanctissimæ, plurimos ad Christum traxerunt, inter quos,

S. Fursæus, ad 16 Januarii, qui fuit filius Philtani, regis Ultoniæ in Iberniâ; de quo miranda refert Beda, aiens illum evangelio replevisse Iberniam, Angliam, Galliam, ubi tandem obiit circa annum salutis 650.

S. Deicola, ad 18 Januarii, fuit germanus frater S. Galli abbatis, filius regis Lageniæ in Iberniâ, unus ex duodecim discipulis quos B. Columbanus secum ex Iberniâ duxit in Gallias, Germaniam, Italiam.

S. Fintanus, ad 17 Febr. de quo habeo quædam in vitâ S. Columbæ Iberni (diversi a Columbano præfato) scripta per B. Adamnanum apud Henricum Canisium.

S. Brendanus, ad 16 Maii, de quo nonnulla in vitâ Columbæ, cui familiaris fuerat. De eodem etiam inter alios multos scribit Gyraldus, 2 distinct. cap. 40 et 43.

S. Columba abbas, ad 9 Junii, qui obiit anno 599, ejusque vitam cripsit post Adamnanum partim Beda, lib. 3, cap. 3 et 4, et lib. 5, cap. 10; partim alii. Fuit iste Columba qui inter alia innumera atque stupenda sua facta, converterat ad fidem christianam totam gentem "Pictorum Transmontanorum," Britanniæ aquilonarium, qui fuerunt majores nationis quam Scotorum appellamus ab aliquot seculis; quorum patria sita est ad aquilonem Angliæ, in insulâ Britanniæ majoris. Aliquando olim dicebatur illa Scotia minor sive recens.

Ad 8 Julii SS. Colonatus et Totnanus, martyres et socii S. Kiliani in evangelii prædicatione per Germaniam, ubi lauream martyrii adepti fuerunt Herbipoli anno salutis 887.

Ad 22 Augusti S. Gunifortis martyr, qui adversus Arianos Mediolani in Italiâ verbo Dei dimicans, victoriam et palmam martyrii ab illis reportavit. Ejus sacrum corpus quiescit Ticini seu Papiæ 15,000 passibus Mediolano distans. De Guniforte post alios agit Philippus Ferarius in suo sanctorum Italiæ catalogo.

Ad 30 Augusti S. Fiacrus, filius regis Iberniæ, qui post plurimos ab ipso ad Christum pertractos in Galliâ, eremum petens, et in eo perseverans, migravit in cœlum, miraculis coruscans adhuc vivens et vitâ functus, circa annum salutis 660.

Ad 9 Septemb. S. Keranus abbas, qui et Queranus, de quo mentio fit in vitâ B. Columbæ, cui fuit familiaris.

Ad 11 Oct. S. Canicus, abbas et egregius præco verbi Dei in Iberniâ, ubi familiarem habuit S. Columbam abbatem, ut est in vitâ ipsius apud Adamnanum.

Ad 14 Oct. S. Eliphius, martyr et prædicator in territorio Treverensi in Germaniâ, ubi fuerat coronatus martyrio, ut in vitâ legitur apud Surium; fuisse natione veterum Scotorum, testantur tabulæ et prisca monumenta, quæ extant Coloniæ, ubi a multis seculis quiescunt sacra Eliphii pignora.

Ad 16 Oct. S. Gallus abbas, discipulus B. Columbani, filius regis Iberniæ, qui postquam triginta aut triginta quatuor annis vacâsset Deo, sibi et evangelicæ prædicationi in Galliâ, inde tandem cum Columbano impiè expulsus a rege Theodorico et Brunichilde, venit in Germaniam, ubi reliquum vitæ transegit, et suâ predicatione evangelicâ meruit a posteris appellari "apostolus Sueviæ et Helvetiæ."

Ad 21 Novemb. S. Columbanus abbas, primùm Luxoviensis in Galliâ, deinde Bobiensis in Italiâ, unde migravit in vitam æternam anno salutis 616 aut 619: quantus fuerit Ibernus iste Columbanus præco evangelii, velut alter Elias, Hieremias, et Baptista, dicet tibi ejus vita quam scripsit S. ejus discipulus, Jonas Abbas, quem descripsit Surius; dicet tibi Baronius in suis Annalibus.

Omitto nominare S. Egbertum ad 24 Apr. et S. Etbinum ad 19 Novemb. ut et sanctas virgines Brigidam ad 1 Febr. et Dympnam martyrem ad 15 Maii, quos omnes tamen nominat Romanum martyrologium; ct his nihilominus non obstantibus, audet se unus

opponere Gyraldus, qui quantâ valuit multiloquentiâ, contendit suadere (quamvis non aliis allatis argumentis, præterquam suâ solâ asseveratione et auctoritate) lectoribus, non aliud esse velle quærere apud Ibernos pastorem bonum, aut evangelicum præconem idoneum a tempore S. Patritii, et per septem ferme sæcula sequentia, quam quærere velle nodum in scirpo, vel volantes in aquis aves. Jam tibi vel ex unico Romano martyrologio ostendi supra triginta optimos animarum pastores et evangelicos præcones verbi Dei, tam in ipsâ Iberniâ ab illis seminati, quàm in variis provinciis Europæ, ut in Scotiâ minore, in Angliâ, in Belgio, in Galliâ, Germaniâ, Italiâ: quòd si vel ex aliorum martyrologiis, (ut Rabani, Bedæ, Notkeri, Usuardi, Adonis, Molani, Petri Canisii, Arnoldi, Wion, et plurium priscorum MSS. quæ vidi) vel ex receptis passim historiis, tum generalibus ecclesiæ, tum particularibus provinciarum, vellem, o Gyralde! mendacium luculentum tuum convincere, possem certè; sed nolo pluribus hoc loco, quod alibi partim feci, partim fecero, dante Deo: memini verò ex fide dignis testimoniis veterum, supra ducentos me numerâsse nomina sanctorum Ibernorum, qui et munere prædicationis evangelicæ et pastoris animarum solicitudinis fuerunt eximii olim.

Nunc paucos satis sit numerare ex tot illis sanctis Ibernis, non recensitis in Romano martyrologio, sed recensitis a pluribus aliis.

In ITALIA invenio S. Silanum, episcopum Ibernum, (creatum a B. Gregorio Magno) qui Romam secundò rediens, in febrem incidens apud urbem Luccam, miraculis clarus migravit ad cœlum 30 Maii: sed festum ejus quotannis agitur Luccæ dominicâ die infra octavam Ascensionis Christi, ut refert Philippus Ferarius in suo sanctorum Italiæ catalogo:

S. Emilianum episcopum Iberniæ, qui, regnante Luitprando, Longobardorum rege, rediens in patriam ex peregrinatione ad limina apostolorum, corripitur febri in urbe Faventiâ, ubi mortuus miraculis coruscat, et festo die honoratur ad 6 Novemb. Est peculiaris illius urbis patronus:

S. Peregrinum, filium regis Scotiæ veteris, qui postquam infideles in Palestinâ et aliis provinciis, quò propter Christum peregrinabatur, rediens substitit in Alpibus Italiæ, positis inter Mutinam et Luccam, ubi eremiticam agens vitam, magnis virtutibus effulgens migravit ad cœlum ad 1 Augusti, ut narrat Ferrarius de aliis:

S. Andræam, archidiaconum Fesulanum, (et discipulum ac popularem B. Donati, episcopi ejusdem Fesulanæ urbis, Iberni) qui circa tempora obitûs Caroli Magni, mortem corporis, ut animæ vitam æternam conquereretur, oppetiit, ad 22 Augusti, miraculis illustris; in quâ urbe quiescit et Andreæ soror, Brigida nomine, quæ in silvâ non procul ab illâ civitate degens vitam eremeticam, migravit ad Christum ad 1 Febr. circa extrema imperii Caroli Magni, ut ex aliis narrat Ferrarius:

S. Livinum, filium regis Iberniæ, et archiepiscopum ejusdem regni,

martyrem factum apud Verbanos in Italiâ, ut testatur B. Bonifacius, martyr et archiepiscopus Moguntinus, in vitâ alterius S. Livini, nepotis prioris, et archiepiscopi Iberniæ, martyrio coronati in Belgio.

In GALLIA invenio, inter plures divini verbi præcones, et pastores sanctos Ibernos, Adrianum et Cadoch, præsbiteros et apostolos provinciæ Picardiæ, sepultos et miraculis elevatos in cœnobio Pontiniaco, ad 1 Apr. ut videre est in vitâ S. Richarii abbatis, apud Surium, 26 April:

S. Briocum, sepultum in urbe ab ipso San Brieuc gallicè dictâ, et sita "in minore Britanniâ," ubi post multos ad Christum aggregatos, sanctè obiit et miraculis fulsit; cujus festum agitur ad 1 Maii:

S. Columbanum juniorem, nepotem et discipulum Columbani Luxoviensis, in eodem Luxoviense cœnobio, præsente et licentiam dante patruo, miraculis clarus obiit ad 22 Novemb. ut scribit Jonas abbas in vitâ "Columbani senioris," apud Surium, ad 21 Novemb.; ubi etiam tanquam sanctos Dei præcones, in Galliâ functos vitâ, nominat Ibernos quosdam alios, Columbani discipulos, Comminum, Potentinum, Lucanum.

Rhemis in Galliâ depositio S. Gibriani presbiteri ad 8 Maii, qui, (ut refert Flodoardus, lib. 4 Historiæ Remensis, cap. 9, et Sigibertus in Chronico ad annum 509) pro Christo, peregrinationis et evangelicæ prædicationis causâ, deserens patriam Iberniam seu Scotiam veterem, inde in Gallias venit, cum germanis suis sanctis fratribus "Tesano, Tresano, Germano, Verano, Abrano, Petrano, et tribus sororibus Promptiâ, Traudâ, et Possennâ," eligentes sibi, super fluvium Matronam, in campis Catalanicis, opportuna degendi loca et serviendi Christo, unde post omnium sanctam mortem miraculis illustratam, fuerunt translati Rhemos, ubi quotannis magnâ cum populi devotione et occursu coluntur.

In eâdem etiam urbe quiescit S. Merolilanus, præsbiter et martyr Ibernus, miraculis fulgens in ecclesiâ B. Hilarii, ut refert præfatus Flodoardus, lib. 4, cap. 48.

Apud Laudunum Clavatum in Galliâ obiit et colitur ad 31 Novem. S. Autbodus, unus ex sociis Ibernis et prædicatoribus, qui cum B. Furseo venerunt ex Iberniâ, ut et ex cœnobio Latiniaco migravit ad cœlum.

Ad 9 Maii alius S. Fursei socius prædicationis Ibernus, B. Mombulus nomine.

Sanctus item Sidonius, abbas Ibernus et fundator cœnobii in Galliâ dicti S. Sidonius, ubi et vir Dei obiit, ut indicat auctor vitæ B. Audoeni, Rotomagensis episcopi, apud Surium.

Apud monasterium S. Michaelis Virduni in Lotharingiâ, ad 21 Januar colitur S. Macallinus, abbas ejusdem cœnobii, Ibernus, qui miraculis clarus idem obdormivit in pace, anno salutis 978.

S. Adeodatus, seu Theodatus, episcopus Nivernensis, natione Ibernus, socius peregrinationis beatorum Arbogasti et Florentii, episcoporum Argentinæ in Germaniâ, ut indicat vita Florentii apud Surium ad 7 Novemb. et vita Theodati apud eundem ad 19 Junii, tametsi vitio librariorum in quibusdam corrupta.

In BELGIO invenio ex Ibernis episcopis et præconibus Dei sanctis, præter recensitos in Romano martyrologio, episcopos, confessores, Bertuinum, Ettonem, Forannanum, Killianum seu Chillenum, nepotem regis Iberniæ, Plechelmum, Vulganium: episcopos martyres, Tullanum, 31 Octob. fratrem beatorum Fursei et Ultani, filiorum Iberniæ regis Philtani; Luglium, archiepiscopum Iberniæ, qui cum suo fratre Lugliano, rex Iberniæ, abdicatis pro Christo et regno et honore archiepiscopali, martyrio sunt coronati in Belgio ad 23 Oct. circa annum sal. 725: confessores autem non pontifices sed præcones divinos, S. Eliam, Foilanum, discipulos beati Livini martyris, Eloquium, Fredegandum, Himelinum nepotem regis, et cognatum B. Rumoldi martyris, Vincentium qui et Maldegarius filium regis Iberniæ, Wasnulphum, Ultanum filium regis:

Martyres non episcopos, Gerebernum præsbiterum et præceptorem S. Dympnæ virginis martyris et filiæ regis Iberniæ, quæ unà cum Gereberno pro Christo fuit decollata in Belgio, ad 15 Maii: Veronem præsbyterum, martyrio coronatum apud Nordwis in Hollandiâ, ad 17 Augusti; Luglianus rex Iberniæ et martyr; Meno martyr diaconus, ad 18 Sept. Taceo alios cum confessoribus illis, Guthagono rege Iberniæ, qui cum duobus sanctis sociis Gillone et Gildulto, valedicens regno et patriæ, eremitas agere in Belgio elegerunt; ubi duo priores miraculis claruerunt, et eorum festum agitur ad 3 Julii; ut et festum S. Odæ virginis et filiæ regis Iberniæ, ibidem in Belgio, ubi circa annum salutis 713 obiit, agitur ad 27 Novemb. De quibus omnibus et pluribus sanctis scribunt, cum Molano, alii.

In ANGLIA, præter nominatos in Romano, Ibernos præcones et pastores sanctos, nominat Beda, et alii plurimos, inter quos istos paucos jam recenseo. Abbanus, fundator cœnobii dicti Abbendonia; Adamannus Coludius; Botulphus abbas et patronus celebris oppidi Botulfstowe olim dicto, nunc corruptè Boston; Ceolacus episcopus Merciorum; Colmannus episcopus Lindisfarnensis; Dicullus præsbiter et fundator cœnobii Boseham dicti, socius peregrinationis et prædicationis S. Fursæi cum evangelizaret in Angliâ; Finnanus episcopus Lindisfarnensis; Gebanus præsbiter et socius Fursæi; Indractus martyr et filius Iberniæ regis, cum suâ sorore Drusâ et novem aliis sociis Ibernis martyribus; Maldulphus abbas et fundator cœnobii nunc dicti Malmesburiensis; Joannes cognomento Erigena martyr factus in eodem cœnobio; Piranus filius regis Iberniæ, Romanus præsbiter, et vir doctissimus; Tuda episcopus Lindisfarnensis; ut prætercam sanctas et celeberrimas olim in Angliâ virgines Iber-

niæ, Begam, Burienam, Ivam, Modwennam, ut et alios sed recentes Ibernos martyres in Angliâ factos, ut Joannem Irlandum, præsbyterum et sacellanum B. Thomæ Mori, cancellarii Henrici VIII. regis; Joannem Traversonum, sacræ theologiæ doctorem; Richardum Creveum, archiepiscopum et primatem Armachanum in Iberniâ, Londini in carcere, caseo medicato, necatum.

Omitto (quòd jam me videam initio fuisse nimis fortasse prolixum in hoc capite quarto) numerare penè innumeros alios, quos possem, martyres, confessores, episcopos, præcones evangelicos, fœminas tam Deo dicatas voto, quàm votis solutas, Iberniæ nationis, qui tum in patriâ, tum in Scotiâ minore, tum in Norwegiâ, Islandiâ, alibi floruerunt sanctitate et miraculis.

Nunc, Cambrensis, vel quicunque extollit tuas calumnias mendaces cariùs venditas lectoribus levibus et malè credulis, dic si audeas, "ne vel unum bonum" animarum "pastorem" aut idoneum "præconem" evangelii vidisse Iberniam a diebus S. Patritii, qui obiit anno circiter 493, usque ad evulgationem famosorum tuorum libellorum, factam primùm anno salutis 1188! dic, neminem Ibernum fuisse, "qui non maluerit præesse quàm prodesse, non omen sed honorem episcopi eos habuisse! dic! qui unquam vel exilium, vel periculum fundendi sui sanguinis subierit pro commisso grege? non fuit, inquis, inter Ibernos per septem ferè secula qui faceret hoc bonum; non fuit usque ad unum; "si mentiaris," inquit ille," medicamentum unum est impudentia."

Cæterùm a me impetrare non possum, quin alios saltem ex sanctis Ibernis, qui olim evangelicâ suâ vitâ et prædicatione salutem æternam Teutonicæ gentis seu Germanorum procurârunt, et inter eosdem, miraculis ac felici morte, diem suum obierunt; nec repetam recensere, quos in Romano martyrologio notaveram sanctos Ibernos, qui Germanis annuntiârunt verbum vitæ. Ex ipsorum Germanorum historiis, breviariis ecclesiasticis, et aliis priscis ac probatis monumentis, hos paucos, inter plurimos a me omittendos nominabo.

S. Albertus, episcopus Cassellensis in Iberniâ, filius regis ejusdem insulæ, et frater Beatorum Hildulphi Treverensis archiepiscopi (de quo Romanum martyrologium) et Erhardi Ardakadensis in Iberniâ episcopi quondam, Ratisponæ in Bavariâ sepultus jacet.

S. Albuinus, Ibernus, discipulus B. Bonifacii archiepiscopi Moguntini, episcopi Fritislariensis in Germaniâ, ubi obiit, apostolus specialis Thuringiæ ad 14 Novemb.

S. Alto, unus ex novemdecem discipulis quos secum ex Iberniâ duxit B. Virgilius, filius Iberniæ regis, et nonus episcopus Saltzburgensis in Bavariâ. Diem Altonis qui fundator fuit cœnobii inde dicti, Altminster in Bavariâ, testantur Breviaria ecclesiarum Germaniæ fuisse 5 Febr.

S. Anmichadus, inclusus in cœnobio Fuldensi, qui obiit anno 1043.

S. Disibodus, episcopus Dublinensis in Iberniâ, postea præco evangelicus in Germaniâ, ubi obiit a 8 Julii, ut videre est in vitâ ejus apud Surium.

S. Erhardus episcopus, Ratisponæ, ut dictum est, sepultus, et miraculis clarus; cujus festum agitur 6 Januar.

S. Fintanus, ex principe Lageniæ in Iberniâ factus monachus cænobii Rheinaugiensis in Germaniâ, ubi obiit clarus miraculis anno salutis 827, ad 15 Novemb.

S. Fridolinus, filius regis Iberniæ, magnus prædicator in Galliâ, Belgio, et Germaniâ, ubi in cœnobio Sekingensi, ad Rhenum, obiit anno salutis 514, 6 Mart.

S. Gisilarius, sacerdos et sacellanus B. Ruperti, primi Saltzburgensis episcopi, filii regis Iberniæ, et nepotis regis Francorum, Saltzburgi sepultus 24 Sept. circa annum 628.

S. Harrucus, episcopus Werdensis et martyr in Westphaliâ, circa annum salutis 831, 15 Julii.

S. Joannes, episcopus, martyr, et apostolus Magnipolensium seu Michelburgensis ducatûs, in Germaniâ, ubi occisus est et pro Christo, vivus sensim sectus in frusta ad 10 Novemb. circa annum sal. 1061 aut 1066.

Kortilla, episcopus Werdensis et martyr, ad 28 April. circa annum 820.

Macarius, primus abbas Scotorum cœnobii apud Herbipolim, miraculis clarus, ibidem mortuus 14 Decemb. anno 1153.

S. Magnus, discipulus Beatorum Columbani et Galli, fundator cœnobii Faucensis in Boaroiâ, ubi coruscat miraculis, et migravit ad Christum, anno circiter 613, 6 Septemb.

Marianus Scotus, historicus, vir sanctus, Moguntiæ mortuus anno 1086.

Patto, episcopus Werdensis, sanctè obiit anno 760, ad 30 Martii.

Theodorus, socius B. Magni, discipulus Columbani, primus abbas Campidonensis, unus ex multis patronis ecclesiæ Constantiensis.

Frudbertus, martyr in Brisgoiâ, propè Friburgum urbem Alsatiæ, frater B. Ruperti Saltzburgensis episcopi, ad 19 Novemb.

Kunialdus, sacerdos et sacellanus Ruperti Saltzburgensis, ad 24 Septem.

Vendelinus, filius regis Iberniæ, qui pro Christo volens patriam, se, et cuncta contemnere, ignotus in Germaniâ subulcum egit; tandem agnitus egregium egit abbatem et præconem evangelicum, et sanctè obiit ad 21 Octob. circa annum 730.

Virgilius, filius regis Iberniæ, nonus episcopus Saltzburgensis, prædicator eximius, vir doctissimus, miraculorum crebrorum patrator, apostolus Karinthiæ, migravit in cælum anno 784, 27 Novemb. aut kal. Decemb.

S. Vitalis, secundus episcopus Saltzburgensis, discipulus unus et

primus ex duodecem quos ex Iberniâ ad evangelizandos Germanos duxerat S. Rupertus. Fuit Vitalis vir vitæ innocentiâ admirabilis, ex cujus corde, in sepulchro cum reliquo corpore posito Saltzburgi, per lapidem crevit lilium. Innumera ferè fecit miracula vivus et mortuus, ut videre est apud Henricum Canisium, tom. 6. Obiit vir sanctissimus 20 Octob. anno circiter 646.

Verùm hic filum abrumpo magis quàm finio, quòd non facilè finem inveniam tantæ quæ adhuc superest, ad hisce de rebus pro dignitate, tractandum, materiæ. Interea cum suâ affectatâ, ut fortasse videtur, inscitiâ et invidiâ, Cambrensis abeat Gyraldus!

CAP. V.

Refutatur calumnia Cambrensis, qui ubique ferè inculcat; Ibernorum gentem, a diebus S. Patritii per septem circiter secula sequentia, fuisse omnium gentem rudissimam in rebus Christianæ fidei et morum.

TRES rejecimus præcipuas calumnias Cambrensis; primò, de sugillatione ecclesiæ colentis supposititios, ut ille scribit sanctos, quorum et veros non paucos, ait, "naturæ animique esse vindicis, atque in iras proni; secundò, de sugillatione Iberniæ, quam dixit, "nullum unquam habuisse martyrem Christi;" tertiò, de sugillatione ejusdem, quam affirmat ex tot suis ecclesiasticis viris, qui per sæcula ferè septem fuerunt, neminem visum, qui vel bonum egerit animarum pastorem vel idoneum verbi divini prædicatorem.

Postrema confutanda jam restat gravis calumnia de universâ eâdem Ibernorum gente et populo, de quo ut multa horribilia quæ passim dicit, in quàm paucissima conferam et ipsissimis Gyraldi verbis utar, præsertim in cap. 10, 19, et sequentibus, suæ 3 distinct. inquit, "esse et septem sæculis semper fuisse gentem bestialem, ex bestiis solùm natam et bestialiter viventem, in silvis cum feris non in urbibus commorantem, cujus omnes mores, meri barbarismi sunt, et quamvis quod in ipsis naturæ est et lineamentorum humani corporis optimum sit; reliquum verò et iners, et quidquid ferè industriæ in illis est, pessimum est. Gens omnium orbis gentium rudissima in rebus christianæ fidei; maximè omnium involuta vitiis, fraudibus, malitiâ, perjurio, inconstantiâ, proditionibus, fallaciâ, crudelitate, spurcitiis, &c:" Et hæc omnia a diebus S. Patritii usque ad vestros, o Cambrensis! ais perdurâsse, et cap. 35, addis ista; "ad hæc, tot cæcos natos, tot claudos, tot corpore vitiatos, et naturæ beneficio destitutos in aliâ non vidimus natione. Sunt enim qui (Iberni) benè formantur, exquisitissimi et nusquam meliùs, sic et qui malè nusquam pejus, et sicut egregiè proveniunt, quos naturæ benignitas elimaverit, sic et enormiter prodeunt, quos benigno favore destituerit. Nec mirandum, si de gente adulterâ, gente incestâ, gente illegitimè natâ et copulatâ, gente exlege, arte invidâ et invisâ, ipsam turpiter adulterante naturam, tales interdum contra naturæ legem, natura et producat, et digna Dei vindicta videtur, ut qui interiore mentis lumine ad ipsum non respiciunt, hi exterioris et corporeæ lucis beneficio plerùmque doleant destituti." In hâc infami de universâ Ibernorum gente Gyraldi oratione, ab exasperato pectore profectâ, quam

cordatus et cautus quisque vel ex fronte cognoscit calumniam esse meram, et ad omnium nationum animos adversus Iberniam, tanquam quæ peripsema sit aut mera excrementa mundi, excitandos ad vilipendium, illud mihi omnino est ex multis quæ in illâ indicantur refutandum; videlicet; veritatem celâsse Cambrensem, et unum se omnibus tum sui temporis testibus oculatis, tum priscis scriptoribus opposuisse optimis, cum ait, "per tot annorum curricula omnium maximè rudem fuisse gentem illam in rebus fidei et religionis Catholicæ." Ego verò contrà subjiciam oculis cujusque, non cæci aut malè animati in gentem eamdem, nullam in universis Europæ provinciis, quod sciam, aut quantùm ex lectione historiarum, quæ ab omnibus passim probantur, intelligere poteram, gentem christianam per tot illa annorum curricula, minus rudem in rebus Catholicæ fidei, et studio bonarum disciplinarum fuisse quàm spretam a calumniatore illo Iberniam. Quæ adjungit epitheta propudiosa de Ibernis, quod alii non sint quàm "gens bestialis, adultera, incesta, illegitimè nata," et similia cætera, non videntur mihi digna meliore refutatione aliâ, quàm nudâ virulentorum verborum eorumdem recitatione. Juxta tritum illud, "prodidisse est fefellisse," et notum est dictum Tertulliani! "Hæreses recitâsse est refutâsse;" nempe suâ se absurditate produnt; ut et famosi libelli, malignitate suâ se cuivis cordato, vel non malè credulo, reddunt incredibiles et indignos fide. Quibus tamen Gyraldi libellis, quòd ad mores et vitia Ibernorum, temporis illius, et anteriorum attinet, videtur ex hæreticis fidem dedisse Gulielmus Camdenus in alio suo libello famoso, quem inseruit in suam Britanniam, a pag. 711 usque ad 719; et ex Catholicis, minùs cautè unus quod sciam, et nominare nollem, disputans contra apostatam et hæreticum Joannem Baleum Anglum, quem ab Edwardo VI. rege Anglorum, Zuingliano, creatum episcopum, ne dicam episcopum Ossoriensem in Iberniâ, noluerunt Iberni recipere, sed ut Catholicos ipsorum animos decebat, cum ignominiâ exulare coegerunt et confugere ad Calvinismi arcem et metropolim, Genevam.

Quòd autem illam gentem aiebat Cambrensis "abhorrere ab urbibus, et in solis sylvis cum feris cohabitare solitam," non agit præter solitum et solemne sibi, id est mordere et mentiri de Ibernis, reclamante palam non ipsâ tantùm re quæ contrarium loquitur, sed et conscientiâ et scriptis alibi a Gyraldo, et a B. Bernardo et aliis tum domesticis tum externis testibus veteribus et novis. Nonne tu, Gyralde! in Topographiâ et Vaticinali tuâ Historiâ, inter plurimas numerâsti et laudâsti non semel, decem egregias a te visas, et fratribus, patruis, et cæteris prædonibus, qui ipsis adhæserunt, expugnatas urbes Iberniæ, quas soli indigenæ Iberni tunc, et prioribus seculis incolebant? Dublinam civitatem amplissimam, pulcherrimam, ditissimam, frequentissimam, munitissimam, rebus omnibus abundantem, quantùm et quoties passim deprædicas? Waterfordiam,

quam nobilem urbem nominas lib. 1, cap. 13, Expugn Ibern. quoties extollis? Civitatem Limericum, ab opulentiâ, frequentiâ, magnitudine, amœnitate, mœnibus commodis, et copiâ auri, argenti, supellectilis prætiosæ, quàm crebrò laudas? Quàm sæpè commemoras maximam tuo tempore civitatem Cassiliensem, Armachanam, Lismorensem, Corcagiensem, Wexfordensem, Dunensem, Lunedensem, quot, quanta, et quoties inde secum, te teste, tui cognati cum sociis prædatoribus asportârint spolia aurea, argentea, pretiosa alia? Nec nominâsti tamen quas, te superstite, alias urbes numeravit S. Bernardus in vitâ Malachiæ, qui (præter Armachanam, Cassiliensem, Lismomoriam, Dunum, Corcagiam, nominatim ab eo expressas) expressit urbes Culratim, Oentreben, Duevaniam, Glandelachan, prætermittens recensere plures alias egregias, quæ etiamnum adhuc supersunt; de quibus, ut et de rebus aliis attinentibus ad vetustatem, initia, fundatores earumdem urbium agam contra Cambrensem alio loco. Quis igitur, oro te, Gyralde! invasit spiritus, cùm contradicens et tibi et veritati (quam vel ipsa rerum experientia hodiè cuivis qui Iberniam videt, ostendit) voluisti ludibrio omnium lectorum tuorum exponere universam Ibernorum gentem, quam ais "ab urbibus abhorrere, bestialiter vivere, a primo pastoralis vitæ vivendi modo non recedere, a silvis et pascuis non desuescere nec descire nosse, assuetam cum feris conversari, civium convictus aspernari, non lino, non lanificio, non aliquo mercimonionorum genere, nec ullâ mechanicarum artium specie vitam (tui temporis, Iberni) producere; gentem istam barbaram et verè barbaram, qui non tantùm barbaro vestium ritu, verùm etiam comis et barbis luxuriantibus* et omnes eorum mores barbarissimi sunt, solam nimirum barbariem, in quâ et nati sunt et nutriti, sapiunt et assuescunt, et tanquam alteram naturam amplectuntur: quod in his naturæ, illud optimum, quidquid ferè industriæ, illud pessimum est; in musicis solùm instrumentis commendabilem invenio gentis istius diligentiam, in quibus præ omni natione quam vidimus incomparabiliter est instructa." Hæc tu, Gyralde, more et mente solitâ scripsisti, de Ibernis tui temporis et præcedentium, quos, contra te et omnes, inquis "caruisse civitatibus, et solis silvis ac fe-

* Nimirum quòd non essent attonsi ad normam popularium priscorum tuorum Britonum, de quibus Julius Cæsar ait, toto capite rasos præterquam in superiore labro barbæ; quo, more Turcico spissum longum et setosum gestabat utrinque mystacem; aut quòd non essent barbitonsi ad instar tui temporis, popularium Britonum et Anglorum, de quibus ita ait, qui vidit, et in diebus tuis vixit Gulielmus Malmesberiensis lib. 3 de gestis regum Anglorum, in Wilhelmo primo; "Angli enim superius labrum pilis incessanter fraticantibus intonsum demittunt; cætera facie rasi." Quin etiam et tu, Camber! de tuis domesticis Cambrensibus, qui tecum vixerunt, et per totam patriam tuam habitârunt, sic scribis cap. 11 Descriptionis Cambriæ, "barbam viri præter gernoboda, id est superius labrum solum, radere solent, et hanc non de novo, sed ab antiquo longisque retro seculis consuetudinem tenent" juxta modernas novitates, incultissimè, si viveres hodie, Gyralde; luxuriantes comis barbisque, barbaros, et verè barbaros diceres Gallos, Germanos, Anglos.

rarum latibulis assuetos," nullo inter eos cum aliis gentibus commercio mercimoniorum, &c. Si ita est, decipit suos lectores Guilielmus Neubrigensis, lib. 2 de rebus Anglicis, cap. 26, qui in ipsis tuis diebus tecum et tibi notus vixit ac scripsit, quod nemini Anglorum sui ævi (sed neque tibi, Gyralde, si verum voluisses fateri) ignotum erat, in hæc verba: "Henricus II. Anglorum rex, anno 1172, expugnatam anno priore, a comite Richardo Striguill, invasore Iberniæ, extorsit nobilem civitatem Duvelinum, (Dublinium) urbem maritimam, totius Iberniæ metropolim, portuque celeberrimo in commerciis et commeatibus, nostrarum æmulam Londiniarum," Angliæ urbis maximæ, ditissimæ, pulcherrimæ, frequentissimæ. Ipse etiam nos decepisti, qui lib. 1 Topogr. cap. 5, sic scribis: "Vina transmarina ratione commercii tam abundè terram (Iberniæ) replent, ut vix propaginis, proventûsque naturalis in aliquo defectum percipias. Pictavia enim (Galliæ) de plenitudine sua, ei copiosa vina transmittit, cui et animalium coria, et pecudum ferarumque tergora, Ibernia non ingrata remittit." De cæterâ barbarie quam affingis genti illi, ad obstruendum tibi os, nunc non occurrit commodius quod respondeam, nisi Ibernorum nationi ad extremam illam a te descriptam barbariem morum, vix defuisse aliud quàm linguam tuam malè moratam, et planè ignobilem ac degenerem a Trojanâ sanguinis atque animi nobilitate; quam utramque in quâque penè pagellâ jactas et asseveras te hereditate possidere, ut post monebo. Vide verò Cambrensis, aut quisquis es ejus advocatus, an non in ipsum conveniant quæ poeta Prudentius in similes cecinerat:—

> "Ipsa sibi est hostis vesania, seque furendo interimit,
> Moriturque suis ira ignea telis."

Nam eosdem Ibernos, eodem tempore et sæculis, ait hostis Gyraldus et abundâsse et caruisse civitatibus, commerciis, &c.

Verùm ex istâ digressione regredior ad rem, atque ad refellendam, ut promisi, gravissimam illam calumniam Gyraldi, aientis, a diebus S. Patritii et per septem ferè secula sequentia, in Iberniâ vix vestigium Christianæ fidei aut religionis visum, nisi fortè nudum Christiani nomen; cætera omnia nil fuere nisi extrema ruditas; nulla disciplina, nullæ liberales litteræ vel scientiæ, nulla pietas, neque vel tenuis notitia rudimentorum fidei Catholicæ; omnia, spurcities, flagitia, et malorum mare magnum; donec cæperit effulgere spes aliqua boni proventûs et reformationis morum atque Christianæ fidei, procurante triumphatore et expugnatore Iberniæ Henrico II. Anglorum rege.

Hæc aliaque Gyraldus; quem evidenter erroris convincam, in primis testimonio conscientiæ suæ, et fide oculatâ scriptorum aliorum, qui testantur de statu religionis et Catholicæ fidei in Iberniâ, ipsis illis annis et seculo quo vivebat Cambrensis, deinde ordine retrogradiendo sigillatim ostendam, singulis seculis a Cambrense usque ad

S. Patritium, viguisse et floruisse fidem ac religionem Christianam, atque bonas litteras in Iberniâ; si tantùm excipias unum ferè angulum Iberniæ aquilonarem, in quo per septuaginta circiter annos jacuere religio, pietas, boni mores, usque dum S. Malachias circa annum salutis 1124 cœpit cuncta corrigere, ut tandem fecit. Deinque universim monstrabo quidquid a 400 aut ampliùs annis postremis istis in Iberniâ fuit sive ruditatis in fide, sive remissionis in pietate et cæteris rebus sinceræ religionis, sive defectûs in studio bonarum litterarum, totum id natum atque profectum ex tyrannicâ invasione, vastatione, occupatione Iberniæ, factâ primùm circa annum salutis 1170 per fratres, patruos, affines Silvestri Gyraldi Cambrensis, et alios, prædones plurimos qui illis sese spe lucri, et fudendi sanguinis Ibernorum adjunxerunt. Gyraldum verò tot suis in Ibernos famosis libellis et invectivis, non aliud videri agere, quàm velle velare Turcicum jus atque manifestam injuriam, quam Ibernorum priscorum genti ac patriæ universæ intulerunt, ejusdem Gyraldi cognati prædones; qui ferro, flammâ, et merâ dominandi aliis libidine, nullâ lacessiti injuriâ, Iberniam, intestinis dissidiis concitatis turbarum, confestim invaserunt, et depositis atque depulsis patriæ regibus, totam ferè sibi primùm, postmodum Henrico II. Anglorum regi, subjugârunt. Voluisse præterea Gyraldum, illis Ibernorum abjectis epithetis atque mendacibus contumeliis, deprædicare laudem Geraldinorum gentis, eorumque pietatem et zelum promovendæ religionis Christianæ, et reductionem gentium barbarorum ad humanitatem atque mansuetos mores; quarum et invasionem justissimam esse contendit.

Neque verò me proinde putet lector animo minùs æquo, ista in Gyraldum aut suos dicere velle, aut iniquum me videri in posteros sive illorum, sive Anglorum, qui hodiè et a 400 annis inhabitabant (jubentibus Anglorum regibus) longè maximam et meliorem portionem Iberniæ, omnesque ejus urbes ac portus insigniores; nam ego qui hæc scribo sum natus Ibernus, non ex posteris illorum Ibernorum, quos adeo crudè et crudeliter ubique prosequitur Gyraldus, sed ex Ibernis qui progenies sunt Anglorum, qui cum Henrico II. occupârunt Iberniam; et eò venerunt vivente Gyraldo. Solùm mihi mens est defendere læsam injustè innocentiam innocentum revera Ibernorum priscorum, quibus cum mihi et majoribus meis est patria communis ab annis circiter 440. Mens item est manifestare malas artes Gyraldi supprimentis vera, exprimentis mendacia, quæ non debebat. Dum verò tyrannos, invasores, iniquos et prædones appello fratres, patruos, cognatos, affines Gyraldi, et alios, qui illis adhæserant in expugnatione Turcicâ Iberniæ, de illis tantummodo loquor, qui primi irruerunt in Iberniam circa tempora martyrii S. Thomæ Cantuariensis archiepiscopi, nam de ipsorum aliquot posteris, qui etiamnum ab illis annis sunt indigenæ Iberniæ, ut et de posteris Anglorum quibus Henricus II. assignârat posses-

siones in eâdem insulâ, absit ut mali quidquam verè dicam, cùm sit omnis optima posteritas non optimorum, sed prædatorum parentum; qualis posteritas hodiè est Hispanorum gentis, quæ parentes primos Hispaniæ invasores agnoscunt impios et crudeles vastatores, scilicet, Gothos, Vandalos, Alanos, et Suevos; ut et hodierna gens Gallica christianissima, ferissimos et sœvissimos, qui vastârunt et occupârunt, Galliam, Francos.

Sed ad rem et ad Gyraldum revertor. Cujus annis et seculo ut dicebam, erat B. Bernardus, qui in vitâ Malachiæ duo testatur, quæ vellem expenderet adversarius; nam loquens de quibusdam ex Iberniæ populis aquilonaribus, præsertim diœcesis Coneretensis et Dunensis, cujus specialem in se curam pastoralem suscepit Malachias, factus primùm ipsorum episcopus, (nam post creatus fuerat primas Iberniæ et archiepiscopus Armachanus) ita scribit: "Cessavit durities, quievit barbaries, et domus exasperans paulatim leniri cœpit, paulatim correptionem admittere, recipere disciplinam, fiunt de medio barbaræ leges, Romanæ introducuntur, recipiuntur ubique ecclesiasticæ consuetudines, contrariæ rejiciuntur, reædificantur basilicæ, ordinatur clerus in illis, sacramentorum ritè solemnia celebrantur, confessiones fiunt, ad ecclesiam conveniunt plebes, concubinatus honestat celebritas nuptiarum; postremò, sic in melius mutata omnia, ut hodie,* illi genti conveniat quod Dominus per prophetam ait: "Cui antè non populus meus, nunc populus meus." Hæc et his plura Bernardus, quibus qui non credit, incredulus est, et corde durus, fidem tanto testi denegando. Vides Gyralde; ut vel sæculo tuo non fuerint Iberni adeò rudes in rudimentis christianæ fidei, et in moribus adeò immundis atque tu deprædicas; sed fuisse populum a Deo electum et dilectum, benè moratum, legum, atque rituum ecclesiasticarum Romanæ ecclesiæ observantem. Quæ S. Bernardi verba expendens Baronius ad annum 1124 ita ait: "populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Etenim florentissima olim Ibernorum ecclesia multo tempore (non ultra sexaginta aut septuaginta annos, idque in unâ ex multis Iberniæ provinciis Ultoniâ) legitimis destituta pastoribus, tandem per Malachiam, præstantissimum monachorum, ex densis tenebris emisit in lucem, quæ crevit usque ad perfectum diem." Hæc si notâsset Gyraldus, ut et aliud meo sensu, maximè mirum, quod innuit Bernardus, nimirum ipso illo tempore quo viguit illa pietatis atque ecclesiasticæ disciplinæ enervatio in quibusdam Iberniæ partibus, non defuisse in illâ studium bonarum litterarum; ut quamvis pessimis essent homines moribus, optimis nihilominus studerent scientiis. In supremâ nam-

* Adverte, Cambrensis! ista Bernardum scripsisse anno salutis 1150 aut circiter, biennio nimirum postquam Malachias migravit in coelum, qui diœcesanos illos cæpit e bestiali vitâ et moribus ad sanctorum vias alicere anno Christi 1124.

que cathedrâ archiepiscopali Iberniæ, sederunt ante S. Celsum, prædecessorem Malachiæ, "octo uxorati et absque ullis ordinibus, sed," inquit S. Bernardus, "litterati tamen." Vides Cambrensis! ut etiamsi aliquo tempore fuerint malis moribus, non fuerunt tamen eâ ruditate et inscitiâ, quam tu tantopere et ubique exaggeras. Transeo ad seculum proximè præcedens tuum, O Gyralde! in quo non fuisse fide et moribus adeò deploratis universam Ibernorum gentem, ut dicebas, docebit nos, quem tu legisti, Marianus Scotus, qui ad annum salutis 1053 (quo Marianus agebat annum ætatis suæ 35, ut ipse testatur) sic scribit: "Ardericus Barbosus, in Iberniâ vir valdè famosus et miræ religionis; ipse enim feminas et puerulos more clericorum tondebat, et coronas, et non velata capita feminas conversas habere debere, prædicabat, earumque scholam, et puellarum et puerorum et laicorum multam habebat; ob id ex Iberniâ projectus est." In quæ Mariani verba istud scholium adjungit Baronius, ad eumdem salutis annum 1053, in fine, aiens: "In Iberniâ Ardericus Barbosus, qui de se magnam sanctitatis opinionem concitaverat, ubi repertus est a receptis in ecclesiâ ritibus dissentire, ab insulâ tenacissimâ fidei Catholicæ ejectus est. Cùm enim viderent fideles, hunc ipsos pueros et puellas, clericorum more, tondere in modum coronæ, et contra apostolum feminas non debere velare caput, asserere; judicârunt stultitiæ et levitatis, vel quod deterius est, magnæ esse superbiæ indicium, antiquis ecclesiæ usibus et traditionibus non acquiescere." Audis quid isti adversum te dicant, Cambrensis? periisti; et damnationis sententiam tuæ calumniæ accipiunt, si hos judices Marianum et Baronium audis: neque te latere facilè potuit, quid in Mariano, teste oculato, qui hoc ipso anno 1053 adhuc viverat in Iberniâ, ubi et natus erat, legeris de defectu ruditatis in rebus Catholicæ fidei vel bonarum litterarum, deque fervore pietatis et studio liberalium disciplinarum, quæ hoc ævo vigebant in eâdem insulâ.

Cujus fervoris, et magnæ, quæ tunc illic vigebat, constantiæ in fide Catholicâ, non exiguum indicium esse potest martyrium horrendum, quod S. Colmanus (cujus meminit Romanum martyrologium ad 13 Oct.) filius regis Scotiæ veteris sive Iberniæ, subiit illo eodem seculo, id est anno salutis 1012, in Austriâ Germaniæ, in oppido Storkenaw, ad Danubium, non longè a Viennâ, imperante Henrico II. cognomento Claudo dicto Sancto, qui fuit conjux B. Kunegundis, Augustæ, virginis. Quo anno beatus Ibernus Colmanus e patriâ, peregrinationis Ierosolimitanæ obeundæ gratiâ, pede pergens per Austriam, comprehenditur a nefariis oppidanis quibusdam Storkenawensibus, qui sicut Judæi contra Christum, confinxerunt accusationes adversus juvenem et principem innocentissimum, et primum cadentibus forcipibus exceptus, flagellis cæsus, fustibus contusus, deinde constantissimum in Christi confessione in patibulum cum latronibus egerunt. In quo solus victima Dei, duobus annis, incor-

ruptis carnibus, vivido colore, barbâque succrescente permanserat, et patibuli ligna omnia viruerunt, ramosque ex se floridos sparserant, ad stuporem oppidanorum, qui pectora percutientes, scelera in virum Dei admissa agnoscentes, ingenti ac solemni pompâ, convocatis aliunde sacro cœtu clericorum, et multitudine populorum, procedentes ad patibulum, corpus sanctum deposuerunt, honorificentissimè cum canticis collocârunt. Inde postea translatum ad cœnobium totius Austriæ præcipuum Melicense, quæ sepultura est archiducum, ducum, marchionum Austriæ et imperatorum; ubi in loco decentissimo inclusum, in tumbâ prætiosâ, usque hodie manet et micat miraculis.

Eodem ipso seculo, quod Cambrensem proximè præcesserat, non tamen eodem anno quo Colmanus, sed aliquanto seriùs, videlicet anno salutis 1061, vel 1066, S. Joannes Monachus Hiensis, Ibernus episcopus, fide fervens, et zelo conversionis infidelium accensus, resignato episcopatu, patriam deserens, perrexit ad aquilonares maritimas Germaniæ partes, nondum Christi fide imbutas, in viam vitæ æterna dirigendas; ubi cùm convertisset non paucos in regione, quam prisci Wandaliam, vocat verò nostra et patrum ætas Ducatum Michleburgensem, (qui prope fines Daniæ, non longè a celebri maritimâ urbe Lubeco jacet, ad orientale littus) tandem comprehensus, et primum ad ludibrium circumductus per omnes Wandalicas urbes, in quarum singulis vivens adhuc, et lætus in Christo, sustinuit alicujus sui membri abcissionem, hìc aurem, illic nasum, ibi oculum, alibi labra, pedes, manus, etc.; tandem caput in urbe Rethræ; apostolus inde Magnipolensium est noster dictus Joannes. Michleburg Germanis, Magnipolis est Latinis. Si nobiscum vixisses, Gyralde, patriam, vitam, et martyrium hujus sancti nosse potuisses ex multis qui illa litteris mandârunt, inter quos Adamus, Helmoldus, Albertus Krantzius Trithemius, Arnoldus Wion, qui in suo martyrologio, Joannem ponit ad diem 10 Novemb.

Jam ante te monui, capite præcedenti, hoc ipso seculo, anno 1014, ut Marianus scribit etiam martyrio affectum "Iberniæ regem Briennium, sive Barnabam (conjecto fuisse patrem S. Columani, qui ante biennium fuit coronatus) in templo, in ipso die sancto Veneris parasceve 23 Apr. manibus et mente, ait Marianus, "in Deum intentum."

Puto jam satis istis, ex seculo tuo proximè antecedenti, quatuor illustribus exemplis, petitis ab eventibus, qui in Iberniâ vel Ibernis acciderunt anno 1012, 1014, 1053, 1066, et ex fide Mariani, Baronii, Helmoldi, Krantzii, etc. constare in illâ et gente floruisse Catholicam constantemque fidem, litteras, pietatem. Ad quam eamdem rem confirmandam non mùltum te premam, quamvis jure et efficaciter possem, omnibus quæ attulimus argumentis, et capite præcedente, ubi demonstratum fuit, non tantùm ante tuos annos ac seculum, sed et in ipsis tuis diebus, ferè tum maximè, si aliâs un-

quam floruisse in Iberniâ numerum pastorum ac prælatorum gregis Dei illustrium atque optimorum, ut fuerunt S.S. Laurentius, Malachias, Celsus, Christianus, uterque Edanus, Malchus, Neemias, Gelasius, Gillebertus, Catholicus, et alii; ac proinde incredibile videri, quòd populus et grex Ibernorum, ejus temporis eruditus a tantis ac tot doctoribus sanctis, "omnium orbis gentium ac populorum incultissimus, rudissimus, pessimus, in fidei rudimentis ac morum modestiâ penitùs permanserit ignarus," ut calumniatur Cambrensis.

Venio ad tertium retro seculum a tuo, Gyralde, videlicet, ab anno salutis 900 usque ad 1000, pietatem, ecclesiasticas consuetudines, studia bonarum litterarum syncerum ac sufficientem in gente Ibernorum, viguisse notitiam de rebus Catholicæ fidei. Te, o veritatis impugnator! non videtur latuisse nomen et vitam, quæ tuo tempore et multis antè passim vulgata fuit, S. Sulgeni, popularis ac civis tui, Gyralde: et nati in tuâ Britanniâ, post annum salutis 900, sed mortuum circa 1000. Audi igitur quid (non domesticus meus scriptor, sive priscus sive recens, qui tibi fortasse suspectus esset, tanquam adversarius) tuus admirator et popularis Gulielmus Camdenus, alioquin hæreticus, et hostis Ibernorum, sed hâc in re de quâ agimus, meritò impatiens tuorum mendaciorum, scribat ex priscâ fide et monumentis, in suâ Britanniâ, paginâ 684, in hæc verba! "Anglosaxones nostri, illâ ætate (nempe a 1000mo. circiter salutis anno, et retrò per quatuor aut quinque secula,) in Iberniam tanquam ad bonarum litterarum mercaturam undique confluxerunt; unde de viris sanctis sæpissimè," (nota, Camber! istud "sæpissimè,") in nostris scriptoribus legitur, "amandatus est ad disciplinam in Iberniam:" et in Sulgeni vitâ, quoque qui ante 600 annos floruit "exemplo patrum, commotus amore legendi, ivit ad Ibernos sophiâ mirabili claros." Vides, teste tuo domestico, te calumniam struxisse, et injuriam fecisse, et infamem libellum sparsisse, quando de Ibernorum gente dicebas, eam per tot quot curricula annorum defluxerunt, a diebus S. Patritii usque ad tuos, vix præter nomen Christianum, vel vestigium sinceræ fidei Catholicæ, disciplinarum bonarum, probitatis, religionis, modestiæ, vel morum humanorum, visum in Iberniâ; sed omnia malorum, scelerum, barbariæ, superstitionum, etc. genera, species, individua; ita namque aliquando placet tibi loqui atque discurrere de miseris per te Ibernis. Si non arridet tibi Camdenus, arridebit fortassis alius sed priscæ fidei, dummodo non meus domesticus. En tibi priscum scriptorem, Germanum monachum, tibi non ignotum, Hermannum Contractum (apud Henricum Canisium, tom. 1 Antiq.) qui de rebus sœculi a tuo tertii, id est, ab anno salutis 900 usque ad 1000 et 1023, loquens ita, ait, inter alia; "apud S. Gallum, (celeberrimum in Germaniâ cœnobium) Foilanus Scotus eruditus (nosti et fateris in tuâ 1 distinct, cap. 23, Scotum hujus temporis et priorum fuisse synonimum cum Iberno) hâc vitâ

decessit anno salutis 991." Iste Foilanus, ut vides, non fuit Ibernus rudis, sed rudium eruditor, et celebris magister in Iberniâ. Idem Hermannus, ad annum 912, sic scribit: "Apud S. Gallum, Notkerus magister doctus obiit," et ad annum 1022, "Notkerus, quoque magister, (alius a priore) et alii præstantes fratres apud S. Gallum decèsserunt." Si curiosiùs inquiras quinam fuerint viri doctissimi simul et sancti, qui priorem illum litteris informârant, doctissimum atque sanctissimum Notkerum (nam qui informârant posteriorem Notkerum, et reliquos cœnobii S. Galli fratres, fuit Foilanus ille et alii Iberni) unà cum aliis multis tum religiosis viris, tum sæcularibus Germaniæ, dicet tibi vita S. Notkeri, an fuerint duo, tresve aut plures sancti homines Iberni, quorum unus erat episcopus nomine Marcus, alius, nepos Marci, Marcellus dictus, (qui postea relatus est in catalogum sanctorum patronorum diœcesis Constantiensis,) cœteri ex familiâ episcopi ejusdem, qui rediens ex Romanâ peregrinatione, quam ex Iberniâ instituerat, substiterat in Germaniâ cum quibusdam ex suis ad publicè prædicandum evangelium, et docendas liberales optimasque alias litteras.

Rem meliùs intelliges ex verbis vitæ S. Notkeri, (apud Henricum Canisium, tom. 6,) cap. 8, quæ ferè sic habent: "Cum beati viri (Notkeri) mens cupiens ampliùs imbui, (sacris litteris) postularet a Deo ut ejus desiderium compleret, ecce mox quemdam episcopum Scotigenam (id est, Ibernum) nomine Marcum Dominus misit ad cellam (id est, cœnobium) S. Galli, cui (Marco) comitabatur filius sororis, Moengal nomine, postea a nostris (cœnobitis S. Galli) Marcellus, diminutivè a Marco avunculo ejus est vocatus. Hic erat in divinis litteris et humanis scripturis eruditissimus, cujus doctrinis beati viri Notkeri sitibundum cor infusum, refocillatum est. Cumque a fratribus honorificè, sicut episcopum decuit, susciperetur, cognitâ, beatus vir Notkerus scientiâ supradicti Marcelli, cucurrit cito, ac præces Domino fudit cum lacrymis, orans, ut eis voluntatem ibi morandi ob meritum S. Galli daret; qui statim exauditus est. Itaque tantum desiderium loci et regularis vitæ, utrumque, spiritus sancti gratiâ, id operante, cœperat, ut si abire etiam cogerentur, ipsi quantum viribus prævalerent, stare repugnarent. Quid plura? rogatur episcopus cum sociis loco nostro aliquandiu stare, allecto nepote, diuque secum deliberantes, tandem consensit remanere episcopus cum nepote, et paucis suæ linguæ apparitoribus. Cæteris igitur repatriantibus, stolâ indutus, abeuntes benedixit, et multis lacrymis utrinque discessum est. Traduntur, post breve tempus, Marcello, scholæ claustri, cum B. Notkero et cæteris monachici habitûs pueris, inter quos et Rupertus, Tutilo (viri postmodum sancti) quos omnes aliosque, Marcellus (iste est quem discimus rencensitum inter sanctos patronos ecclesiæ Constantiensis) septem liberalium artium scientiâ ad plenum imbuit," etc. Nunc, Gyralde!

et falle lectorem tuum dicendo, rudissimos in bonis disciplinis et rudimentis Catholicæ fidei fuisse Ibernorum gentem hujus sæculi!

Quòd si quartum a tuo sæculo versus S. Patritium percurramus, videbis, Gyralde, te, cum tuis calumniis, extremâ vel inscitiâ rerum atque historiarum vulgatarum, vel multâ malitiâ adversus nomen Ibernorum obsessum fuisse: hoc namque seculum, quod ab anno salutis 800 usque ad 900 recensetur, adeo ferax fuit Ibernorum omni genere bonarum disciplinarum, atque sanctimoniæ instructorum; adeo abundavit viris et feminis cujuscumque conditionis ac statûs, cultui Dei dedicatis, et fervori exercendæ pietatis, ut intra patriam se continere non poterant, sed quodammodo "quasi" apum "examina sese effuderint apud exteras nationes," quibus exemplo innoxiæ vitæ et liberalium litterarum professione prodesse se posse putarânt. Quæ res planè apud me incredibilis foret, nisi viderer, et essem incredulus atque impudens non præstando fidem ipsis, qui oculis rem viderant, testibus magnis. Notum est, hoc seculo vixisse imperatorem Carolum II. cognomento Calvum, nepotem Caroli magni. Cujus Calvi primis annis adeo jacuit et emarcuit Academia Parisiensis (cujus fundamenta olim posuerat Carolus magnus) ut vix vestigium appareret vel memoria; quòd post obitum Caroli magni, ut observârunt prisci scriptores, litteræ et litterarum studium nullo essent prætio, magno essent contemptui. Huic desperato malo cupiens, si quomodo posset occurrere, Carolus Calvus, ut e cineribus suscitaret, "emortuam academiam," non aliunde remedium accersivit quàm ex Græciâ et Iberniâ, in extremis ferè orbis positis, illa ad ortum, ista ad occasum solis; unde, ingentibus præmiis præpositis, plurimos in Galliam allexit, sed ex Iberniâ quàm multos, qui gratis ut satisfacerent amori quem Deo debebant et proximis, illò concederent, promptos habuit. Audiamus, qui rem gestam cernebat, Henricum Antisiodorensem, abbatem, (quem descripsere Papirius Masonus et Baronius) in præfatione libri sui, quem obtulit Carolo Calvo! "Quid Iberniam commemorem, contempto pelagi discrimine, penè totam cum grege philosophorum ad littora nostra migrantem; quorum, quo quisque peritior est, ultro sibi indicit exilium, ut Salomoni sapientissimo (ita Carolum compellat) famuletur ad votum."

In hoc grege unus fuit, qui, annis illis, pro sole sapientiæ et scientiæ habitus erat, Joannes Scotus, cognomento Erigena (id est, genitus sive oriundus ex "Erin:" patria vox, et proprium regionis Iberniæ, Ibernicum nomen est, (ut et Francigena, Angligena, terrigena, notat natum in Franciâ, Angliâ, in terris) qui primus omnium e Græco in Latinum vertit Hierarchiam D. Dionisii Areopagitæ. Fuit iste Joannes Erigena, quem adhuc viventem adeò deprædicat Anastasius, Bibliothecarius Romanæ ecclesiæ, in epistolâ ad Carolum Calvum, quæ præfatio est libri, ut quid in homine maximè commendet, non videat, æquis passibus, eximiis Dei in illo

donis, procedentibus; tandem verò fatetur se, Anastasius, succumbere admirationi de altissimâ scientiâ simul et humilitate hominis, divino spiritu inflati, tantâque mentis demissione ac modestiâ, ut nihil ipsum inflaret vanus scientiæ spiritus. Adeo carus erat Erigena Carolo Calvo, ut, teste Rogero Hovendeno, illum imperator non alio nomine quàm "magistri sui" compellaret, ad mensam non accumberet non accumbente secum "suo magistro" etiam, et voluerit suum regium cubile proximum esse Joannis; de quo argutas, liberales, doctas, sed salsè modestas facetias, gravitate non vacuas, refert idem Rogerus, et mirificè laudat, ad annum salutis 883. Iste est Joannes, quem postea, id est, circiter annum Christi 883, in Angliâ, (cùm antea 30 fermè annos in restaurandâ Academiâ Parisiense, adjutus ab aliis suis popularibus præfati philosophorum gregis, consumpsisset) in monasterio Malmesberiensi Deus donavit laureâ martyris; ut narrat Rogerus. Ejusdemque Joannis diem festum ad 10 Novemb. posuit Romanum martyrologium, quod, jussu Gregorii 13 papæ, fuit editum anno sal. 1583.

Prodeat nunc veritatis impugnator, ac famosi libelli scriptor Cambrensis, et infamet Ibernos tanquam qui neque isto seculo, neque tribus sive anterioribus sive posterioribus, alii fuerunt quàm omnium orbis gentium, rudissimi in rebus fidei catholicæ, et religionis, et morum bonorum. Plura testimonia de doctrinâ et studio bonarum litterarum quæ florebant hoc seculo, id est, ab anno 800 usque ad 900 non addam, quamvis plurima possem apertissima; sed unicum istud, "de totâ penè Iberniâ, cum grege philosophorum, ad littora Gallicana commigrante," ad restaurandam Academiam Parisiensem, et ad illustrandam reliquam Galliam, atque vicinas regiones optimis disciplinis, satis erit. Tantùm adjungam unicum aliud de fervore pietatis, qui his ipsis annis penè universam Ibernorum gentem temerat, et reliquas nationes admiratione percellebat. Taceo, tot passim per Galliam creata hospitalia; qui volet multa videbit in concilio Meldensi, in annalibus Baronii, in capitularibus, ut vocant, Carolinis, et in aliis; contentus ero describere quædam verba testis oculati, magnæ auctoritatis, dignitatis, atque religionis, Walafridi Strabi, abbatis Augiensis* qui vivebat circa annum salutis 850, et in libro de rebus ecclesiasticis, qui passim habetur cap. 25, ita ait: "Quamvis autem geniculationis morem tota servet ecclesia; tamen præcipuè huic operi, Scotorum (id est Ibernorum) insistit natio, quorum multi pluribus, multi paucioribus, sed tamen certis vicibus et dinumeratis, per diem vel noctem genuflectentes, non solùm pro peccatis deplorandis, sed etiam pro quotidianæ devotionis expletione, studium istud frequentare videtur." Et idem Walafridus, in vitâ S. Galli, filii regis Iberniæ, apud Surium, tom. 5, ad 16 Octob.

* Reichenaw vocant, cœnobium imperiale in Rheno, juxta Constantiam sitam; quod olim fuit ex præcipuis et opulentioribus totius Germaniæ.

postquam in præfatione, et in cap. 1 lib. 1, dixisset, "B. Gallum, natum in Iberniâ, et indigenas ejus ipsos esse, quos," inquit, "Scotos dicimus," pergit, lib. 2, cap. 46, ita narrare: "Nuper quoque de natione Scotorum, quibus consuetudo peregrinandi (ad innumera pia loca orbis) jam penè in naturam conversa est, quidam advenientes, unum e suis conviatoribus multiplici peste possessum in eodem monasterio (S. Galli, in Helvetiâ) dimiserunt, qui cum aliquantis ibidem moraretur diebus, et quotidie infirmitatis suæ remedium plenâ fide deposceret, nocte quâdam senem sibi per somnum vidit assistere, gestu et habitu venerandum, quem, quis esset? interrogans, beatissimum Gallum fuisse perdidicit, et protinus ad illum: 'cernis,' inquit, 'Domine, me corpore toto dissolutum, meritorum tuorum quotidie evidentiam præstolari. Noli, ergo, quòd te aliquando credo facturum, differre diutiùs, ad hoc enim usque me reservatum esse cognosco, ut sic his barbaris virtus tua latissimè clarebit, ita etiam gentis tuæ hominibus meritorum tuorum fulgor innotescat et claritas. Scis ipse, scis, inquam, a natali solo quàm longè sim disjunctus, quantâque in tuæ peregrinationis augustiis corporis debilitate compressus; succure citiùs; opitulare quantociùs!' Quâ ille motus quærimoniâ, vultu placido ita respondit: 'Dic mortalibus redditâ, ecclesiam petito, et videbis divino meliùs te sublevari consilio, qùam patriæ vel parentum solatio.' Mane facto, summo animi gestientis ardore, ad basilicam properat, et juxta tumulum B. Galli, promissionis memor, precibus insistit. Post orationem et lacrymas, angulo sarcophagi adnixus, cœpit se sensim erigere, nec priùs lecti angulum, cui innitebatur, deseruit, quàm staturâ erectâ et accepto robore, per se ire et redire potuisset; qui, tempore procedente, plenâ sanitate donatus, in eodem monasterio precibus et sanctæ vitæ deserviens hactenus conversatur."

Quare, o Camber, non tantùm ista dissimulâsti, quæ cæteros non latuerunt, de vigente inter Ibernos hoc seculo, studio litterarum, pieiatis, fervore fidei. Sed et his omnia contraria, in contumeliam universæ nationis sparsisse? o quot insignes sanctimoniâ et scientiâ viros Ibernos hujus sæculi, qui et suam patriam et exteras illustrârunt, nominare poteras? ego, ex plurimis, paucos istos exempli causa. In Italiâ post ann. sal. 800 floruit, Iberniæ natione, S. Donatus episcopus Fœsulanus, (cujus meminit Romanum martyrol. ad 22 Oct.) S. Andreas ejus discipulus, ac popularis et socius peregrinasionis, et archidiaconus ecclesiæ Fœsulanæ. S. Brigida, virgo, soror Beati Andreæ. In Germaniâ, S. Fintanus, qui ex principe provinciæ Lageniæ in Iberniâ factus est monachus, et inclusus, ut vocant, in cœnobio Peninsulano Rheni, quod Rheinaw appellant, (sito inter Constantiam et Schaffusiam, urbes Germaniæ) ubi post exactam vitam, admirandæ magis quàm omnibus imitandæ sanctitatis plenus, dierum, meritorum, miraculorum, migravit in cœlum anno sal. 827, ad diem 15 Novemb. Cujus Fintani nomen in publicas tabu-

las relatum, recensetur inter alia, præcipuorum ecclesiæ ac diœcesis Constantiensis patronorum sanctorum. S. Jeron. sacerdos et unigenitus principis Iberniæ, martyrio coronatus in Germaniâ inferiore, in provinciâ Hollandiæ, apud Batavos, in oppido Nordwis, anno salutis 855 aut circiter. In Angliâ Joannes Erigena, de quo superiùs dictum. In ipsâ Iberniâ, inter multos alios, laureâ martyrii illo sæculo donatus, sævientibus in christianum nomen Norwegis, seu Normannis piratis, unus fuit S. Blatmac, unigenitus regis Iberniæ, sacerdos, quem barbari ad altare, sacram Eucharistiam conficientem, trucidârunt, in parvâ insulâ S. Columbæ, sive Hy dictâ, prope littus Iberniæ; cujus Beati Blatmaci vitam, versibus hexametris scripsit Walafridus Strabus, et in suum tom. 6, intulit Henricus Canisius. Omitto recensere alios hujus sæculi sanctos Ibernos.

Progredior ad quintum, a tuo, Gyralde, seculo, quod fuit ab anno Christi 700 usque ad 800. In quo seculò, ut et in diebus aliis, quæ restant usque ad S. Patritium, tot sanctos, doctosque viros fuisse invenio, tantâ pietate in Deum flagrâsse, ut plurimùm universam nationem Ibernorum, tam tenaciter observâsse ritus, mores, fidem Romanæ ecclesiæ, ut cùm non paucos libros, historias, monumenta prisca variarum Europæ provinciarum certè non segniter versaverim, nusquam tamen et nunquam memini me quippiam simile legisse de aliâ ullâ orbis natione eisdem seculis vivente: nam de horum potissimum trium seculorum Ibernis sanctis et doctis dicebat S. Bernardus, illos in tantâ multitudine ex Iberniâ solitos migrare aliò, ad evangelizandum ac bonis disciplinis imbuendos exteræ nationis homines, ut inde, id est, ex Iberniâ," "examina sanctorum," inquit S. scriptor, prodierint, " et, quasi inundatione factâ, sese effuderunt et repleverunt," novam Scotiam, Angliam, Galliam Belgicam, et Bracchatam, et Celticam, et Germaniam, et Italiam. De eorumdem trium seculorum sanctis scribebat auctor vitæ S. Wironis, episcopi Dublinensis in Scôtiâ vetere, sive Iberniâ, apud Surium, tom. 3, ad 8 Maii: " Scotia fertilis sanctorum insula et stellarum numerum propè æquans, etc." De eisdem, alii multi. Sed sigillatim pauca ex pluribus omittendis testimonia irrefragabilia producamus, et imprimis de seculo quod excurrit ab anno salutis 700 usque ad 800. Circa finem hujus sæculi cœpit Sathanas seminare zizania in cordibus quorumdam ex laicis indigenis Scotorum veterum, seu Iberniæ, quòd nimirum sacramentalis confessio peccatorum sacerdotibus facienda, non laicos sed clericos adstringebat. Sufficere verò laicis si ad sacram eucharistiam percipiendam accedant, præviâ confessione et contritione peccatorum mortalium (si quæ sunt) factâ solo Deo, absente et nesciente sacerdote judice. Hunc pestilentem errorem unâ suâ ex Galliis missâ epistolâ, quam Baronius vocat "auream" ab Alcuino Anglo quem Carolus magnus, " magistrum suum delitiosum" appellabat, statim compescuit, cujus epistola quæ vigesimasexta numeratur âb Henrico Canisio, tom. 1, inter reliquas Alcuini, cum eximiâ ad-

junctâ laude, descripta fuit a Baronio ad appendicem anni 772. Initium tantùm et finem hìc dabo, ad confusionem calumniæ Cambrensis. Sic verò habet titulus, "Dilectissimis viris, fratribus et patribus in provinciâ Scotorum:* plurima vestræ sagacitatis et religionis laus nostris sæpiùs insonuit auribus, seu propter sacratissimam monachorum vitam, seu propter laicorum religiosam conversationem. Dum illi ab omni strepitu secularis inquietudinis, soli Deo vacare desiderant, et isti inter mundanas occupationes castissimam vitam degere dicuntur. Isti intercessores suos præsentis vitæ solatiis sustentare gestiant, quòd quisque gratiam benedictionis sibi a Deo datam, in alterutrum sibi refundat. Unde et nos vestræ pietatis exemplis edocti, nostri navigii cursum, orationibus vestræ sanctitatis, ad portum quietis dirigi precamur," &c.: et sub finem epistolæ, postquam paternè, piè, et doctè monuisset laicos illos errantes, ait: "Cum gratiarum actione semper rememorate, quomodo vos divina misericordia de terrâ tenebrarum et frigoris, de regione ignorantiæ et iniquitatis transtulit in loca lucis et lætitiæ, in tabernacula abundantiæ et justitiæ, et elegit vos sibi in filios pietate paternâ, et per vos nomen illius nuntietur in gentibus, etc," et tandem, "divina nos præveniat gratia et subsequatur ubique clementia, et in omni opere bono florere faciat, viri fratres dilectissimi et sanctissimi patres." Hæc Alcuinus: ecce, Gyralde, ut non tantùm ecclesiasticos Iberniæ laudat vitâ sanctissimâ, sed et laicam ejusdem insulæ gentem commendet a religiosâ conversatione et vitâ castissimâ, quæ vera esse confirmat a communi famâ vagante per exteras provincias. At tu contrà, gentem Iberniæ et hoc seculo Alcuini et quatuor sequentibus et duobus anterioribus, ais, non solùm vitæ bestialis, irreligiosæ, sacrilegæ fuisse, et rudissimam in rebus fidei, &c., sed plusquam Sodomitico vitio, illam præcipuè et incorrigibiliter laborâsse, disertè scribis in tuâ 2 distinct. cap. 10, et 19, et 35, et alibi. Verba tua et exaggerationes hâc de re non describo, ne oculos castos lectoris offendam; sufficit indicare te scripsisse quòd gens illa sit ex bestiis, bestialiter vivens, ad societatem cum bestiis (quas interdum nominas, cujus sint speciei) ineundam prona; uno verbo Iberniam totam a tempore S. Patritii usque ad dies Gyraldi non fuisse aliud quàm spatiosum veneris fanum, lupanar, prostibulum. Non veneris muliebris (parum videtur istud Gyraldo) sed veneris, ut ille disertè ait, vaccinæ, etc. Sanè, Gyralde, si vera essent quæ scribis,† caritas christiana, si quam aliquam haberes adversum Ibernos, cohibere te debebat, ut in scripta ad memoriam posteritatis non referres, neque

* Quisque non imperitus in priscorum scriptis, novit, Scotos hujus ævi, et duorum sequentium et omnium antecedentium, solos fuisse indigenas Iberniæ insulæ: nam quos nostra ætas nominat Scotos, Britanniæ insulæ, ii sortiti sunt nomen recentiorum Scotorum ab anno salutis 1000. Pergit Alcuinus.

† Ut revera non sunt nisi atrox infamia et mendax convitium, quod nemo mortalium unquam a tempore quo primùm Iberni cœpere dare nomen Christo, vel somniavit, aut suspicatus fuit de illâ gente, ante Gyraldum.

adeo tragicè exaggerares, ut facis, adeo fœdas res, quarum notitia parum prodesse, multùm obesse potest, non lectori tuo tantùm, sed et perpetuò bonæ famæ, universæ gentis christianæ catholicæ, quondam de tuâ patriâ, Gyralde, de variis aliis Europæ provinciis, de totâ ecclesiâ Dei optimè meritâ. Deus tibi ignoscat, si jam locus veniæ restat, hanc enormem injuriam et alias plurimas a te sparsas ad infamiam et opprobium sempiternum, quantùm in te fuit, gentis Ibernorum; de quâ nemo præter Gulielmum Camdenum hæreticum, et incautum Abrahamum Ortelium credidit, aut crediturus sit propudiosa ista, nisi homo, fidei inanis, aut infamis; credendum a cordatis est Alcuino tanto viro, verè testanti: "castissimam vitam" ut plurimum "vixisse," vel "laicam gentem Ibernorum" illius sæculi. Certè si de hodiernæ quæ superest catholicæ Ibernorum nationis, continentiâ a rebus illicitis aut præposteris venereis vel fœdis, fieret a bonis ac sagacibus inquisitio diligens, facilè tandem ferretur sententia, non esse sub cœlo gentem, cui palmam honestatis jure cedere posset Hibernica, cujus, ut multis nationibus jam notum est, temperantiam vel inde conjiciunt, quòd vix ullus ex Iberniâ appellit ad quasdam exteras nationes, quas nominare necesse non est, qui non obstupescat ad ea, quæ de monstrosis aut præposteris aliquorum voluptatibus, aliquando cogitur audire, de quibus in suâ patriâ ne vel somniare norunt aut nominare. Sed de his, quibus Gyraldo volupe est loqui, plus satis sit dictum; dummodo lectores illius intelligant, ipsum solum, adversante Alcuino, et cœteris hucusque gravissimis testibus nominatis, impugnare veritatem et impingere Ibernis crimen enorme. Dicamus non nihil de studio bonarum litterarum, quæ cum pietate vigebat hoc seculo in Iberniâ, id est, ab anno 700 usque ad 800 Christi. Constat Carolum magnum cœpisse regnare anno salutis 768, et quadriennio circiter post, ipsum cum exercitu transiisse in Italiam, ubi infestissimum ecclesiæ Romanæ, regem Longobardum, Desiderium nomine, bello petiit, cepit, privavit regno tam ipsum quàm posteros. Carolus victor reversus in Gallias, cùm pacata ferè omnia essent, (excepto regione Saxonum) cogitare cœpit de studio bonarum disciplinarum, quibus ipse erat addictus, introducendo in suas ditiones pacatas, deque jaciendis fundamentis Academiæ Parisiensis. Cœterum suis cogitationibus obstare expertus est, nullos se, in suis regnis novisse viros doctos, qui litterarum studia vel aliis persuadere, vel si persuaderent, promovere possent incœpta. Ex Iberniâ proinde tunc temporis optimis studiis exercitâ necesse fuit proficisci in Gallias, ad Carolum, qui gratis et puro Dei, et proximorum amore moti, optimas regis cogitationes in rem conferrent, ut cognoscet lector ex relatione Monachi Sangallensis (qui penè rem gestam sub oculos habuit (lib. 1 de gestis Caroli magni apud Henricum Canisium, tom. 1) in hæc verba: "Cùm Carolus in occiduis mundi partibus solus regnare cœpisset, et studia litterarum ubique prope modum essent in oblivione, contigit duos Scotos de Iberniâ,

cum mercatoribus Britannis ad littus Galliæ devenire, viros et in secularibus, et in sacris scripturis, incomparabiliter eruditos; qui cùm nihil ostenderent venale, ad convenientes emendi gratiâ turbas, clamare solebant, "si quis sapientiæ cupidus est, veniat ad nos et accipiat eam, nam venalis est apud nos." Quam tamen venalem se habere professi sunt, quia populum non gratuita sed venalia mercari viderunt, ut sic vel sapientiæ, sicut cæteris rebus coemendis, eos incitarent; vel sicut sequentia comprobârunt, per tale præconium in admirationem verterent et stuporem. Denique tamdiu clamata sunt ista donec ab admirantibus vel insanos illos putantibus, ad aures Caroli regis, semper amatoris et cupidissimi sapientiæ, perlata fuisset. Qui, sub omni celeritate eos ad suam præsentiam evocatos, interrogavit, si verè, ut ipse famâ comperit, sapientiam secum haberent, qui dixerunt, et habemus eam, et in nomine Domini dignè quærentibus dare parati sumus. Qui cum inquisiisset ab illis, quid pro suâ sapientiâ peterent? responderunt, "loca tantum opportuna, et animas ingeniosas, et sine quibus ista vita transigi non potest, alimenta et quibus tegamur," quibus ille perceptis, ingenti gaudio repletus, primùm quidem apud se utrumque parvo tempore tenuit. Postea verò cùm ad expeditiones bellicas urgeretur, (adversus Saxones) unum eorum, nomine Clementem, in Galliâ residere fecit. Cui et pueros nobilissimos, mediocres, infimos satis multos commendavit, et eis prout necessarium habuerant, victualia ministrare præcepit, habitaculis opportunis ad habitandum deputatis (in urbe Parisiorum.) Alterum verò nomine Albinum, in Italiam direxit, cui et monasterium S. Augustini juxta Ticenensem civitatem delegavit. Ut illuc ad eum qui voluissent, ad discendum congregari potuissent." Audito autem Albinus de gente Anglorum quàm gratanter sapientes viros religiosissimus regum Carolus susciperet, conscensâ navi venit ad eum; qui erat in omni latitudine scripturarum supra cœteros modernorum temporum exercitatus, ut puta, discipulus doctissimi Bedæ, etc. Hanc camdem historiam de initio fundationis academiæ Parisiensis in Galliâ et Papiensis sive Ticinensis, in Italiâ, facto per duos doctissimos Ibernos sive Scotos veteres hoc seculo septimo a nato in terris Christo, "ex archivis ecclesiæ Arelatensis" inseruit in suam historiam S. Antoninus.

Neque alia, nisi fallor testimonia ex pluribus quæ habeo, oportet afferre adversus meum Cambrum aientem, etiam hoc seculo extremâ ruditate litterarum et rerum religionis et fidei catholicæ rudimentorum laborâsse Ibernorum gentem, quâ tamen eodem seculo non fuit eruditior in Europâ, ut evidenter ostendere possem, neque, ut vereor, magis pia natio, ut partim constare potest, ex nonnullis inter plurimos Ibernorum illius ævi, qui excelluerunt sanctitate et scientiis tum extra quàm intra patriam. Nam hoc ipso seculo in Iberniâ circa annum salutis 710, mortuus est S. Adamnanus Columbiensis, qui quartus fuit successor illius celeberrimi S. Columbæ, abbatis Iberni,

de quo Beda, lib. 3, cap. 4, et lib. 5, cap. 10. De quo Adamnano (cujus diem festum posuit Petrus Canisius ad 3 Septemb.) inter multa verè miranda, sicut ait Beda, lib. 4, Histor. ca p. 16: "Erat Adamnanus (etiam de facie et colloquio familiariter notus Bedæ) vir bonus, sapiens, scientiâ scripturarum noblissimè instructus, unitatis et pacis studiosissimus, Christi famulus, ad vitam raptus æternam," et cap. 22: "Adamnanus, sanctus et dignus Deo sacerdos Columbiensium (ita monachi discipuli et posteri S. Columbæ abbatis appellantur) egregius, miram in moribus et verbis prudentiam, humilitatem, religionem ostendens," etc. et in libro de Locis Sanctis, in peroratione. "Eruditissimus in scripturis præsbiter Adamnanus, vir venerabilis, scriptor pulcherrimæ historiæ," de locis nimirùm sanctis, quam in epitomen ait Beda se redegisse. Eodem etiam seculo in Iberniâ, migravit in cœlum S. Egbertus, præsbiter, (cujus meminit Romanum martyrol. ad 24 Apr.) de quo, Beda scribit, illum in Iberniâ ideo semper mansisse, quòd in eâ summum cum studio pietatis viguisse pariter et studium bonarum litterarum intelligeret. Eodem etiam seculo, in Belgio sunt martyrio coronati rex Iberniæ, Luglius, et frater ejus Luglianus archiepiscopus et primas Iberniæ; quorum uterque unanimes, abdicatis regno et primatu, pro Christo elegerunt exulare a patriâ et quasi eremitæ vivere in Belgio, ubi circa annum salutis 725, ad 23 Octob., uterque pariter lauream martyrum adepti sunt, ut in eorum vitâ legitur. Passus est etiam illo ævo martyrium, in Belgio, S. Rumoldus, unigenitus regis Lageniæ, in Iberniâ, et episcopus Dublinensis, qui resignato episcopatu in manus summi pontificis Romani, obtentâ licentiâ prædicandi evangelium infidelibus, innumeros ex illis fecit in Belgio fideles. Sed tandem apud Mechliniam, urbem Brabantiæ, martyrio fuit affectus anno salutis 775, 24 Junii, sed Romana ecclesia instituit ut celebraretur festum S. Rumoldi ad diem 1 Julii. Eodem ipso seculo in Belgio mortua est B. Oda, virgo, filia regis Iberniæ, quæ cùm cæca nata fuisset, navigavit e patriâ ad sepulchrum S. Lamberti, episcopi Leodiensis martyris, ubi recepto visu, in gratiarum actionem, Deo vovit virginitatem, et voluntarium extra patriam exilium, in quo mortua est, miraculis clara.

Eodem seculo in Germaniâ migravit ad cœlum S. Albuinus, Ibernus, discipulus B. Bonifacii Moguntini, archiepiscopi, episcopus primus Fritislariensis, in Thuringiâ Germaniæ, ubi obdormivit in Domino, circa annum salutis 770, 14 Novemb.

Eodem seculo in Germaniâ miraculis clarus migravit ad Christum, kal. Decemb. anno 754, sanctus Virgilius, filius regis Iberniæ, vir doctissimus in rebus philosophicis et theologicis, concionator Aulicus Pipini, Francorum regis et patris Caroli magni, nonus episcopus Saltzburgensis in Bavariâ, cujus "secundus apostolus" nominatur, ut etiam et primus apostolus Karinthiæ, cujus ducem Rectimarum, cum suo populo, convertit ad Christum. Venit ex Iberniâ cum sociis

novemdecem (inter quos septem episcopi) ad prædicandum evangelium infidelibus, qui tamen omnes, monente angelo, jussi fuerunt seminare Dei verbum, et vitam agere in Germaniâ, ubi sanctissimè obierunt. Virgilius vivens et mortuus innumeris clarus erat miraculis, (ut est in ejus vitâ apud Henricum Canisium, tom. 6, Hundium, Velseram, et alios): S. Alto, discipulus illius, Ibernus, fundator cœnobii quod etiamnum Altominster nominatur, et situm est in Bavariâ inter urbes Augustam et Munachium, miraculis illustris migravit in cœlum ad diem 5 Feb. anno salutis circiter 780. S. Martinus, episcopus, socius Virgilii, cum duobus aliis, sepultus Trisingiæ in Bavariâ. S. Lullus, alius discipulus Virgilii, sepultus in Bavariâ, cœnobio Roth. dicto. Dobdagræus, episcopus Chiensensis, socius Virgilii, sepultus in eâdem urbe.

Floruit eodem seculo S. Hildulphus, archiepiscopus Treverensis in Germaniâ, filius regis Iberniæ, (cujus Hildulphi nomen ponitur in Romano martyrologio, ad 11 Julii,) frater duorum SS. Erhardi (cujus natalem diem Germani celebrant ad 8 Januar.) episcopi Ardakadensis in Iberniâ, et S. Alberti Cassellensis, episcopi in eâdem insulâ, qui, tres fratres, relictâ patriâ, voverunt se saluti Germanorum, quorum innumerabiles traxerunt ad Christum, et miraculis clarent. Hildulphus, resignato tandem archiepiscopatu, petens eremum Vosagum, migravit in cœlum anno salutis circiter 780. Erhardus et Albertus ambo in eodem sepulchro postiti Ratisponæ in Bavariâ, sed ille uno anno obiit ante istum.

Vide de tribus fratribus, inter multos, Wiguleum Hundium de episcopis Ratisponensibus, verbo "Erhardus."

Hoc ipso seculo floruit in Angliâ S. Maldulphus, Ibernus doctissimus, qui fuit magister illius beatissimi et incomparabilis scientiæ Aldelmi Angli episcopi, mirificè laudati a Beda. Fuit Maldulphus,* fundator monasterii Malmesberiensis in Angliâ.

Fœminas Ibernicas eximiè sanctas et miraculis claras dedit plurimas istud seculum, inter quos fuit illa Modwena, filia regis Iberniæ, fundatrix trium regiorum cœnobiorum in Angliâ, ubi plurimis annis vixit, sed mortua fuit in Iberniâ, unde ipsâ jubente translatum est sacrum ejus corpus virgineum in Angliam, ubi in celebri oppido Burton (cujus patrona est Modwena) ad flumen Trentam, honorificè tumulata fuit. In Italiâ, apud Faventiam urbem, obiit et miraculis micuit, hoc seculo, S. Emilianus, episcopus Iberniæ, rediens peregrinatione Romanâ; ejus dies festus agitur ad 6 Novemb. et inter speciales Faventinorum patronos recensetur. Eodem seculo apud civitatem Luccam in Italiâ, obiit S. Silvanus, episcopus Ibernus, miraculis clarus, cujus diem natalem ponunt ad 30 Maii. Multos alios hujus sæculi sanctos Ibernos, sciens, prætereo numerare.

* De quo, vide inter epistolas S. Bonifacii, a Scrario editas, epist. 41, quæ est, Scoti seu Iberni ad eumdem Aldelmum.

Transeo ad sextum a Gyraldo versus dies S. Patritii sæculum, quod fuit ab anno Christi 600 usque ad 700, ubi ex illustribus et eximiè doctis æquè ac sanctis Ibernis invenio multo plures, quàm mathematici, stellas in firmamento cœli, quorum sanctorum sufficiat hoc loco producere specimen aliquod insigniorum, qui per Europam discurrebant instar apostolorum. Primus præeat S. Columbanus (quem Romana ecclesia veneratur ad 25 Novemb.); ille apostolus Gallorum, Germanorum, Italorum, cujus sanctimoniam, doctrinam, zelum honoris Dei, sitim salutis proximorum, partim habes in vitâ ipsius, quæ apud Surium est, expressim; partim apud Henricum Canisium, tom. 1; partim apud alios, præsertim Baronium, qui illum appellat "alterum Eliam et Joannem Baptistam." Fuit Columbanus nepos regis Iberniæ; mortuus in Italiâ; et suscitatione mortuorum et illuminatione cæcorum, aliisque innumeris miraculis clarus, abiit in cœlum anno salutis circiter 619.

Hunc secutus discipulus S. Gallus, penè par magistro in sanctitate, zelo, suavitate, doctrinâ, prædicatione, ut videre est in ipsius vitâ ad 16 Octob. (ut Romanum martyrologium ait) apud Surium. Fuit nepos Columbani, filius regis Iberniæ, fortassis illius quem S. Bonifacius Moguntinus, in vitâ S. Livini, vocat Colomagnum; quem Beatum Gallum, volunt quidam migrâsse in cœlum anno salutis 645, sed verius videtur ipsum adhuc in vivis fuisse anno sal. 640.

Aliquando post S. Gallum martyr fuit in Belgio, prope Gandavum, factus S. Livinus, regia proles, et Iberniæ archiepiscopus, admirandæ, si quis alius, (teste Bonifacio Moguntio, qui ejus vitam scripsit) sanctitatis, ab utero matris miraculorum plurium patrator egregius, et evangelicus præco, ex præcipuis Belgii apostolis unus; cujus festum ad diem 12 Novemb. ponit Romanum martyrologium.

S. Fursæus, (de quo Romanum martyrologium ad 16 Januar. Beda, lib. 3, Hist. cap. 19, et alii) filius Philtani, regis Ultoniæ in Iberniâ, qui cum duobus fratribus Foilano martyre et episcopo, et Ultano abbate, aliisque sociis duodecim Ibernis sanctissimis prædicatoribus, ut fuerunt Fredegandus, Bertuinus, Etto, Eloquius, Mombulus, Wasnulphus, Vulganus, Adalgisus, Autbodus, Mono, et alii, quorum dies festos, loca obitûs, et vitam, partim Molanus, partim Haræus, partim alii scriptores litteris et martyrologiis inseruerunt.

Eodem seculo, circa annum 660, e Belgio migravit in cœlum S. Vincentius, antè dictus Maldegarius, filius Iberniæ regis, et inter primos Dagoberti Francorum regis palatinos, cui idem Dagobertus suam neptem S. Waldetrudem, hæredem, ac dominam et ducissam Lotharingiæ et magnæ portionis Flandriæ, dedit in uxorem; ex quâ quatuor suscepit liberos sanctissimos, Dentlinum, Landelinum, Wadelbertam, et Aldetrudem. Ipse verò Vincentius, licentiâ obtentâ a suâ conjuge B. Waldetrude, tandem valedicens mundanis rebus, induit monachum, et ad 14 Julii anno salutis circiter 660, meritis et multis virtutibus clarus, migravit in cœlum, ex oppido Hannoniæ,

Sonegiis dicto, ubi nobile construxerat antè cœnobium, ut et aliud nobilissimum, quod Montem, non minùs loci situ, quàm religione altum, appellant.

Eodem seculo, in Germaniâ, ex Ibernis sanctis doctoribus, floruerunt S. Kilianus, martyr et primus episcopus et apostolus Franconiæ, ubi in urbe Herbipoli, vulgò Wirtzburg, cum sociis S. Colonato præsbitero, et Totnano diacono, coronam martyrii adeptus est.

S. Disibodus, episcopus Dublinensis, quoque resignato honore pontificio, ad convertendos infideles Germanos discessit ex patriâ; qui post innumeros ad Christum aggregatos, plenus dierum, meritorum, miraculorum, abiit in cœlum, 8 Julii, anno salutis circiter 680; quamvis aliqui eum velint obiisse circa annum 580.

Eodem seculo florebat in Germaniâ S. Vendelinus, filius regis Iberniæ, qui ignotus voluit agere subulcum, sed multo tempore elapso, tandem agnitus et coactus deserere curam, nunc suum, nunc ovium, factus fuit discipulus B. Firmini et postea sanctissimus abbas, quem cùm egisset aliquot annis, abdicato honore, secessit in eremum; ubi in territorio Treverensi prope oppidum Westrich senex et diebus ac Deo plenus, gravis meritis et clarus miraculis abiit in locum suum, id est sanctorum, ad 20 Octob. anno salutis circiter 760.*

Eodem seculo, ab anno 600 usque ad 700, florebant in Angliâ ex Ibernis sanctis doctoribus, Aidanus, primus Lindisfarnensis episcopus, (cujus meminit Romanum martyrol. ad 31 Aug.) de quo mira refert Beda, ut et de S. Finano Iberno, episcopo secundo Lindisfarnensi, et de S. Colmano Iberno, tertio episcopo Lindisfarnensi, quorum primus in Angliâ anno salutis 631; secundus in Angliâ anno 661; tertius anno circiter 680 aut 690, in Iberniâ migravit in cœlum. De tribus istis episcopis, ut de tribus aut quatuor aliis Ibernis in Angliâ episcopis, quos vocat Dimam, Tudam, Ceolach, etc., refert idem Beda maximam universæ Angliæ partem, per illos ad Christum fuisse conversam.

Eodem seculo vivebat in Angliâ, sextus Lindisfarnensis episcopus, S. Cutbertus, (qui in Romano martyrol. ponitur ad 20 Martii) filius regis Iberniæ, mortuus anno 687. Stupenda de Cutberto narrat Beda, qui, nisi fallor, illum etiam de facie noverat.

Cæterùm ut desinam, magis quàm finiam numerare sanctos insigniores hujus ævi Ibernos, qui per Europæ regiones dispersi, evangelizabant regnum Dei, claudam sermonem generalibus quæ describam, verbis, Mariani et Alcuini, quorum ille ad annum salutis 674 in chronico scribit: "Ibernia, Scotorum insula, sanctis viris plena habetur." Alcuinus, Caroli Magni "magister delitiosus," in vitâ S. Wilibrodi, (apud Surium, tom. 6, ad 7 Novemb.) cujus

* *Notula, alienâ manû in margine conscripta*:—Iste Vendelinus, hic per errorem positus, spectat ad præcedens seculum, id est, ab anno salutis 700 usque ad 800.

nomen relatum est in tabulas authenticas Romanæ ecclesiæ, ita ait: " in sacris eruditionibus et in omni sobrietate morumque honestate, beatissimo, usque ad vigesimum annum suæ ætatis, adolescente (Wilibrodo) proficiente, arctioris vitæ ardore succensus, et peregrinationis amore instigatus, et quia in Iberniâ scholasticam eruditionem viguisse audivit, etiam, quorumdam sanctorum vivorum, famâ narrante, conversatione incitatus, et præcipuè beatissimi patris Egberti, (cujus meminit martyrol. ad 24 Apr.) cognomento sancti, et Wicberti, (etiam iste nominatur in martyrol.) venerabilis viri et sacerdotis Dei, quorum uterque, ob cœlestis patriæ amorem, domo, patriâ, cognationeque relictâ, (in Angliâ) in Iberniam recessit, ibique dulcissimos supernæ contemplationis fructus, sæculo nudus, Deo plenus, solitariâ quotidie hauriebat conversatione. Horum beatus adolescens æmulari cupiens religionem, cum conniventiâ sui abbatis et fratrum, in Iberniam veloci cursu contendit (anno salutis circiter 680,) etc. Ibique duodecim annis, inter eximios simul piæ religionis et sacræ lectionis magistros, futurus multorum populorum prædicator erudiebatur, donec occurreret in virum perfectum et in ætatem plenitudinis Christi. Tricesimo itaque et tertio ætatis suæ anno, major egregio viro fidei flamma crescebat in pectore, ita ut parum ei videretur sibi soli in religionis sanctitate sudâsse, sinon et aliis quoque in prædicationis veritate prodesset, etc. Assumpsit itaque secum duodecem fratres* eodem fidei fervore armatos, quo et ipse navim conscendit in Belgium, prædicaturus Hollandis, Frisiis et Westphalis idolatris verbum Dei, quorum aliqui postea ob prædicationis evangelicæ instantiam martyrio coronati sunt,† anno salutis circiter 697; aliqui verò episcopatûs ordinem accipientes,‡ post sanctos prædicationis labores in pace quieverunt, etc. De quibus omnibus duodecem, præsertim de Wilibrordo, Wicberto, duobus Ewaldis, Swiberto, Accâ, ex Iberniâ ad conversionem Belgarum et vicinarum regionum profectis, nominatim disserit Beda, lib. 3, cap. 13, et lib. 5, cap. 10, 11, 12, ubi multa et magna etiam narrat de miro pietatis eximiæ et litterarum bonarum omnium studio, quod seculo illo et sequente fervebat in Iberniâ passim. Sed longè majora et plura planè ad stuporem lectorum, qui rem suis momentis expendere solent, de rarâ sanctitate, sapientiâ, scientiâ, sancto zelo, dono prædicationis evangelicæ, caritate incensâ erga Deum et homines, domesticos, exteros, amicos, inimicos, fideles, infideles; deque indefesso labore, humilitate, devotione, etc. doctorum et sanctorum Ibernorum, (quos nominatim expressit) qui vel solam Angliam hoc seculo, id est ab anno 600 ad 700, imbuerunt litteris

* Inter multos Anglos monachos, qui tum erudiebantur et morabantur in Iberniâ.

† Ut fuerunt Wicbertus, Ewaldus albus, Ewaldus niger, qui tres relati sunt in album sanctorum Roman. Martyrol.

‡ Ut ipse Wilibrordus, Swibertus, Acca, Marchelmus, alii in Roman. Martyrol.

et religione, narrat idem venerabilis Beda penè passim, sed præcipuè lib. 3, cap. 3, 5, 15, 16, 17, 19, 21, 24, 27, et lib. 4, cap. 4, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, et lib. 5, cap. 10, 11, 12, 16, 17, 18, 22, 23. Quæ cum ita sint, quânam, quæso, fronte vel conscientiâ Gyraldus Cambrensis (qui etiam apices Bedæ sæpiùs expenderit, ac legerit, ut et Alcuinum, Marianum alios) ausus fuit provulgare immane mendacium illud suum, et infame vitium, quo aiebat, neque hoc seculo, id est ab anno salutis 600 usque ad 700, et aliis tum sequentibus, tum antecedentibus, gentem Ibernorum aliam fuisse, quàm omnium orbis gentium maximè incultam, barbaram, in rebus fidei Christianæ religionis et litterarum rudissimam, gentem spurcissimam, ex bestiis bestialiter viventem, veneri vaccinæ præcipuè et incorrigiliter dedicatam; gentem incæstam, adulteram, illegitimè natam, perjuram, proditoriam, fallacem, versipellem, crudelem, sanguinis alieni sitientem, etc.! Sanè non statuo apud me, utrum magis admiror desperatam, nisi fallor, furentis ac mentientis mentis, atque oris et calami Cambrensis impudentiam, an verò levitatem ac simplicem nimis facilitatem, ne dicam fatuitatem fidei, animique eorum, qui ista aliaque illius legentes, jus idonei bonive testis, ipsum aut auctoritatem etiam vel mediocriter sani scriptoris habere existimant. Neque creduli isti lectores multùm advertunt, quòd inter alias plures et idoneas causas, cur Cambrensis libri etiam dum viveret ipse, exosi erant omnibus (ut et ipse dolens sæpè conqueritur) lectoribus notis et ignotis, domesticis et extraneis illis, non postrema fuit, hominis extrema, crebra, et impotens impudentia mentiendi et calumniandi de Ibernorum gente, reluctantibus Gyraldo, non experimento tantùm ferè omnium qui illi erant sunchroni, sed et historiis gravissimis anteriorum annorum, quæ palam, sæpè, honorificè, verè, referebant plurima memorabilia, de fervore fidei, pietatis, doctrinæ, aliisque multis commodis, quæ vigebant in gente Ibernorum et redundabant in commodum totius reipublicæ Christianæ, et variarum ejusdem provinciarum, ut Italiæ, Angliæ, Germaniæ, Belgii, etc. Sed quid facies impudentiæ? quæ neque Deum timet neque homines veretur, modò loquitur quod lubet, nil pensi habet an liceat? an vera loquatur, an eorum quibus malè cupit, bono nomini noceat? an cum ratione consentiat oratio? an mens et lingua loquantur eadem, an mea verba sonent priscis contraria dictis?

Accedo ad postremum a seculo Gyraldi ævum, quod proximùm fuit seculo S. Patrii, videlicet, ab anno Christi 500 usque ad 600. Nam, ut dicebam, S. Patritius fuit mortuus circa annum sal. 493, cum quo Patritio, ait Cambrensis, mortuam fuisse fidem, religionem, bonos mores, studia litterarum et honestatis in gente Ibernorum. Deinceps etiam et hic atque de ipsis his annis, te enormiter mentitum fuisse, facilè, o fallens Gyralde! demonstro. Sanctissimum illum et doctissimum Ibernum Columbanum, abbatem Luxoviensem

in Galliâ, et Bobiensem in Italiâ, nòsti (nam legis ejus vitam scriptam a beato Jonâ abbate, Iberno, discipulo Columbani, quæ et extat apud Surium, tom. 6), natum in Iberniâ post annum sal. 500, et mortuum in Italiâ valdè senem circa annum 619, ad 21 Novemb. Nunc, rudis annon fuerit hisce annis et seculo Ibernia? cùm in rudimentis fidei et religionis atque honestatis, tum in studiis scientiarum optimarum, dicet vobis Jonas, qui vitam sui magistri scripserat, circa annum sal. 614; sic ait, cap. 2: "Columbanus in Iberniâ ortus est insulâ, in extremo sita oceano, quam Scotorum gens incolit. Gens, quamquam cæterarum gentium legibus carens, attamen christianæ religionis dogmate florens, ita ut omnium vicinarum gentium (Britanniæ, Galliæ, etc.) fidem excellat. In eâ natus est Columbanus, inter ipsa illic fidei nascentis primordia,* ut fides quam partim infœcundam gens illa habebat, ejus et sociorum exhortationibus culturâque uberi fœcundaretur." Vides, o Camber! an Christiana fides hoc seculo, post S. Patritium fuerit, floruerit, ferbuerit in Ibernorum gente et populo? Vis videre num et studia litterarum etiam in feminis? Pergit Jonas, cap. 3; "exactis infantiæ annis, cùm in pueritiæ ætate pubesceret, liberalium litterarum studiis et grammaticorum studiis capaci ingenio, operam navare cœpit; in eâque omne pueritiæ et adolescentiæ tempus perseverans, usque in virilem ætatem, cum magnâ animi contentione prosecutus est. Sed cùm eum formæ elegantia, corporis candor, et nobilis pubertas (fuit enim nepos regis) omnibus gratum redderet, coepit antiquus hostis in eum lætifera sua intorquere tela, ut quem tanto cernebat pollere ingenio, suis si posset nexibus implicaret. Aggreditur igitur lascivas puellas, ejus amore illas inflammat, maximè, quas formæ corporis perfunctorius decor, horrendo desiderio in miserorum animos insinuare et immergere solet. Sed cùm egregius miles tot undique telis appeti et urgeri se conspiceret, micantemque versuti hostis sicam in se vibrari cerneret, humanæ fragilitatis non ignarus, quàm citò labendo mergatur, etc. evangelium clypeum lævâ tenens, ensemque ancipitem dextrâ ferens, contra immanes hostium cuneos, ad pugnam se accingit, ne frustrato labore, quem non mediocriter ingenio in Grammaticâ, Rhetoricâ, Geometriâ, et ipsis quoque scripturis divinis consumpserat, sæculi illecebris occuparetur.† Accessit autem ad hanc rem, ut etiam alius quidem stimulus urgeret eùm; cum enim hæc animo secum volverat, ad cujusdam religiosæ ac Deo dicatæ feminæ cellulam venit,‡ cùmque eam priùs submissâ voce salutâsset, postea juvenili

* Nam non multis annorum lustris ante natum Columbanum migravit in cœlum S. Patritius, Apostolus Iberniæ,

† Itaque, Gyralde, tunc non exulavit ex Iberniâ neque vel e laicâ seu seculari gente illius, (nam adhuc laicus homo erat Columbanus) studium liberalium litterarum et sacrarum scripturarum.

‡ Vide, Camber, an Ibernica femina ista fuerit ex tuis illis rudissimis, etc.

quodam fervore eam verbis castigare cœpit. Videns illa gliscentem in adolescente animi vigorem, "Ego," ait, "utcumque potui ad bellum processi. En quindecim volvuntur anni, ex quo et domo carui, et hunc peregrinationis locum expetivi, nec unquam deinceps, Christo adjuvante, manu stivam tenens, retrò respexi, et nisi fragilis sexus obstitisset, mari transmisso, longioris peregrinationis locum petiissem. Tu verò adolescentiæ flammis etiamnum æstuans, natale solum incolis, et ad fragiles voces, velis, nolis, fragilitate attrahente, aurem accommodas, atque femineum visitare sexum, tutò te, posse arbitraris, non reminiscens suasu Evæ Adam prolapsum, Samsonem a Dalilâ seductum, David ex pristinâ justitiâ captum Bersabæ pulchritudine excidisse, sapientissimum Salomonem mulierum amore deceptum? Perge, igitur, o juvenis! perge; evade ruinam, quâ comperis multos corruisse, declina viam, quæ ducit ad portas infernorum." Nunc tibi apparet hæc femina rudis in rebus christianis fidei, religionis, disciplinæ, scripturæ sacræ, prudentiæ, et concilii, O Ibernorum osor? "His dictis stimulatus adolescens, et ultra quàm adolescentem crederes, territus, gratias agens increpanti, sodalibusque valedicens, iter arripit. Mater autem, dolore perurgente, orat ne se relinquat. At ille, non audisti, inquit, qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. Obsistente verò matre, et limini inhærente, postulat ut se ire sinat. Ejulat illa, et in pavimentum prostrata negat id promissurum. Tum ille, et limen et matrem transiliens, orat eam ut bono sit animo. Me quidem, inquit, in hâc vitâ deinceps non videbis; ego enim quocumque me ducet salutis iter, eo jam progressurus sum, atque ita, relicto natali solo, quod Lageniorum terram incolæ nuncupant,* ad virum venerabilem, qui Senilis dicebatur, se contulit, qui eo tempore singulari religione et scripturarum sacrarum eruditione inter suos† pollebat, qui cùm sagacis eum ingenii esse videret, omnium divinarum scriptuarum studiis imbuit; sed ita tamen, ut quemadmodum magistri e discipulis sciscitantur, cùm eorum volunt explorare ingenia, et utrum magnos jam in studiis progressus fecerint, vel desidiâ et inertiâ torpeant, cognoscere, sic difficiles quasdam ei proponeret quæstiones, e quarum solutione de ejus doctrinâ conjecturam caperet. At ille, quamvis pavido sed sagaci tamen pectore, ne immorigeris magistro videretur, non vanæ gloriæ actus vitio, sed magistro parere volens, quæstiones objectas luculenter dissolvit. Memor illius quod psalmographus habet: 'aperi os tuum, et ego implebo illud.' Usque adeo verò in ejus pectore divinarum thesauri scripturarum conditi tenebantur, ut intra adolescentiæ metas constitutus, psalmorum librum eliminato sermone exposuerit, multaque alia

* Lagenia etiamnum hodie nominatur una ex quinque principalibus Iberniæ provinciis, respectans ad orientalem solem.

† Videlicit cives Ultoniæ in Iberniâ, provinciæ principalis quæ respectat ad aquilonem.

quæ vel cantari digna sint, vel ad docendum utilia conscripserit," etc. ut est liber "Florentissimæ Scientiæ," (ita loquitur Jonas, cap. 32,) quem Columbanus scripsit contra Arianos, cùm esset Mediolani in Italiâ; libellus sive poema pietatis plenum, "Monastichon" dictum, et epistola, sive alterum poema, "Adversus Avaritiam," ad suum discipulum Hunialdum (extant, tom. 1, Henrici Canisii). Vel ex unico sed amplissimo testimonio isto, ex vitâ Columbani accepto, abundè apparet nil nisi mera mendacia, et magnam calumniam, suppressâ veritate fortassis agnitâ, sparsisse Cambrensem adversus Ibernos universim.

Cui si non facit satis ad confusionem calumniæ, adeat et discat a Bedâ,* an ille Ibernus, S. Columba abbas, (alius a Columbano Luxoviense) qui natus in Iberniâ anno salutis 523, et quadragesimo secundo suæ ætatis anno, cum duodecim discipulis Ibernis sanctis, e patriâ profectus ad convertendos "transmontanos" Britanniæ insulæ Pictos, ad christianam ex idolatriâ fidem. Quos tandem omnes, spatio triginta quatuor annorum, quibus pro ipsorum salute sudebat, convertit. An, inquam, ille Ibernus fuerit vel sanctus, vel vir doctissimus, vel prædicator egregius, vel qualis alter apostolorum Christi, potens in opere et sermone, magnificus in miraculis, mirabilis in universis quæ per totam vitam agebat, dicebat, scribebat, cogitabat. Si scire aves quosnam appellat "Transmontanos Pictos" Beda, quos Columbam abbatem, ait, cæpisse anno salutis 565 convertere ad Christum? respondeo, me in alio loco evidenti argumento demonstrâsse, non aliam gentem fuisse vel populos aut regiones illorum, quàm hodiernæ gentis Britanniæ, Scotorum nunc appellatæ; et indigenas portionis totius terrarum, quæ ad occidentale littus hodiernæ Scotiæ jacet, et ab austro limitem habet ostium amplissimum et celeberrimum fluminis Cludæ dicti, Alcluit a Bedæ; Glotta, a Cornelio Tacito. A quo ostio excurrit in aquilonem littus illud, donec desinat in Oceanum Deucaledonicum. Itaque noster Ibernus, S. Columba, imbutus pietate et doctrinâ, quam hoc seculo, id est, ab anno Christi 500 usque ad 600, hauserat in Ibernia, meruit esse ac dici doctor et apostolus primus universæ nationis, quæ hodie incolit aquilonares plagas Britanniæ, et gens "recentium Scotorum," appellatur, ut et ipsorum regio, "nova" seu "minor Scotia." Si tibi minùs arridet Beda, adi discipulum discipulorum Columbæ S. Adamnanum, (quem antè audisti laudatum a Bedâ) scriptorem vitæ illius,† et nisi stupidus sis, obstupesces præ admiratione eorum, quæ de sanctitate, doctrinâ, doctoribus, studio litterarum, moribus optimis gentis Ibernorum hujus sæculi leges. Floruit hoc eodem seculo, et ad cœlum ex Iberniâ migravit anno salutis 521, ad 1 diem Febr. flos virginum,

* Lib. 3, cap. 3 et 4, et lib. 5, cap. 10.
† Quæ tribus libris, comprehensa extat, tom. 5, Henrici Canisii.

B. Brigida Kildariensis, cujus nomen insertum in Roman. martyrol. de quâ, quia aliter non potuit, multa præclara narrat Gyraldus.* Ejusdem Brigidæ vitam scripsere multi; et inter eos Cogitosus, Brigidæ nepos, cujus libellus extat tom. 5 Henrici Canisii. Infinitum esset recensere testimonia alia, quæ habeo contra Cambrensem de rebus hujus seculi et aliorum. Proinde hic istud nostrum caput quintum claudo, in quo, fateor, fui fortasse fastidiosus, quòd fusior. Ita est; factus sum incipiens, vos me coegistis, Gyralde, laudare patriam meam et domesticos sanctos, in quorum contumeliam, Deus tibi parcat! infames sparsisti rumores, quos silentio prætenire non debebam.

* In Topogr. secund. distinct. cap. 34, et quatuor sequentibus.

CAP. VI.

Gyraldum superstitionibus videri addictum, et magicorum hominum fuisse defensorem, apertis verbis ipsum prodidisse.

Non ea solummodo quæ hactenus a nobis exposita sunt, Gyraldi dictis fidem, et personæ auctoritatem, plurimùm apud probos ac providos lectores meritò detrahere videntur, sed et quæ deinceps exponentur, novis indiciis, abundè materiam subministrabunt arbitrandi, ab ipso cavendum esse, tanquam a scriptore non mendaci tantùm ac maledico et vano, verùm etiam et superstitiosæ mentis, atque eum fautorem fuisse eorum, quos palam constat homines fuisse Pithonici spiritûs, et a diabolo doctos; ut proinde dignus non videatur Gyraldus, qui a nonnullis scriptoribus superioribus a me nominatis audiat "scriptor doctissimus, gravissimus, eruditissimus," et historicus "accuratus," etc. Cœterùm ipse suis verbis audiatur Camber, et vicissim audiat, docti et catholici lectoris sanam sententiam de auditis: an non sapiant insaniam aut levitatem credulam superstitiosorum, vel vetularum observationes; et ludibria illudentis Satanæ? In secund. distinc. Topogr. cap. 12, pro titulo possuit Gyraldus ista: "De insulâ primum instabili, tandem per ignem stabili factâ."

Pergit narrare meram fabulam, ab ipso pro historicâ habitam: de quâ suum ipse judicium, quod catholicus peritus quisque superstitiosum esse intelligit, voluit ferre; fabula sic habet: "Inter alias verò insulas,* est una nuper nata, quam phantasticam vocant; cui talis eventus originem dedit. Die quodam sereno emersit in mari cumulus terræ non immodicus, ubi nunquam antè terra visa fuerat, videntibus atque admirantibus insulanis: quidam enim ex eis dicebant balenam vel aliam marinam belluam monstruosam esse; alii verò considerantes quòd sine motu omni persisteret, dicebant, "Nequaquam, sed terra est." Ut autem hanc ambiguitates conditionem certitudo derimeret, electi juvenes de insulâ quâdam propinquiore,

* Sermo erat Cambrensi de multitudine parvarum insularum, quas Hebrides nunc vocant, quæ Gyraldo sunt Inchades, non longè a littore aquilonari Iberniæ sitarum in oceano.

illuc naviculâ remisque adire statuerunt; accedentes verò tam propè, ut applicare se jam arbitrati fuerint, tanquam in mare descendens ab oculis eorum, insula prorsus evanuit. In crastino verò similiter apparens, eosdem juvenes simili delusione decepit. Tertio tandem die, senioris cujusdam consilio, accedentes, sagittam igniti ferri in insulam præmiserunt, et sic applicantes terram stabilem et inhabitabilem invenerunt." Hucusque fabulosa historia Gyraldi, qui de eâ hoc fert judicium, dicens, "multis itaque patet argumentis, phantasmati cuilibet, ignem semper inimicissimum. Unde et qui phantasma viderunt, igneum splendorem incontinenti, sine passione syncopticâ non admittunt. Ignis enim, tam situ quàm naturâ, elementorum dignissimus, tanquam cœlestium conscius est secretorum. Igneum cælum, ignei planetæ, igne rubus accensus, nec incensus erat. Igneis linguis in apostolos Spiritus Sanctus insedit." Atque inter alias demonstrationes suæ scientiæ theologicæ et philosophicæ, quam factâ commemoratione ignei cœli, ignearum planetarum, Mosæi rubis, linguarum ignearum in die Pentecostis, ostentare cupiebat Cambrensis; illam universalem tulit sententiam,* nimirum, "pluribus argumentis constare phantasmati cuilibet, ignem semper inimicissimum." Si hoc non sit superstitiosum, quid tandem superstitio erit? et tamen subtilissima Sylvestri Cambrensis theologia,† crassas superstitiones istas pro nullis habet, nullas videt, sed naturalem aut supernaturalem antipathiam semper existere inter diabolica ludibria sive phantasmata, et ignitum ferrum sive ignem quemvis, esse arbitratur." Neque advertis, o theologe, quàm latam pandas portam volentibus antipathiâ simili velare sacrilegas superstitiones eorum, qui philtris, amuletis, notis magicis, aut aliis, ex pacto tacito vel expresso cum Dæmone inito, habitis, se nullis telis, ignibus, aut violentiâ hostili lædi posse persuadent, et sibi et aliis idoneis, illudi ludibrio Sathanæ permittunt. Quòd si verum putas "phantasmata semper pelli præsentiâ cujusque ignis tanquam inimici," vide quàm tu constans sis in vero, qui in eâdem tuâ secundâ distinct. cap. 19, referens ridendam magis quàm credendam fabulam (quam omnimodis conaris suadere synceram esse historiam) de pio illo catholico homine, qui mente humanâ, sensu christiano, et religione sincerâ, etiam et dono prophetiæ servatis illæsis, toto reliquo humano

* Audito priùs et minimè reprobato, quòd fluctuans in oceano hinc inde insula, et subinde ab oculis evanescens, et rursum comparens, virtute inimici jaculi igniti stabiliri possit.

† Quam ferè singulâ pagellâ conatur, concionatoris more, vel sacrarum litterarum accuratissimi interpretis imitatione, monstrare, ut videbit, qui volet legere libros quosque ipsius etiam de profano, vel historico, vel philosophico, aut merè poetico argumento tractantes; præsertim verò istud frequentiùs observes in suâ Topographiâ Iberniæ, ubi de nugis aut narrationibus adiaphoris non minùs brevibus quàm exiguis in se momenti, longuas et serias attexit homelias, coacervatis undique sententiis sacrarum litterarum, et proverbiis philosophicis ad historiolam illustrandam; an et quantum id faciat ad rem aut institutum historicum aut topographicum terrarum, nil curat Gyraldus.

corpore, subitò in lupinum transformato, non nisi phantasticè tamen, seu secundum exteriorem speciem, ut tu tandem ais, sacerdotem in sylvis obvium et sedentem sub frondosâ arbore ad ignem salutavit, ore lupino, humanâ voce, aiens! "Securi estote, et noli timere; non enim trepidandum vobis est, ubi non est timor," etc.: qui idem verus homo in lupum phantasticum mutatus, sacerdotem suasit, et persuasit, ut ad non procul inde in eâdem silvâ latitantem accederet phantasticam lupam, sed veram phantastici lupi uxorem, feminamque catholicam, piam, in extremis positam, et petentem christianum viaticum, sive sacram eucharistiam, quam sciebat sacerdotem e collo in piscide servatam gestare. Quo trepidante et renuente "Sanctum dare canibus," nedum lupis, aut lupabus, ut dicitur, ecce coram sacerdote lupus quasi pede pro manu fungens, pellem totam a capite lupæ retrahens usque ad umbilicum replicat, et confestim expressa forma non lupæ, sed mulieris vetulæ et nudæ cujusdam apparet; quam cùm sacerdos obnixè postulantem, et devotè eucharistiam suscipientem, sacramento pasceret, rursum accedens lupus pellem tantisper retractam, priori lupæ formæ coaptavit, et vera mulier denuò in lupam phantasticam conversa fuit. Quâ gratias agente, pro collato synaxi, rediit sacerdos ad suum ignem, comitatus lupo, qui totâ reliquâ nocte cum præsbitero ad ignem assidens, et ore lupino de rebus cœlestibus et futuris in mundo eventibus humanâ voce, magno cum pietatis sensu colloquens, tandem actis Deo et sacerdoti gratiis, valedixit, etc. Hæc et his plura Cambrensis loco citato; quæ si historia, non fabula sit, quam narrat, cogetur fateri aut non phantasticos, sed veros lupos fuisse christianos catholicos pios illos;* aut si phantastici tantùm lupi fuerint, falsum scripsisse Gyraldum aientem, "multis patere argumentis phantasmati cuilibet ignem (cui totâ nocte cum sacerdote assidebat phantasma lupinum) esse inimicissimum."

Venio ad aliam Silvestri superstitionem, quæ nescio an talis unquam incidere potuerit ullius menti, non illusæ aut imbutæ ethnicismo deorum, vel certè umbrâ illius. Res ita se habet. Refert Gyraldus lib. 2, suæ Vaticinalis Historiæ, seu Expugnationis Iberniæ, cap. 8, a suis patruis, fratribus, cognatis, vastatoribus Iberniæ, "die Martis," (quæ notandum est, inquit) "captam fuisse urbem Limericum, die Martis eidem urbi jam occupatæ ab illis, sed rursum obsessæ ab Ibernis, qui sua recipere tentabant fuisse subventum; die Martis captam fuisse urbem Waterfordiam, die Martis urbem Wexfordiam, die Martis urbem Dublinium; nec per industriam hæc," inquit, "sed casu solo contigisse." Quid tum postea, Gyralde, subjungis? "Nec mirum tamen vel rationi dissonum, si Martis potissimum die, Martia negotia sunt completa." Itane, O christiane Cam-

* Quod nisi fatuus, fatebitur nemo, vel qui præter phantasiam nihil reliquæ mentis habet in capite.

ber! non miraris, sed rationi consonum arbitraris, si Martis potissimum die, martia negotia perficiantur? ratio tibi adfuit christiana ista scribenti, an ethnica quæ Martem deum, præsidem, auctorem bellorum et consummatorem aiebat, adversante rectâ ratione omni et veritate, quæ eodem loco Martem semper habuit quo diabolum, aut Deum fictum? Et tu tamen (planè ut mihi persuadeo, non tibi plenè præsens, ut minuam vel molliam si possum tua durè sonantia verba) diei Martis potissimùm, seu potiùs Deo Marti Ethnicorum, O christiane, tribuis virtutem peculiarem supra alios dies, et deos Hebdomadales ad tractanda, auspicanda, feliciter consummanda negotia Martia, ad capiendas urbes? et nullam in his dictis agnoscis superstitionem? O te, si non agnoscis, cæcum, mente captum, in profundo superstitionis immersum! Et te, theologum, doctissimum, eruditissimum, gravissimum scriptorem et historicum, ausi sunt nonnulli salutare! Non fecissent, si te novissent meliùs aut scivissent, inter alios tuos nævos non defuisse mentem, vel saltem verba superstitiosa, quæ lædere possent, et pravis imbuere opinionibus, leves, qui tibi credunt lectores.

Quisqam, te tantùm bis in superstitiones istas, et ferri igniti stabilientis instabilem insulam, et diei Martis moderantis bella, lapsum suspicabitur, falletur. Sæpius es lapsus in alias, quarum specimen, si quis legere et videre cupiat, adeat tuum Itinerarium, lib. 1, cap. 11; unde conjiciet, quantus quantoperè admirator fueris et credens aruspicinæ illorum, quos nosti et nominas, et exempla quatuor aut quinque* tradis eorumdem, dum "in armis arietum dextris, carne nudatis, non assis sed elixis, tam futura prospicere quàm præterita, et ante incognita longè præviderunt, præsentia quoque tempore, sed loco absentia, quasi prophetico quodam spiritu, arte mirandâ cognovere; pacis et guerræ signa, cædes et incendia, domestica adulteria, regis statum, vitam, obitum, rimularum quarumdam et notularum indiciis, certissime, inquis, declaravere." Item dum refers et admiraris alium, quem nosti et nominas Guilielmum Mungunel, unà cum uxore in prandio augurantes et hariolantes, et ut ais "oracula, nimiamque veritatem proferentes." De admisso a quodam adulterio, et coram prandentibus propalato, et unâ nominatim adulterâ quæ aderat, et adultero qui forte hinc aberat; quæ omnia etiam ad ignominiam publicam aruspicis, cognoverat uterque ex inspectione, ut inquis, "armi, arietis sumpti ex ovili proprio (num ista circumstantia inter essentiales augurii annumeratur?) sed per vicinum, tamen, conscio Guilielmo et insciâ uxore, priùs in medium allato, et deinde cum consuetis ceremoniis ad coquinam transmisso, et eodem die ad prandium inde afferendo, non assato, sed elixo cocto et purgato armo et osse illius," etc. Dum etiam recitas, cuidam fuisse "oblatum ar-

* Ad quæ audita valdè mirabitur incautus et ignarus illa omnia mera esse et manifesta ludibria diaboli.

mum, non arietis, sed caprei quasi pro ovino, cui simillima sunt ossa, cum illius notatis rimulis parumper et signis cum admiratione, subjecit, "infelix pecus quæ nunquam novit multiplicari! infelix et pecudis dominus, qui nunquam ultra tres aut quatuor in uno grege habere prævaluit!"

Dum item refers, destructionem patriæ (Cambriæ) post obitum Henrici I. regis Anglorum, anno et dimidio antè prævisam in humeris (nescio an hominum intelligat, an pecudum?) qui, inspectantes, venditis universis quæ habebant tam mobilibus quàm immobilibus, indemnes, per industriam, seu scientiam inspectionis ossium, etc., "patriâ relictâ, imminens excidium evaserunt." Dum narras, quemdam ex istius artis mirandæ magistris "vicino suo os hujus modi ad inspiciendum transmississe per latorem, qui cùm obiter in viâ fossam transiliret fissâ nate, crepitum edidit, quem statim viri naribus, cujus causâ vexabatur, verbis et votis adoptavit; ille vero cui portabatur, armo inspecto, illico subjecit, "sed frater, id quod mihi adoptaveras, in naribus habeas."

Dum tandem recenses, quod et notabile censes, "quemdam nostris diebus ossis inspectorem non solùm furtum, furtique tenorem, furem ipsum, furandique modum et circumstantias omnes inspiciendo notâsse, verùm et campanæ pulsum et tubæ sonitum ac si præsentialiter adhuc agerentur, quæ jam præterita fuerant audisse. Et miraris nihilominus ac lamentaris, tuos libros inspersos istis aliisque nugis, et ludibriis diabolicis ac superstitionibus,* contemptos atque exosos, non tuo patrono primario tantummodo, Henrico II. Anglorum regi, sed et ferè cæteris omnibus passim, sive domestici cives aut familiares tibi fuerint, sive extranei lectores, de quorum extremâ inscitiâ vel oscitantiâ non præsumere debebas, quòd non facilè inspicere et videre possent, crassas et crebras latere superstitiones in illâ, quam tu admiraris, "arte mirandâ inspectionis ossium, missionis teli igniti, ad pellenda quæque phantasmata dæmonum aut aliorum, agressionis bellorum ac certaminum, potissimùm in die Martis, ad reportandam victoriam."

Hæc non postremæ sunt causæ, O Camber,† cur dudum antè dixe-

* Quas miror te theologum, sacræ paginæ interpretem, virum doctissimum, eruditissimum, egregium philosophum, non pro crassis superstitionibus, nihilque aut vix a manifestis magiis diversis habuisse, et non reprobâsse tanquam artes edoctas a diabolo præsente, et inspectoribus ossium inspirante atque assistente et revelante, non ex rimulis, lineis, aut naturâ ossium, vel assorum seu elixorum, seu crudorum, sed vel merè divinante in incertum de futuris contingentibus, ab arbitrio hominum pendentibus, vel verè nuntiante de præteritis dudum, vel etiam de præsentibus tempore, loco absentibus, exteriùs tamen et per sensibilia signa quæ dæmon non ignorat, patefactis.

* Ut omittam commemorare superiùs dicta de tuis parum reverenter erga ecclesiam Dei militantem et sanctos quos colit, propensis et sensu et verbis. Ut etiam præteream atroces a te vulgatos famosos et mendaces libellos in infamiam universæ gentis christianæ et catholicæ Ibernorum.

rim libros tuos, si aliquando inciderint, quod hactenus non spiritu fuit factum, in manus et examen sacræ Inquisitionis, in Italiâ aut Hispaniâ, notandos in carbone nigro, et nominandos in catalogo scriptorum damnandæ lectionis. Quæ omnia, ut et alii a me postmodum de Gyraldo proferenda, si occurrissent oculis aut memoriæ duorum inter alios virorum, verè, nisi vehementer fallor, et piorum et eruditorum Joannis Picardi et Richardi Stanihursti, non redegisset iste, ut fecit, in compendium et stylo longè limatiore quàm lex historiæ præcipiat aut permittat, Vaticinalem Cambrensis Historiam, passim fabulosam; neque ille Picardus, tanti fecisset fidem et auctoritatem Cambrensis, ut verbis ejusdem tanquam gemmis, ubique penè ornet oram, et notas planè perdoctas, quas edidit ad faciliorem intelligentiam historiæ, quam Guilielmus Neubrigensis (qui synchronus fuit Gyraldi) provulgârat de rebus Anglicis. Qui Picardus in notis ad proemium Neubrig. Gyraldum nominat "perdoctum Anglum Cambrensem." Nam Richardus, ut in hoc loco monuimus, eumdem ornat titulis scriptoris gravissimi, eruditissimi, doctissimi;" quamvis idem Richardus, edoctus postmodum asperitate scriptionis Gyraldi, et impotentiæ affectuum in eos quibus non benè cupiebat, et expertus nugas, fabellas, errores ejusdem, Gyraldum propriis depinxerit coloribus, et in plerisque respuerit.

Sed ad Gyraldum revertor: quem, quòd ignorantiâ multis communi laborâsset circa superstitiones aruspicinæ, et rerum aliarum, minùs miror fuisse delusum; miror magis quòd fuerit ausus ex instituto defendere tanquam divinas, et a spiritu sancto "inspiratas, prophetias et vaticinia" ænigmatica e cœlo allata et infusa mentibus famigeratorum duorum Merlinorum, quorum alter dictus Merlinus Ambrosius, alter Merlinus Caledonius, uterque natione Britannus; et prior Merlinus, ut ait Gyraldus, lib. 2, Itiner. cap. 8, patrem habuit dæmonem "Incubum," et prophetavit, inquit: "sub rege Britanniæ Vortigerno," circa annum salutis 475. Posterior Merlinus "prophetavit," ait Camber in "Sylvâ Caledoniâ," tempore Arturi regis, id est circa annum Christi 530. Utrumque Merlinum fuisse magicos homines aut Phitonici spiritûs, per quorum ora, cum furerent et in dementiam erant versi,* dæmon, ut olim per ora idolorum, aut Pithonissæ Saulis regis Israel, loquebatur ænigmata, testantur quotquot unquam cordati scriptores prisci aut recentes de illis scripserunt; neque oportet multis hoc suadere lectori, qui vel mediocriter in historiis versatus est. Non potest id nescire, præsertim si vel legerit Guilielmum Neubrigensem in Proemio, vel Gilbertum Genæbrardum, Polydorum Virgilium, vel Richardum Stanihurstum, vel alios idoneos scriptores, qui nunc hariolos, nunc pithonicos, nunc

* Nunquam enim aliter quàm in ipso furoris fervore Merlinum Caledonium sua oracula fundere solitum, fatetur Cambrensis.

diabolos afflatos, nunc divinatores falsos et fallentes, appellant Merlinos, qui ex ipsis suorum vaticiniorum sive ænigmatum* verbis facilè convinci possunt vanitatis, ut perspicuè demonstrat Neubrigensis, et videbit, qui ænigmata eadem obscurissima, aut certè maximè ambigua, conferre volet cum similis formæ, et artis sententiis et responsis quæ olim dæmones per ora idolorum dabant; quibus, ambiguitate locutionis, flexibilis in contrarios sensus illudebant; ut fuerunt vulgati versus: "Perdet Cræsus Haliam transgressus plurima regna;" "Porta patens esto nulli claudatur honesto;" "Aio te Æacida Romanos vincere posse." Quid verò Gyraldus sentiat de Merlinis, sui popularibus, cognoscet qui legerit illius verba, in 2 distinct. Topogr. cap. 18, cum narrâsset loco historiæ ridiculam fabulam de choreâ Gygantum, ut vocant, hoc est, de immensæ molis lapidibus multis, miro artificio inter se dispositis, et ab invicem fulcitis, aliisque ab aliis prominentibus, tanto eum spectantium stupore, ut in inani suspendi videantur; qui in fastigio erectæ tam magnæ molis collocati cernuntur: "Quam totam congeriem tantæ longitudinis, et crassitiei lapidum," inquit Gyraldus, "gigantes olim ab ultimis Africæ partibus in Iberniam attulerunt, et in planicie Kildarensi summo ingenio et viribus erexerant; postea verò Aurelius Ambrosius, divinâ," inquit, "Merlini diligentiâ de Iberniâ in Britanniam, totam illam lapidum immensæ magnitudinis congeriem advehi procuravit, et ut tanti facinoris egregium aliquot memoriale relinqueret, eodem ordine et arte, quâ prius positi erant, constituit in loco, ubi postea flos Britanniæ excisus fuerat et peremptus ab Anglo-Saxonibus, etc." Nempe, O Camber; ut cœtera fabellæ istius præteream, "divinam" Merlini tui "diligentiam" in asportandâ ex Iberniâ lapideâ illâ choreâ Gygantum in Britanniam, laudas; divinam an non potiùs diabolicam fuisse magici hominis, et "nati" ex diabolo "Incubo," ut tu affirmas, diligentiam in transferendâ ex Iberniâ in Britanniam et statuendâ in loco quem tu signas (id est, in transportandis per tam longua terrarum et oceani spatia quæ superant 800,000 passus) illâ choreâ credam? et divinâ speciali ope fultus fuit magus ad patrandum istud (si non omnino fingitur) miraculum verè vanum, quod nullum nisi vanissimum habuit finem? vanam videlicet gloriam, et memoriam tam egregii facinoris, et immensæ multorum lapidum molis transportationem per aera ex Iberniâ in Angliam? Sed vide, si placet, vanitatem totius istius fabulæ Merlini, et alias ejus, risu potiùs quàm relatione aut aliâ refutatione dignas, ex instituto explosas ab Alano Copo, in suo adversus Balæum aliosque hæreticos Dialogo 5, cap. 19.

* Quæ passim fere omnia extant inserta in fabulosâ historiâ Britonum, editâ a Galfrido Arturo dicto Monumethense, quem quisquiliarum et nugarum Merlini, aliorumque, concarcinatorem, vocat inter multos R. D. Aubertus Miræus, in Proemio, expurgati a se Chronici Sigeberti Gemblacensis, partim etiam easdem nugas spargit et magnificat Gyraldus.

Tanti verò Merlinum utrumque facit Gyraldus, ut ad conciliandam fidem et majorem suis scriptis auctoritatem, passim utatur et imitetur stylum et formam locutionis evangelistarum Christi et sacrorum aliorum scriptorum, cum dicunt: "Tunc adimpletum est quod dictum est per Hieremiam prophetam," "ut adimpleretur quod dixit Isaias." "Sed ut impleantur scripturæ prophetarum," "scriptum enim est in libro psalmorum." Sic crebro Gyraldus: "Tunc adimpletum est vaticinium, completa est prophetica, ect. Merlini dicentis etc., ut lector Gyraldi videbit, in Topogr. distinct. cap. 50, et lib. 1 Vaticin. Hist. cap. 3, 32; et lib. 2, cap. 16, 26, 30; et lib. 2 Itiner. cap. 1, 8, etc.

Cæterùm, quod caput est. Cambrensis non solùm integram vulgavit Apologiam seu librum pro utroque Merlino et prophetiis ipsorum (ut vel Balæus testatur de Gyraldo, quem mirificè laudat) sed et in descriptione suæ Cambriæ, cap. 16, multis conatur defendere contra doctos omnes, non fuisse illos spiritu pithonico, sed sincerè prophetico et divinitus infuso afflatos. Verba Cambri exscribo, de quibus judicet lector: "Si spiritu proferantur hujusmodi (sermo erat de vaticiniis Merlini et aliorum quos ethnica olim credulitas vates vocavit) scrupulosiùs lector inquiras? non dico, pythonico, non dæmoniaco, verùm quia solius Dei est proprium scire futura, sic et futurorum scientiam dare, spiritu scientiæ desuper et gratiâ dato, etc." "Ad hoc autem quod objiciunt quidam (legerat Gyraldus objectiones Neubrigensis sui synchroni adversus Merlinum) si spiritu Dei ducerentur* quandoque præmitteret suis prædictionibus "Hæc dicit dominus Deus," vel aliquid in hunc modum more prophetico, et quia talis prophetandi modus in Merlino non reperitur, eum potiùs Pythonico spiritu locutum esse plerique conjectant, et quia de sanctitate ipsius vel devotione, quamquam fidelis fuerit, minimè legitur. Ad quæ respondeo: quòd non solùm sanctis, sed infidelibus interdum, et gentilibus, sicut Balaam et sybillæ, et etiam malis, ut Caiphæ, sicut et Beliæ, prophetiæ spiritus datus est, etc. De filiis etiam Schevæ legimus in Actis Apostolorum, quòd in nomine Jesu, quem Paulus prædicabat, dæmonia ejecerunt, etc. Item Alexander Macedo, Gentilis, montes Caspios transtulit et decem tribus (Hæbraici populi) intra eorumdem promontoria, ubi usque in hodiernum resident, et usque in adventum Eliæ et Enoch residebunt, miraculosè conclusit. Merlini itaque prophetiam legimus, sanctitatem ejus vel miracula non legimus. Objiciunt alii quòd prophetæ non extra se fiebant (id est, non erant amentes) quando prophetabant, sicut de Merlino Silvestri legitur, quòd amens factus prophetabat, et de his similiter quasi arrepitiis de quibus hìc locuti sumus," (videlicet, de Calchante, Cassandrâ, Cornelio, et aliis

* Merlini ambo, et quos Gyraldus expressit, Calchas et Cassandra, et Helenus, vates apud Homerum, et idolorum sacerdos quidam Cornelius apud Aulum Gellium.

initio cap. 16, recensitis a Gyraldo,) etc.: "quibus (objectoribus) id solùm quod in libro Regum, cap. 1, de Saule legitur, Davidem persequente, respondeo, quia cùm accepisset Saul Davidem in Naioth, ubi erat cuneus prophetarum, transfugisse, misit lectores in Naioth, ut caperent Davidem, qui cùm vidissent prophetas et Samuelem stantem super eos, factus est in illis spiritus Domini, et prophetabant, misitque secundos et tertios nuntios, qui et ipsi prophetaverunt, et iratus Saul abiit post eos, et antequam veniret in Naioth, ingrediens prophetabat, et quasi amens factus, et exutus veste regiâ, totâ die et nocte cantat cum cæteris, Davide et Samuele clam videntibus." "Nec mirum, si illi qui spiritum Domini, datamque desuper gratiam tantam, suscipiunt a terrenæ mentis interim statu alienari videantur." Dignissima scilicet responsio tanto theologo, sacrarum litterarum interpreti, viro undecumque eruditissimo, doctissimo, et scriptori gravissimo, cujus eò usque pervenit peritia theologica in defendendis Merlinis, ut in eorum gratiam non dubitet dicere arreptitios, energumenos et phanatico furore percitos idolorum etiam sacerdotes, quando emotâ erant mente, Homericos Calchantem, Cassandram, et Helenum, divinantes de futuro excidio patriæ, de eventu prælii et victoriæ Cæsaris, etc., non mali dæmonis, sed sancto Dei spiritu afflatos fuisse. Quin etiam eo ulteriùs provecta est Gyraldi scientia et sapientia, ut asserat spiritum Dei, et coposam quam mentibus infudit gratiam (cujus vis ea est, ut mentem magis illustret, sapientiâ imbuat, amentiam et incompositos mentis motus atque caliginem excludat) de potestate mentis hominem dejiciat, amentem et quasi arreptitium reddat! Digna scilicet doctrina, quæ ab auribus eruditis et christianâ veritate, dignissimè de Dei sancto spiritu et gratiâ sentiente, imbutis audiatur, et non potiùs procul ad orcum, ad dæmonem, qui illam inspiravit ablegetur! Et quanta, quæso, sese prodit simplicitas malè credula Cambrensis, quæ Talmudicis Rabbinorum Judæorum fabulis et somniis credens, arbitratur Alexandrum Macedonem miraculosè (vel etiam alio modo) transtulisse montes Caspios! Quanta ignoratio sinceræ historiæ quòd Alexander novo miraculo (aut etiam alio modo ullo) intra claustra Caspiorum montium tanquam in carcere concluserit decem tribus Judaicæ gentis? quàm puerilis persuasio hausta a Talmudistis, quòd in hodiernum usque diem intra septa Caspiorum eorumdem resideant illæ decem tribus? quàm frivola opinio, quòd usque ad finem mundi sive ad adventum Eliæ et Enoch incolent, et inclusi residebunt intra Caspiorum ambitum!

Quàm verò aptè Gyraldus, quæ ex sacrâ paginâ profert, accommodat suis magis Merlinis? prorsus ineptè, et parum peritè, nisi fortasse velit eâdem arte aruspices, hariolos, magos quosque et energumenos, loquentes variis linguis, augurantes de variis eventibus rerum præteritarum, præsentium, aut futurarum, defendere tanquam afflatos non dæmonico sed divino spiritu. Nec vidit Cambrensis,

christianis non potuisse constare, an de quibus in sacrâ Dei scripturâ fit mentio tanquam loquentibus ex afflatu divino, essent spiritu divino acti, nisi hoc ipsum nobis revelâsset Deus, et testaretur sive verbo suo, sive alio ejusdem aut paris cum verbo auctoritatis indubitatæ signo vel facto. Quis verò idoneus testis tradit, Deo revelante sive dicto sive miraculo vero, Merlinos ambos, quorum alter ex "Incubo genitus," alter perpetuæ dementiæ et furoris homo, uterque autem magicus, spiritu sancto afflatos fuisse vaticinatos? Cur non advertit Camber, eosdem quos constat Deo inspirante propheticè prædixisse, aut in choro prophetarum prophetâsse, cecinisse, Deum laudâsse, non nisi sancta, seria et ad sanctum scopum, Deo dirigente, locutos fuisse et collimâsse vaticinia? Cùm de oraculis Merlinorum manifestè constet cuivis cordato non alia esse quàm nugacia, incertaque ænigmata, vel Milesias fabulas, vel apertas magias, ut demonstrant Alanus Scopus, Stanihurstus, et alii, exempli causâ.

Narrant admiratores et laudatores Merlini, ipsum suis carminibus, e stagno quodam Britanniæ, "Dynas Emris," dicto, dormientes eduxisse dracones, qui impedimento erant Vortigerno regi ne turrim ædificaret. Iisdem carminibus per gygantum choream, ex Iberniâ in Britanniam, transmisso oceano, deportâsse prodigiosam, quæ etiam num hodie cernitur in agro Severiano, juxta viam quæ ab occidentalibus Anglorum populis Londinum itur, lapidum structuram de quâ superius non nihil dictum fuit; item quòd carminibus aliisque cœremoniis et vaticinationibus regem Uterpendragon, in Gerboidis Cornubiæ Ducis, speciem transformârit ut Igernæ uxoris potiretur amplexu, et ex eo concubito nasceretur Arturus ille decantatus, quem nunquam et nusquam extitisse aiunt plerique cum Neubrigense et Genebrardo. Plurima alia Merlini oracula ænigmatica leguntur apud fabulatorem Galfridum, lib. 4 suæ Historiæ Britonum, et sparsa sunt per libros Cambrensis, quæ vel antequam eveniant, jubent sperare, vel cum evenerint promissa audeas vera affirmare; ita et composita oracula, ut eadem ad multa diversarum rerum eventa, sensibus ambiguis et multiplicibus circumflectere et accommodare quis possit. Sed de istis imposturis et peritiâ Gyraldi in amplectendis superstitionibus pro religione, vel mirabilibus artibus, deque conatu quo contendit defendere divinitùs infusos, sincerèque propheticos fuisse spiritus eorum, quos constat magicis imbutos artibus, et spiritu ductos diabolico, plus satis dictum videtur. Solùm restat mihi monendus lector, non debuisse Gyraldum adeo mirari aut ægrè ferre libros suos passim plerisque exosos fuisse, vel ob hanc causam, si aliæ deessent, nimirum suadere illos lectoribus, et imbuere opinionibus superstitiosis aruspicinæ, aliarumque pravarum artium, allicere etiam lectores ad faciendam fidem dementiis Merlinorum, quos constat fuisse ductos spiritu diabolico aut phanatico.

CAP. VII.

Gyraldum disertè et crebrò fateri, se vehementi studio popularis gloriæ motum, ad scribendos libros; apertis verbis cupere ab aliis se laudari; frequenter ipsum laudare se, suos libros. Panegyrim adornâsse in laudem sui, suæ familiæ, patruorum, cognatorum, et laudes mendaces suorum decantâsse.

Inter plures causas, etiam et istæ hìc jam indicatæ impulerunt priscos lectores Gyraldi, tam ipsum, quàm opera, tanquam vanissima, spernere, quòd in scriptore nihil ferè gravitatis sed multùm vanitatis viderent, et aviditatis captandæ auræ vulgaris, et appetitus deprædicandi se, sua omnia, et suos, cum vilipendio et contumeliosâ insectatione cæterorum quos minùs sibi favere suspicabatur. Ne verò videar injuriam arrogare Cambro, placuit ipsius dc se, suisque, verba exscribere. In hunc modum orditur suam primam præfationem Topogr.: "Consideranti mihi, quàm brevis et fluxa sit vita quam ducimus, eorum præclara fuisse videtur intentio, quibus nondum patefacta vitæ via, operæ prætium fuit et curæ, egregium aliquod mundo memoriale relinquere, famamque sui perlongam favere, et momentaneam istam saltem memoriâ vivere posse post vitam," etc. "Hæc summis auctoribus prima fuit et præcipua scribendi occasio. Altera verò nec merito, minùs quàm numero secunda, nobilium principum tam retributio, remuneratio quàm exhortatio, honores enim artes nutrire solent, etc. Cæterùm quamvis principum defectu, cesset in nobis secunda causa; scribere tamen, prior illa admonet, et potissima." Quasi verò nondum fuisset tibi patefacta via vitæ, cujus ignoratio, ut tu indicâsti dederat summis auctoribus antiquis et ethnicis ansam scribendi potissimùm, non amore virtutis, aut alio fine, quàm famæ popularis captandæ et vanæ memoriæ apud posteros, quorum ethnicorum te sectatorem esse fateris apertè, etc. "Nobiles," dicis, "ausus nihil æquè impedit ut diffidentia. Magni fieri possumus, si magnanimi," etc. "Hinc accidit ut scientissimi plurimique se nesciendo senescant, et dum vires ingenii non experiuntur, igne animi vacui, veluti pecora pereunt, et nomen eorum non memorabitur ultra, etc." Et "quia audaces fortuna juvat, scribere proposui, et lividorum malitiâ ridiculosus censeri, potiùs quàm bonorum arbitrio meticulosus, elegi. Illo quoque Ciceronis exemplo retardari non potui: eâ, inquit, de causâ, "poemata non scribo, quia

N

qualia volo non possum, qualia possum nolo." "Mihi autem ea mens est, et in hanc partem tam vehemens, cùm neque chorda sonum reddat, quem vult manus et mens, nec semper feriat, quodcuncque minabitur arcus, si qualia volo non possum, qualia possum volo. Præsumptuosus itaque dicar, an providus, qui tantis lucubrationibus elaborandum mihi onus arripio ut invidiam in vitâ, gloriam, fortè post fata, compararem. Talia siquidem mihi dudum proponenti, diuque in animo anxiè volventi, vix tandem angulus unus quasi ab aliis relictus, terrarum scilicet finis, Ibernicus orbis occurrit. Nec ille omninò intactus, nullius tamen hactenus stylo absolutè comprehensus: (non est verum, o Camber!) sed ab Iberniâ potest ne aliquid boni esse? numquid illi montes stillabunt dulcedinem, et valles fluent lac et mel? Sugamus ergo mel de petrâ, oleumque de saxo durissimo, et faciamus quod oratores facere solent, quibus in admirabili genere causæ, acuenda sunt præcipuè arma facundiæ, ut exilitatem materiæ, gravior stylus attollat, et ferat invalidæ robur facundia causæ, etc."

Hucusque hoc loco hæc aliaque Gyraldus, qui et primâ prefatione sui Itinerarii ad archiepiscopum Cantuariensem Stephanum, illa verba de se dicit! "inter tot hominum species, quoniam trahit sua quemque voluptas, et quoniam variis vexantur pectora votis, me quidem scribendi studium eligere, posteritatis cura coegit, et quia momentanea et fluxa est præsens hæc vita, juvat saltem in futurâ memoriâ vivere, et perpetuis famæ titulis, laudis honore celebrari. Egregiæ namque mentis est indicium, ad illud emittendum elaborare, quo sibi invidiam in vitâ, gloriam post facta comparaverit," etc. Et in secundâ præfatione, "quoniam ea quæ laudabili devotione gesta noscuntur, debitis non indignè præconiis efferuntur, etc., istam Descriptionem, hoc opusculo quasi speculo quodam dilucido, per te, vir inclyte Stephane, Cantuariensium archiepiscope, posteritati præsentavi, ne vel studium otio depereat, vel laus silentio delitescat." Ista sunt satis pro specimine vanitatis Gyraldi, quem non pudebat verbis disertis prodere, se nullâ ductum persuasione, ut alium suis scriptoribus in vulgus spargendis finem, potissimùm non præfigeret præter fumum famæ futuræ, et auram inanis gloriolæ a cujus cupiditate etsi paucos videris immunes, plurimos tamen videas, omnesque modestos, qui erubescunt verbis apertis, se potissimùm in suis actionibus rationem inanis gloriæ fateri habere, aut laudum titulos aucupari, aut alios verbis urgere ut ipsarum laudes deprædicent et famam in futurum extendant. Quem verò pudor a propriis laudibus dicendis non absterreret, extremè eum dementem esse pronuntiat S. Joannes Chrisostomus, Homil. 3, de laudibus B. Pauli, his verbis, "extrema dementia est, nullâ imminente necessitate rerum, et necessitate violentâ, propriis laudibus velle decorari, non est, secundum Deum loqui. Judicium est potiùs istud infamiæ." Neque studium et verba Cambrensis videntur absimilia aliis

Ciceronis ethnici, qui lib. 5 Epist. 12, ita scribit: "Coram me tecum eadem hæc agere sæpè conantem deterruit pudor quidam penè subrusticus, quæ nunc expromam absens audaciùs; epistola enim non erubescit; ardeo cupiditate incredibili, neque, ut ego arbitror, reprehendendâ, nomen ut nostrum scriptis illustretur et celebretur tuis. Quod et si mihi sæpè ostendis te esse facturum, tamen ignoscas, velim, huic festinationi meæ. Genus enim scriptorum tuorum, etsi erat semper a me vehementer expectatum, tamen vicit opinionem meam, meque ita incendit, ut cuperem quàm celerrimè res nostras monumentis commendare tuis. Non enim me solùm commemoratio posteritatis ad spem quamdam immortalitatis rapit, sed etiam illa auctoritas, ut vel auctoritate tui testimonii vel judicio benevolentiæ, vel suavitate ingenii, vivi perfruamur, etc; neque tamen ignoro quàm impudenter faciam, qui primùm tibi tantum oneri imponam, deinde etiam ut ornes me postulem, etc.; sed tamen qui semel verecundiæ fines transirit, eum benè et naviter oportet esse impudentem. Itaque te planè etiam atque etiam rogo, ut ornes ea (mea gesta, scripta,) vehementiùs etiam quàm fortasse sentis, et in eo, leges historiæ negligas amorique nostro plusculùm etiam quàm concedit veritas, largiare, etc.: quod, si a te non impetro, cogar fortasse facere quod nonnulli sæpe reprehendunt, scribam ipse de me, multorum tamen exemplo et clarorum virorum, sed quod non te fugit, hæc sunt in hoc genere vitia, ut verecundi ipsi de sese scribant necesse est, si quod est laudandum; et prætereant si quod forte est reprehendendum. Accedit etiam quòd minor sit fides, minor auctoritas, multi denique repræhendant, et dicant, verecundiores esse præcones ludorum gymnicorum, qui cùm cæteris coronas imposuerint victoribus, eorumque nomina magnâ voce pronuntiarint, cùm ipsi ante ludorum missionem, coronâ donentur, alium præconem adhibeant, ne suâ voce ipsi se victores esse prædicent. Hæc vitare cupimus, et si recipis nostram causam, vitabimus, idque ut facias rogamus, etc. Illa nos cupiditas incendit, de quâ initio scripsi, festinationis, quòd alacres animo sumus, et ut cæteri viventibus nobis, ex libris tuis me cognoscant, et nosmetipsi vivi gloriolâ nostrâ perfruamur." Hæc Cicero; cui in eo Cambrensis esse videtur dissimilis, quòd ille vivens, et vitâ functus, vanæ gloriæ et inanis famæ cupierit non esse expers; at iste, si ipsi credimus: "egregiæ mentis indicio ad id enititur elaborare, quòd sibi invidiam in vitâ, gloriam post fata comparet, et perpetuis famæ titulis, laudis honore celebretur:" quamvis etiam Cambrensis in eo superâsse Ciceronem videatur, quòd iste pudore prohibitus, omnino renuerit, nisi ad id cogeretur, suarum laudum esse præco, aut librorum, vel gestorum, sive aliarum rerum suarum deprædicator, aut famæ posthumæ postulator; at Camber ultrò, nemine cogente, contra, ut ex verbis ipsius recitatis apparet, omnia egisse visus est, (et ex ejusdem verbis aliis, quæ alibi scripserat, testatus est) ut et se, et sua et suos efferat et in cœlum

usque extollat. Nam ut omittam commemorare ea, quæ ipse in sui commendationem ab aliis dicta refert, exempli causâ, Gualterum quemdam Mapum Oxoniensem archidiaconum* dixisse scripta Gyraldi, "longè longæviora esse et laudabiliora et magis egregia quàm ejusdem dicta," alioquin docta dignaque suo auctore, etc.; ut narrat idem Gyraldus in proemio secundæ editionis et correctioris, ut vocat, suæ Vaticinalis Historiæ, Joanni Anglorum regi dedicatæ. Item in primâ præfatione Descriptionis Cambriæ," "nonnulli sub specie dilectionis," inquit, "me pictori assimilant, qui prætiosis abundat coloribus et tanquam Zeuxis alter præcellens," etc. Ut inquam ista, et similia omittam, ipse Camber in secundâ præfatione Cambriæ suæ, expressis verbis, de se ait, "suos libros egregios viris magnis oblatos fuisse," sed "statim in scriniis reconditos et tanquam perpetuo carceri traditos et retrusos." Et lib. 1 sui Itineri, cap. 2, inquit, "se suum non ignobile opus Topographiam Ibernicam, archiepiscopo Stephano præsentâsse (sanè nisi erro, vix vidi aut legi opus ignobilius, mordacius, mendacius, quàm Topographiam illam unà cum Vaticinali Historiâ) et in præfatione mordacissimi libri de Instructione Principis, inter alia, ait, "Si quid a nobis egregiè dictum vel gestum fuerit, statim quoad licuit, aut illud invidia suppressit, aut malitia pervertendo corrupit, etc." Egregiè te laudas, Gyralde, qui cum lib. 1 Itiner. cap. 1, narrâsset, quemadmodum archiepiscopus Cantuariensis Balduinus concione habitâ ad præsentes viros principes, episcopos, præsules, populum plurimum, ut allicerentur auditores ad recipiendum in vestibus signum sanctæ crucis, et ad nomina sua danda sacræ militiæ, proficiscenti ad liberandam terram sanctam, sive Palestinam, ab irruptionibus et injuriis Saladini, aliorumque Mahometanorum, "primus omnium," inquit de se Cambrensis, "ad importunam quæ præcesserat regis instantiam, ille qui scripsit hæc, (id est, librum Itinerarii) aliis exemplum præbens, se primus erexit, et ad validissimam quoque omnium instructionem, ad pedes viri sancti (Balduini) provolutus, crucis signaculum devotè suscepi quem illicò Petrus Menavensis episcopus tam imitatus est quàm secutus, deinde Æneas Æneæ Claudii filius, Elveniæ princeps, cum aliis multis," etc. Fortasse decuisset magis ut primas concederes, viris principibus et episcopis, alioquin per se propensis, et exemplo ipsorum invitatus, eosdem imitareris in assumendo signaculo crucis, quàm ut tu, qui inferior eras dignitate, auctoritate, sapientiâ, te ultro statueres exemplum, quod illi imitarentur. Sed forsitan etiam tunc te titillavit, quæ ad scribendos libros impulerat, aviditas gloriæ et famæ futuræ, etc. Cap. 11 ejusdem lib. 1 Itiner. scribit, "ab archidiacono Menevensi, cujus nomen præsentis opusculi nomen tenet, (de se loquitur Gyraldus) verbo Domini gratiosè prolato,

* Ipse est cujus in catalogo Balæi recitantur plures famosi libelli et satyræ in pontificem Romanum, Romanam curiam, cardinales et alios.

allecta est multitudo tam militaris quàm plebeia," ad suscipiendum signaculum crucis. etc, et lib. 2 Itiner. cap. 12, ait: "tam ad archiepiscopi monita quàm ad gratiosos archidiaconi Menevensis sermones, ad crucis obsequia multos alleximus;" qui illud, "gratiosè prolato?" num eleganter aut eloquenter? si ita est, laus propria est. Et lib. 2 Vaticin. Hist. cap 18, ita de se ait: "Elapsâ hiemis (anno circiter salutis 1183) parte majori, vir probus et prudens Philippus Barrensis, Stephanidis nepos (et frater Gyraldi) tam ad avunculi subventionem quàm terræ suæ (in quâdam provinciâ Iberniæ) tuitionem, cum validâ virorum manu in fine Febr. transfretavit. Venit eodem navigio et alius Stephanidis nepos, Philippique frater (ipse est Gyraldus) tam avunculum quàm fratrem, plurimùm consilio juvans, (videlicet, vir magni consilii erat) et tam insulæ (Iberniæ) situm et naturam, quàm primævam gentis originem diligenter explorans, litterato quippe vir præditus studio, cujus nomen præsentis libelli titulus tenet." Sed audiamus quomodo panegyricè laudat suum genus, patruos, fratres, cognatos, affines, etc., qui manu magnâ et pervalidâ prædonum assumptâ, invaserunt de improviso, incautos, et tunc temporis securos et inermes Ibernos, quos et patriis sedibus exuerunt. Unam universalem de omnibus panegyrim dedit, speciales singulas de singulis; nos contenti erimus universali, cujus unam partem ponit lib. 2 Vaticin. Hist. cap. 10, his verbis: "Generis commendatio: quid Stephanidæ filii suis meruere temporibus; quid Mauritii; quid Robertus Barrensis, vir verecundus et audax, cujus laudes præcedentia (scripta Cambrensis) tenent; quid Milo Menevensis, tam Mauritii quàm Stephanidis nepos; (etiam uterque erat patruus Cambrensis) qui cum primis primus, et inter primos animosus advenit;* quid Henrici filius, Robertus Meileri frater; quid Reymundus Kantintonensis, quid Robertus Barrensis minor, uterque procerus, pulcher, probissimus; quid Reymundus Hugonides, quamquam staturæ minoris, probitate tamen et prudentiâ non tacendus; quid alii ejusdem generositatis quàm plurimi; quibus insignia singulorum gesta perennem poterant laudis memoriam promereri; non mihi si centum linguæ sint, oraque centum, ferrea vox, dignè promere cuncta queam. O genus! o gens! geminâ naturâ, a Trojanis animositatem, a Gallis armorum usum originaliter trahens. O genus! o gens! tam generis numerositate, quàm ex innatâ strenuitate semper suspecta. O genus! o gens! quæ ad regni cujuslibet expugnationem per se sufficeret, si non tantam invidens illis strenuitatem, semper in alta livor exardescens, ab alto coegisset descendere." Et cap. 15: "Hoc etenim gentis hujus (Geraldidarum seu Geraldinorum) omen et conditio (nimirum invident ipsorum felicitati et bono, multi) semper in armatâ militiâ cari, semper primi, semper rebus Martis ausu nobili præstantissimi. Cessante verò necessitate,

* E Cambriâ ad expugnandam cum cæteris invasoribus Iberniam.

statim exosi, statim ultimi, statim ad ima livore depressi. Verumtamen tantæ generositatis sylvam, livor ad plenum extirpare non potuit, unde et usque ad hodiernum diem gens hæc novis plantularum succrementis vires in insulâ (quæ octodecem circiter ante annis invaserant) non modicas habent. Qui sunt qui penetrant hostis (id est, Ibernorum) penetralia? Gyraldidæ! Qui sunt qui patriam (novam, quam vi posuerunt in Iberniâ) conservant? Gyraldidæ! qui sunt quos hostes formidant? Gyraldidæ! Qui sunt quos livor detractat? Gyraldidæ! O si principem tantæ strenuitatis merita dignè pensantem reperiisset! quàm tranquillum, quàm pacificum olim Iberniæ statum reddidisset. Sed horum sine causâ suspecta semper strenuitas. At quibus ex fide committitur, absque strenuitate securitas. Viri ergo viribus insignes, et vitæ strenuitatis amore contemptores, solitâ virtutis incedere viâ, ne cessetis. Felices facti si quid mea carmina possunt; virtus enim vacare non potest, suum semper vel in præsenti, vel in futuro consequetur effectum. Quamquam igitur, seu per ignaviam principum, seu per invidiam vestra sit virtus et strenuitas hactenus irremunerata, styli nostri tamen diligentiâ, non transibit illaudata. Gaudeat ergo juventus, et ampliori desiderio de die in diem virtutis desudet, quippe cujus memoria nec præterire nec perire, quinimò, terris et thesauris pretiosora, perpetuò floret laudis honore celebrata."

Hucusque ex universali panegyri Gyraldi, laudantis se, sua, suos. Neque vacat exscribere fusiùs quas de singulis suorum texuit panegyres singulas; sufficiat hoc loco ex illis libare pauca verba, vice speciminis. Sic suum patruum Robertum Stephanidem incipit describere Gyraldus, lib. 1 Vaticin. Historiæ, cap. 26, "O virum, virtutis unicum, verique laboris exemplum, fortunæ variæ, sortisque adversæ, plus quam prosperæ, semper obnoxium! O virum toties tam in Iberniâ quàm in Cambriâ utrasque rotæ circumferentias æquanimiter expertum, et omnia passum, quæ pejor fortuna potest; atque omnibus usum quæ melior. O verè Marium secundum, Stephanidem! cujus si felicitatem respexeris, felicissimum dixeris: si verò miserias, miserorum omnium miserrimum videas."* Mauritium (alterum Gyraldi patruum) ita describere incipit lib. 1 cap. 42. Erat autem Mauritius, vir venerabilis, et verecundus, vultu colorato decentique; mediocri quâdam modicitate tam mediocribus minor, quàm modicis major, vir tam animo quàm corpore modificato, nec illo elato, nec hoc dilatato. Innatâ vir bonitate bonus, et tamen longè curâ propensiore bonus fieri quàm videri malens.† Mauritio

* Nam ab Henrico II. rege Anglorum tanquam prædo publicus et iniquus invasor Iberniæ fuit captus, catenis constrictus, compactus in carcerem, et nisi multi magnique principes supplices ad Henricum preces obtulissent pro Stephanide, pœnas prædonum luisset cum amissione capitis et honoris.

† Si semper fuisset, nunquam in animum induxisset contra fas, et severum imperium sui regis Henrici, invadere et cum aliis tyrannis vastare, nullo jure illis diebus sibi debitam Iberniam vel portionem ejusdem.

modus in omnibus servare modum, ut credi possit suarum partium, suique temporis tam censura morum, quàm facetiarum exemplum. Vir breviloquus et sermone perpauco, sed ornato; puta, plus pectoris habens quàm oris, plus rationis quèm orationis, plus sapientiæ quàm eloquentiæ, et tamen cùm sermonem res exigebat ad sententiam dicendam, sic serus sic scientissimus. Rebus quoque in martiis vir animosus, et nulli ferè strenuitate secundus. Ad capessenda pericula nec impetuosus, nec præceps, sed sicut providus in aggrediendis, sic pertinax erat in aggressis. Vir sobrius, modestus, castus, stabilis, firmus, fidelis, vir quidem non expers criminis, crimine tamen omni notabili carens et enormi." Plures tuas panegyres de tuis Roberto Barrensi, Meilero, Milone, Reymundo, et aliis, legat qui volet in tuo lib. 1, cap. 4, 9, 11, 13, 23, 24, 27, et lib. 2, cap. 2, 8, 9, 10, 17. Cæterum, O Camber, non meministi verborum tui Ciceronis qui dicebat, minorem esse fidem, minorem esse auctoritatem eorum qui præcones fiunt laudum suarum, et suorum.

Neque cùm panegyres istas scribebas, prævidebas ideo inter plurimas causas alias, vestros libros, a lectoribus olim in diebus tuis passim illaudatos, et contemptos, partim, quòd in illis ubique egeris præconem tuarum et tuorum laudum atque encomiorum, partim quòd penè cunctis constaret eo tempore, quos tu tantis prosequeris encomiis, non solùm fuisse rebelles imperio severo sui regis Henrici II., qui gravibus minis, et poenâ perpetui exilii propositis, prohibuerat illos, ne vim inferrent Ibernis, et ut eisdem permitterent pacatè vivere in propriis sedibus; sed etiam constabat tuum patruum Stephanidem, qui primus vastârat Iberniam et duxerat invasores ejusdem, vinculis ferreis eâ de causâ constrictum fuisse et conjectum in carcerem ab Henrico, fremente in ipsum, et ut utar verbis tuis, lib. 1 Vaticin. cap. 31, eidem in præsentiâ regis constituto: "graviter improperanti de tanto, tam temerario Ibernicæ expugnationis ausu, non absque indignatione plurimâ et comminatione multâ, ipsum cum alio quodam firmiter compeditum in turrim Reginaldi (carcer est) custodiendum remisit. Neque in Stephanidem tantùm fremebat rex, sed in alterum suum cognatum, Richardum Stringuil, et socios invasores, contra quos, tu ipse, Gyralde, fuisse ejusdem regis decretum severum provulgatum testaris, quod et ex parte recitas lib. 1, cap. 19, 28. Hæ fuere ex multis causæ quare tuæ panegyricæ scriptiones de te, tuisque, non adeo placebant aliis, sicut tibi præsertim, quòd de tuis longè aliter quàm tu, scribat, qui tecum vixit, et tuos de facie noverat, Gulielmus Neubrigensis, lib. 2, cap. 26, in hæc verba: "Illi (Stephanides cum quibusdam sociis et cognatis Gyraldi) metuentes paucitati suæ (quòd viderent se in arcto positos ab Ibernis, quos invaserat) accitis in Angliâ viris inopiâ laborantibus et lucri cupidis, vires paulatim auxerunt, et accersiverunt ex Angliâ, præficiendum sibi virum nobilem, videlicet Richardum

Stringuil, qui nimirum cùm esset magnanimus et supra vires rei familiaris profusus, amplissimis redditibus exinanitis, et exhausto ferè patrimonio, creditoribus erat supra modum obnoxius, atque ideo procliviùs ad majora invitantibus adquievit. Armatorum ergo juvenum plurimâ validâque manu contractâ, in terrâ juris sui, classem, transfretaturus in Iberniam præparabat. Cumque jam solvere pararet, affuerunt qui ex parte regis transfretationem inhiberent Ille verò nullius rei, quam in Angliâ possidere videbatur remoratus affectu, nihilominus transfretavit, atque expectantes socios optato lætificavit adventu. Junctis mox copiis, aliquid aggrediendum, audendumque ratus, pervicaci impetu irruit super Dublinium, urbem maritimam, totius Iberniæ metropolim, portuque celeberrimo, in commerciis et commeatibus nostrarum æmulam Londiniarum: quâ (urbe Dublinio) fortiter celeriterque expugnatâ, plurimos etiam longiùs positos (Iberniæ) metu perculsos in fœdus venire coegit. Insistebat finitimis populis pertinaciùs priscam tueri nitentibus libertatem, munitiones locis opportunis construens, et dominationem paulatim protendens, etc. Cujus tamen fausti successus cùm regi innotuissent Anglorum, motus quòd eo non solùm inconsulto, sed etiam inhibente, rem tantam fuisset aggressus, et præclaræ acquisitionis gloriam illi potiùs ut præcellenti adscribendam, in se convertisset, omne ejus in Angliâ patrimonium fisco addixit, et ne quod ex Angliâ subsidium Iberniæ inferretur, commeatus navium interdixit, fortiora quoque comminans, in gratiam maturiùs redire compulit jam penè regnantem. Itaque extorsit et famosissimam et nobilem civitatem Dublinium, et cætera quæ in acquisitione potiora videbantur, parte verò reliquâ, cum patrimonio suo Anglico integro illi restituto jussit esse contentum, etc. Hæc Neubrigensis relatio, mi Gyralde, satis nota olim lectoribus librorum tuorum, dederat ipsis ansam non multum fidendi tuis, de te, tuisque, encomiis et panegyricis laudibus. Audisti namque ex Neubrigense, vestros illos a te laudatos Iberniæ debellatores, et triumphatores, non alios fuisse quàm injustos alieni juris invasores, ac tyrannicos prædatores, et pacis turbatores, qui contra expressum sui legitimi regis imperium, regnum alienum vastârunt et occupârunt; non alio jure quàm gladii, et ut rex Henricus aiebat, "ausûs temerarii." Audisti, ut idem Neubrigensis testatur, tuos tantos illos Trojanos, et viros a te in cœlos elatos, ferè omnes fuisse homines inopiâ laborantes, cupidos lucri, ære alieno exhaustos, et miraris lectoribus ista, et plura scientibus, contemptam fuisse fidem et lectionem librorum tuorum, qui scatent propriis tuis tuorumque præconiis, vilipendiis aliorum, scientiis absurdis, superstitiosis opinionibus, detractionibus honoris ecclesiæ militantis, atque sanctorum, quos ipsa colit; famosis in Ibernorum universam gentem, falsisque libellis; aliis næniis et nugis.

Claudo caput, et ut principia postremis respondeant, meminisse

debebat Gyraldus, in se non omninò convenire, quod refert lib. 1 Vaticin. Hist. cap. 4, de suo " Milero, militiæ laudis et gloriæ amatore, et cuncta sua gesta (ut et Gyraldus cuncta sua scripta, ipso, de se, teste,) ad hæc summopere referente; et quidquid ejus famam amplificare poterat, adimplere omnibus modis satagente, longèque majori curâ videri, quàm esse virtuosus cupiente. Alter verò (videlicet, Robertus Barrensis, Mileri consobrinus) innatâ strenuitate valdè præclarus, nec laudis exactor, nec auræ popularis aucupator, inter primos, præcipuus magis esse volebat quàm videri; cui et animum, natura sic instituerat, ut puellari verecundiâ nec jactabundus, nec verbosus, existens (istum debebas imitatum fuisse, Gyralde) egregia sua facinora, nec ipse prædicare, nec ab aliis in laudem efferri gestiebat. Unde effectum est, ut quo minùs gloriam appeteret, tantò ampliùs eam assequeretur. Gloria namque virtutes quasi umbra sequitur, et appetitores sui deserit; contemptores plerumque, nimirum, plùs eo ipso placent, quòd placere contemnunt, et mirum in modum laus, dum vitatur, acquiritur," ut ait S. Hieronymus.

CAP. VIII.

Phillippicæ sive Verrinæ Gyraldi aliquæ in quoscumque qui olim restitere conatibus sive suis sive cognatorum suorum debellantium Iberniam.

A judiciis meritò repelluntur, sic et a scriptione historicâ, testes suspecti de gratiâ vel odio, cùm lex prima sit historiæ, veritas ac sinceritas, quam servare integram in scribendo aut loquendo, sæpè vetat vehemens odii, vel amoris affectus, quem viguisse vehementem in Gyraldo, amoris erga suos, aversionis erga adversarios suorum, satis ostendunt, quæ ex ipso hactenus exscripsimus in septem præcedentibus capitibus, præsertim in primo et septimo; quamvis nonnisi unum aut alterum odii illius in alios, quos acerbè insectatur, exemplum produximus in capite primo; plura quæ sufficiunt immoderati amoris in se, sua, suosque in capite septimo. Pauca ex multis indiciis exiguæ suæ in quosdam benevolentiæ exempla afferremus; quæ sanè, si aliæ causæ deessent, vel sola sufficerent ad fidem dictis derogandam et nomen boni scriptoris Gyraldo auferendum. Non repeto verba asperrima, quæ capite primo posuimus ex illo, adversus Herveum de Monte Marisco, Anglum, virum primarium, ut ait Cambrensis, unum ex quatuor postibus expugnationis Iberniæ, et constabularium in eâdem designatum ab Henrico rege. Cui Hervæo, (eò quòd resisteret Reymundo, Gyraldi patrui Cambrensis nostri, consiliis, ut suspicabatur, bono publico adversantibus et juri regio,) nec primùm Henrici regis militi et ministro, nec deinde facto penitente pio monacho, militi Christi regis, pepercere amentata Cambrensis tela, ut antè ostendimus, uti nec pepercere nimiùm mordacia verba (quæ etiam eodem capite primò retulimus) ejusdem, adversus Christianam Ibernorum gentem, quæ temporibus Caroli magni, aut Ludovici ejus filii, memorabilem ediderat stragem, et e finibus Iberniæ exterminaverat innumerabiles Norwegos seu Normannos ethnicos, qui odio Christiani nominis, ecclesias penè universæ Iberniæ destruxerant, et sub jugum, per aliquot annos, miserant ejusdem incolas, addictos Christo. Quâ verborum Cambrensis acerbitate nimiâ in Hervæum et Ibernos, motus fuerat Richardus Stanihurstus, olim admirator et laudator Gyraldi, ut contrarium de ipso postea conceperit opinionem, et meritò ipsum

repræhenderit, tanquam scriptorem, quem sæpè non ratio, non veritas, sed passio regat et affectus. Sed hoc loco indicemus nova vestigia vehementis aversionis Gyraldi, et verborum valdè acerborum in alios, qui resistebant Reymundo illi, et Mauritio, et aliis ejusdem Cambrensis cognatis. Misit Henricus rex, proregem in Iberniam, Dapiferum suum, virum nobilissimum, nomine Gulielmum Aldelmum, (e cujus posteris sunt, qui a 400 annis in Iberniâ superstites sunt, illustres comites de Burgo, alias Clann-Rickard dicti) qui ab Henrico monitus ut invigilaret et caveret, ne quid turbarum excitaretur a Reymundo et cognatis, de quibus rumores nonnullos inaudierat rex, quòd fortasse res novas in Iberniâ moliri meditarentur, fecit Prorex quod in mandatis habebat et paulò cautiùs et (Gyraldo videbatur, nimium severè atque invidè) aliquanto austeriùs agebat cum Reymundo et Mauritio, quibus non permisit possidere præsidia, et munitiones quas quisque possidebat, sed alia loca in Iberniâ, æque commoda in quibus habitarent, quæque minùs suspecta essent, illis assignaverat. Quid in istum Aldelmum, Gyraldus, prætexens ab illo injuriam illatam familiæ, et fortunis patruorum ipsius, dixerit et scripserit, intelliges, lector, ex ipso Cambrense, lib. 2 Vaticin. Hist. cap. 15, 16, 18, ubi hæc habet inter alia. "Videns Gulielmus, et invidens Reymundum tam pulchrâ juventute stipatum, intuens quoque Milerum et alios Reymundi nepotes in equis pulcherrimis, clypeis assumptis, unius armaturæ circiter triginta milites juveniliter, ut moris est per campana ludentes; ad suos se vertens, demissâ voce, 'superbiam hanc,' inquit, in brevi comprimam, et clypeos istos dispergam.' Ab hâc igitur horâ (videlicet, ab anno sal. circiter 1176, quo Gulielmus Aldelmus venit ex Angliâ prorex in Iberniam) semper tum iste, quàm alii procuratores (id est, vice-reges) Iberniæ, cuncti, Reymundo, Meilero, tam Mauritii filiis quàm Stephanidis, totique generi, desuper fortè latâ sententia, tanquam conjuratione quâdam, ex invidiâ (sic interpretatur Gyraldùs) nocere non cessârunt. Hæc etenim gentis hujus (Gyraldinorum) omen est et conditio semper in armatâ militiâ chari, semper primi, semper rebus in martiis, ausu nobili præstantissimi! cessante verò necessitate, statem exosi, statim ultimi, statim ad ultima, livore depressi, etc. Erat autem Gulielmus Aldelmi filius, vir corpulentus, tam staturæ, quàm facturæ, inter parum mediocribus majores satis idoneæ, vir dapsilis et curialis. Sed quidquid honoris cuiquam impendit, semper in insidiis, semper in dolo, semper propinans sub melle venenum, semper latens anguis in herbâ, vir in facie liberalis et lenis, intus verò plus aloes habens quàm mellis, "semper pelliculam veterem retinens, vir fronte politus, astutam vapido portans sub pectore vulpem: semper impia, sub dulci melle venena ferens." "Molliti sermones ejus super oleum, sed ipsi sunt jacula." Cujus hodiè venerator, cras ejusdem spoliator, existens vel delator. Imbellium debellator, rebellium blanditor, indomitis domi-

tus, domitis indomitus, hosti suavissimus, subdito gravissimus, nec illi formidabilis, nec isti fidelis. Vir dolosus, blandus, meticulosus, vir vino, venerique datus; et quamquam auri cupidus, et curialiter ambitiosus, non minùs tamen curiam diligens quàm curam; cuncta cupidè, cuncta timidè, cuncta formidolosè tractans, nec subditis fidelis nec hostibus formidabilis. Dux ignavus qui nihil egregium in Iberniâ gessit, præter hoc solum, quòd baculum virtuosissimum S. Patritii, "quem, baculum Jesu vocant," (de quo præclara narrat B. Bernardus in vitâ S. Malachiæ) ab Armachâ Dublinium transferri curavit," etc. Nonne noster Camber conductus videtur ad conviciandum alienis, ad adulandum suis? quasi verò ita maledicè debacchari in personas principes deceat dignitatem archidiaconi, quam se tueri sæpè nobis narrat Gyraldus: quis adeò confidit de simplicitate lectorum et de auctoritate suâ, ut sibi persuadeat, neminem futurum fore, qui ipsius dictis tanquam veris fidem non statim adhibeat, et non potiùs credat Cambrum postposito veritatis dicendæ studio, stylum maledicentiâ imbutum et ex malevolentiâ in alios a se, suisque profectum, strinxisse in quos minime debebat? Sed longè acriùs invehitur in miseros, quos ubique omni maledicentiâ et contumeliis insectatur populos, gentemque universam Ibernorum. In quos, quæ convitiorum plaustra, planè e stabulo, navi, vel curru petitorum evomuerit, nemo ignorare potest, qui illum vel obiter legerit. Omitto fœdissima illa et falsa, quæ in Turcas, aut Tartaros, vix convenire possint, horrenda opprobria, quorum aliquod specimen, ex ipsis Gyraldi verbis, dedi superiùs cap. 1, et sequentibus; ubi et illa refutâram invictis argumentis ex S. Bernardo, plurimis aliis testibus, omni fide dignis, et exceptione superioribus, quæ hoc loco non repeto. Sed addam tamen aliqua pauca ex insignioribus invectivis Gyraldi, ut abundantiam cordis et intemperantiam calami ejus colligat lector ex locutionibus crebris oris ipsius. Circa annum salutis 1178 accidit ut nobilis quidam Ibernus, Mactyrus nomine, miseratus, et dolens patriam suam vastatam, et sub jugum missam a prædonibus (quorum primus dux erat Robertus Stephanides, patruus Gyraldi Cambrensis,) in campo sedentes occiderit Radulphum, filium Roberti, et Milonem Radulphi socerum, (qui duo diviserant inter se quam ex rapto acquisierant cujusdam provinciæ in Iberniâ) cum aliis quinque militibus ordinis equestris. Hinc, inter alias causas, Gyraldus ansam in universam gentem Ibernorum exonerandi suam bilem et iras, arripiens, ita ait lib. 2 Vaticin. Hist. cap. 18: "Sicut Borealis Iberniæ bellica, semper Australis gens subdola (in Australi plagâ regionis fuerunt occisi Raldulphus cum suis); illa laudis, hæc fraudis cupida; illa martis, hæc artis ope confisa; illa viribus nititur, hæc versutiis; illa præliis, hæc proditionibus; juxta illud poetæ! "omnis in Arcturis sanguis, quicumque pruinis nascitur, indomitus bellis et Martis amator. Quidquid ad Eoos tractus, cœlique teporem jungitur, emollit animos clementia cœli." Et tertiæ distinct.

cap. 20, præfigit istum titulum: "de Ibernorum nequitiis et proditionibus," et pergit; "præ omni aliâ gente proditionibus semper insistunt, fidem datam nemini servant, fidei et sacramenti religionem, quam sibi observari summopere volunt, aliis præstitam, quotidie violare nec verecundantur, nec verentur,* unde et cum cautelas omnes observaveris et adhibueris, cùm securitati et indemnitati tuæ tam sacramentis quàm obsidibus, quàm amicitiis firmiter initis, et beneficiis multimodè collatis, modis omnibus invigilaveris, tunc primò timendum est tibi, quia tunc præcipuè ipsorum vigilat malitia, cùm ex securitatis abundantiâ, te tibi præsenserint non vigilare. Tum demum ad arcem nequitiæ, tum ad consueta fallaciæ tela confugiunt, ut sumptâ securitatis occasione lædere valeant vel improvisum." Et cap. 21, "De antiquâ verò, imò iniquâ consuetudine, semper in manu, quasi pro baculo, securim bajulant, ut iniquitatis affectum faciliùs perducant ad effectum; quocumque se vertant hanc prævectant; visâ igitur opportunitate, et occasione captatâ, non hæc, ut gladius evaginatur, non ut arcus tenditur, non ut lancea protenditur; citra omnem præparationem parum elevata, lethale vulnus infligit. Ad manum igitur, imò in manu semper, et in promptu est, quod ad mortem sat est. A securibus, ergo, nulla securitas; si securum te reputas, securim senties. Te sponte in periculum mittis, si securim admittis, et securitatem amittis. Cùm igitur exercendæ malitiæ locum adviderint, utinam, vel non inviderint, vel potiùs nihil viderint;† est enim gens hæc, gens inconstans, gens varia, gens versipellis et versuta, gens solâ in instabilitate stabilis, solâ infidelitate fidelis; hoc firmum servans quod nunquam firma; fidelis, hoc solùm retinens quòd nesciat esse fidelis, (eloquenter, egregiè, eruditè, argutè, mi Camber)! est igitur longè fortiùs timenda illorum ars quàm mars, eorum pax quàm fax, eorum mel quàm fel, malitia quàm militia, proditio quàm expeditio, amicitia præfucata quàm inimicitia despicata. Hæc enim est eorum sententia, "dolus an virtus quis in hoste requirat," Macte, O magister Sylvester! macte! vicisti, te ipse superâsti in dicendis auditis, argutiis; statuâ te dignum, senatus pronuntiat, sed plumbeâ. Et cap. 22 hunc appendit titulum! "de argumentis nequitiæ et novo desponsationis modo." Pergit, "inter alia multa artis iniquæ figmenta, hoc unum habent tanquam præcipuum argumentum. Sub religionis et pacis obtentu ad sacrum aliquem locum conveniunt, cum eo quem oppetere cupiunt; primò compaternitatis fœdera jungunt, deinde ter circa ecclesiam se invicem portant, postmodum ecclesiam intrantes, coram altari, reliquiis sanctorum appositis, sacramentis, multifariè

* Imò, Gyralde, tu quotidie, aut penè, ubique in tuis scriptis veritatem violare non vereris nec verecundaris.

† Dominus magister Gyraldus, (ita namque honoris causâ, se salutari solùm, ait, a Gualtero Mapo archidiacono Oxoniensi, suo amico, et Papamastige,) est hodie acutus, et eloquens, et plenus verborum allusionibus argutis, ne dicam illusionibus.

præstatis, demum missæ celebratione et orationibus sanctorum sacerdotum, tanquam desponsatione quâdam, indissolubiliter fœderantur. Ad ultimum, verò, ad majorem amicitiæ confirmationem, et quasi negotii consummationem, sanguinem spontè ad hoc fusum, uterque, alterius bibit;* hoc autem de ritu gentilium adhuc habent, (non te pudet, O! impudens et os ferreum) qui, sanguine in firmandis fœderibus uti solent. O! quoties in ipso desponsationis hujus articulo, a viris sanguinum et dolosis, tam dolosè et iniquè funditur sanguis, ut alteruter penitus maneat exsanguis! O, quoties eâdem horâ et incontinenti, vel sequitur vel prævenit, vel etiam inaudito more sanguinolentum divortium ipsam interrumpit desponsationem." Et cap. 23: "Væ autem fratribus in populo barbaro, væ et cognatis: vivos enim ad mortem persequuntur; mortuos, et ab aliis interemptos ulciscuntur! solùm vero alumnis et collectaneis, si quid habent vel amoris vel fidei, illud habent." Et cap. 24, "adeò igitur quicquid libet placere videtur, et cura quid expediat cunctis, non quid sit honestum; cum tamen nihil ad plenum expediat præter honestum. Adeo scelus proditionis, hìc invaluit et quasi radices posuit, adeo in naturam prævaluit pravæ consuetudinis longus abusus; adeo a convictu mores formantur, et qui tangit picem inquinabatur ab eo; adeo mali vis magna est; melli enim plurimo parum absynthii injectum, velocem amaritudinem reddit; mel verò duplum si misceatur absynthio, nequit ejus obtineri dulcedo; adeo, inquam, bonos mores corrumpunt colloquia prava, ut hoc vitio patriæ (Ibernorum) tanquam innato et contagiosissimo, etiam alienigenæ huc advecti (vide an non isti fortasse fuerint tui populares, vastatores Iberniæ) inevitabiliter ferè involvantur. Sacros, igitur, locus hic aut recipit aut facit, cùm enim proclivis sit cursus ad voluptates, et imitatrix natura vitiorum, quis sacrum esse dubitet, quem tot sacrilegiorum exemplaria, tot rerum malarum documenta, tam frequens sacramentorum transgressio, tam fidei; nulla religio prædocent et instruunt, et emula malorum doctrina, ad similia constanter invitant." Gyraldus multum tribuit suæ in scribendo auctoritati, et fidit lectoris, in scriptis legendis, credulæ simplicitati, ipsum exhilarare volens narratione novâ nusquam visâ nisi in libellis famosis suis. Refert istam a sæculis inauditam Milesiam fabulam in extremum opprobrium gentis Ibernorum confictam, quam auctor, plus cupiens quàm sciens mentiri, nescivit fucare saltem colore vel veste veri aut verosimilium, sed tam crasso filo contexuit, ut vel cæcus quisque aut infensissimus Ibernis homo, etiam vel Gyraldus ipse, non potuerit non deprehendere manifestam calumniam, nec valuerit credere aliud esse posse quàm mendacium con-

* Imò, tu ab initio ad ultimum spontè videris immania mendacia et calumnias pro historicis venditare ad pascendam curiositatem minus prudentum et levioris fidei legentium.

tumeliosum in christianum et catholicæ fidei tenacissimam gentem. Audite fabulam, et obstupescite qui legitis. Titulum caput. 25 ponit istum "De novo et enormi regni, dominiique confirmationis modo apud Ibernos." Pergit: "Sunt etiam quædam quæ nisi materiæ cursus expeteret, pudor* reticenda persuaderet; turpis enim rei gestæ narratio ('præsertim mendax') quamquam præferat artem ('quam, revera, tua ista narratio non præfert, non sapit') demonstrare tamen videtur artificem. Verumtamen, quoniam historiæ severitas nec veritati parcere novit ('quæ in te, ut apparet, fuit parcissima') nec verecundiæ ('cui jamdudum videris remisisse nuntium') circumcisis labris res inhonesta poterit venustâ verborum vermilitate ('priscè! eleganter! vermiliter, venustèque sonans Latinis auribus verbum') depromi. Est igitur ('nisi tu fallas') in boreali et ulteriore Ultoniæ parte, scilicet apud Kenel Conel, gens quædam quæ barbaro nimis et abominabili ritu sic sibi regem creare solet.† Collecto in universum, unò populo terræ illius, in medium producitur jumentum candidum, ad quod, sublimandus ille, non in principem, sed in belluam, non in regem, sed in exlegem, coram omnibus bestialiter accedens, non minùs impudenter, quàm imprudenter se quoque bestiam profitetur.‡ Et statim jumento interfecto, et frustatim in aquâ decocto, in eadem aquâ, balneum ei paratur, cui insidens de carnibus illis sibi allatis, circumstante populo suo (qui scilicet nudum, omnes cernunt suum regem) et convescente, comedit et ipse.§ De jure carnis quoque quo lavatur,‖ non vase aliquo, non manu, sed ore tantùm circumquaque haurit et bibit. Quibus ita ritè, non rectè completis, regnum illius et dominium est confirmatum, Imo, maximè impudens mendacium tuum, quod vel tantùm recitâsse est manifestè refutâsse, ut de absurdis quibusdam hæresibus scripsit olim Tertullianus. Neque enim necesse habeo opponere impudenti calumniæ isti, quæ apertè scripserat B. Bernardus, in vitâ

* Quo certè caruerat calamus tuus, O Camber.

† Et tamen non meminit ipse Gyraldus, se in suo lib. 2, Vaticin. Hist. sive Expugn. Ibernisæ, cap. 16 et 17, ita narrare quod et semper fuit universæ genti Ibernorum notissimum experimento, quàm ævo Gyraldi quàm anterioribus, Ultoniam totam uni tantùm paruisse regi, non admittens alterius regis consortium, cùm portio illa terrarum Kenel Conil non sit vel decima, sed vix duodecima pars provinciæ sive regni Ultoniæ.

‡ Dic aliquem, saltem dic, O Gyralde! colorem veri; nam falsi quæ modò narras, habent.

§ Itaque omnes cum rege nudo vescuntur carnibus equinis? sensatus et mentis compos ista scripsisti, O Camber? et qui vel micam mentis possidet, putas crediturum ista de gente christianâ.

‖ Utinam tibi ista scribenti adfuisset cura vel bona cogitatio de jure divino vel humano, non ita facile perrupisses jura christianæ charitatis, et veritatis, in lacerandâ bonâ famâ nationis christianæ, de quâ, quæ narras, etiamsi verissima essent, ut certè falsissima sunt, celare debebas, si proximos videris velle amare sicut te ipsum; quando necessitas non urgeret propalandi adeo enormia, quæ nulla natio orbis de Ibernis audierat, antequam tu ista incredibilia spargeres, a nemine (quod gaudeo,) ante vel post te credita.

Malachiæ, (quorum uterque vixerat seculo tuo, O Camber) de optimis moribus, magnâ pietate, multâ eruditione, studio bonarum disciplinarum, quæ florebant per universam Iberniam, illis annis, jam namque testimonia Bernardi tibi superiùs objeceram, ut et plurima alia omni exceptione majora. Ipsa, per se suâ absurditate et incredibilitate prodit tua insulsa juris et ruris (libet, more tuo, ludere verbo,) referta narratio. Et lamentaris tu, quòd Henrico II. regi Anglorum, aliis viris principibus, et mediæ sortis, et passim plurimis tuis domesticis, atque extraneis lectoribus, exosi fuerunt libri tui, et (ut merebantur,) in angulum aut carcerem conjecti; tu, qui illos non respersisti tantùm sed et refersisti tot monstrosis, de gente Ibernorum et manifestis mendaciis, tot nugis et næniis Milesiis, tot incommodis aliis narrationibus, quæ neminem cautum et cordatum non meritò deberent alienum a lectione libellorum tuorum, et a fide tibi, tanquam probæ notæ scriptori, adhibendâ abarcere.

Tandem Gyraldus ut coronidem imponat immanibus suis calumniis in Ibernos, ausus est in cap. 26, asseverare, in Iberniâ, suo tempore, id est circa annum sal. 1188, fuisse loca aliqua, et incolas indigenas ad quos nunquam pervenerit notitia nominis Christi, aut fidei christianæ, sed eo tempore, tam ipsos non paucos, quàm ipsorum, superioribus sæculis, majores, semper caruisse gratiâ baptismatis evangelici, vixisseque penitùs tanquam idololatras et ethnicos, ad quos nunquam pervenit prædicatio ulla christianæ legis. Capiti illi 26 præfigit Cambrensis istum titulum: "De multis in insulâ (Iberniæ) non baptizatis, et ad quos nondum fidei doctrina pervenit." Pergit, ad confirmationem hujus sui mendacii, (quod historiam suadet esse) narrare sequentem fabellam, dicens: "Ad hæc autem, quamvis tanto jam tempore in terrâ istâ (Iberniæ) fundata fides adoleverat, in nonnullis tamen ejusdem angulis multi adhuc sunt non baptizati, et ad quos, ex pastorali negligentiâ, fidei nunquam doctrina pervenit. Audivi, a nautis quibusdam, (paris tecum fidei,) quòd cùm, quadragesimali quodam tempore, ad boreales insulas, (Hebrides) et ad inextricabiles Conactici maris (occidentalis Iberniæ) vastitates, vi tempestatis depulsi fuissent, tandem in insulam quamdam modicam se subduxerunt, ubi et anchorarum morsu, funiumque triplicium, imò multiplicium tenacitate, se vix retinuerunt. Residente verò intra triduum tempestate, et restitutâ tam aeris tranquillitate, quàm maris serenitate, apparuit non procul facies cujusdam terræ, eis hactenus prorsus ignotæ, de quâ non longè, post et cymbulam modicam ad se viderunt remigantem, arctam et oblongam vimineam quidem, et coriis animalium extrà contextam consutamque. Erant autem in eâ homines duo, nudis omnino corporibus, præter zonas latas de crudis animalium coriis, quibus stringebantur. Habebant etiam Ibernico more comas perlongas et flavas trans humeros deorsum, corpus ex magnâ parte tegentes. De quibus cùm audivissent, quòd de quâdam Conactiæ parte essent, et

Ibernicâ linguâ loquerentur, intra navem eos introduxerunt. Ipsi verò quæ ibi cuncta videbant tanquam nova admirari cœperunt,* navem enim magnam et ligneam, humanos etiam cultus, sicut asserebant, (imò, solus tu, vel nullius fidei, nautæ anonimi quibus leviter credidisti) numquam antè viderant. Cum verò panem et caseum ad comedendum eis obtulissent, utrumque ignorantes abnuerunt. Carnibus autem et piscibus et lacte tantùm se vesci solere affirmabant, nec vestibus ullis utebantur, nisi coriis animalium, interdum in magnâ necessitate; et cùm a nautis expeterent, an ibi ad prandendum carnes haberent, et responsum haberent, 'in quadragesimâ carnes comedere non licere,' ipsi de quadragesimâ nihil sciebant, nec etiam de anno, vel mense, vel hebdomadâ quicquam. Quibus etiam nominibus dies septimanæ censerentur, penitùs ignorabant! † Cùmque ab ipsis quæreretur, an christiani essent, an baptizati? responderunt de Christo, se nihil hactenus vel audisse vel scivisse." Nempe hoc unum tibi restabat exprobrandum Ibernis; quorum universam patriam, et populos, ut norunt passim qui tritas, per Europam, historias legerunt, ad fidem christianam convertit ipsorum apostolus S. Patritius, in Iberniam Româ missus a Cœlestino I. papâ, circa annum salutis 435, qui Patritius supra 60 annis vix erat episcopus in eâdem insulâ, quàm totam sæpiùs ipse obivit. Neque ista, o Gyralde! nesciebas, qui legisti Marianum Scotum, in Chronico ad annum 432, et Sygebertum ad annum 432 et 491, et B. Bernardum in vitâ Malachiæ. Neque curas, an quæ hoc loco figmenta narras, contradicant narratis alibi, nempe in tertiâ distinct. Topogr. cap. 16 et 17, ubi ita scribis: "anno quo S. Augustinus doctor mortuus est, missus est Patritius in Iberniam. Obiit autem in Domino et quievit in pace anno ætatis suæ 120, (aliàs 123,) Incarnationis, autem Dominicæ 493, pontificante Felice I. papâ, imperante Anastasio, principante in Britanniâ Aurelio Ambrosio, in Iberniâ autem Torquero. Patritius, vir vitâ et sanctitate conspicuus, primus in eâ (insulâ Iberniæ) fidem Christianam prædicavit et plantavit, baptizatis ubique catervatim populis, et totâ insulâ ad fidem Christi conversâ, etc. Et tamen tua fabula de duobus illis nudis, qui ante dies tuos nunquam viderunt navem, panem, caseum, humanos cultus, norant Ibernicè loqui, et Iberni erant, nec tamen norant nominare annum, mensem, septimanam, vel dies ejusdem,

* Ut et ego tanquam nova, tua figmenta, quæ refers de Ibernis oceani incolis, et assuetis maria sulcare navigiis magnis et multis, quòd primùm in diebus tuis naves viderunt, et alia quibus adeo assuefacti erant per tot præcedentia sæcula; et plura quàm tu nunquam videras.

† Et tamen Ibernica linguâ, quam ais, duos istos Ibernos, et alios ipsorum populares multos, calluisse, novit loqui, qui nescit nominare annum, menses, hebdomadas, dies singulos ejusdem. Jam dixi, Gyralde, majorem tibi animum adesse infamandi nationem Ibernorum quàm ingenium aut artem, qui penitus ignoras artificiosè inaurare, ut vultum veri præ se videantur ferre, quæ in Ibernorum gentem contumeliam, finxisti commenta.

etc. Narrat multos adhuc, a diebus S. Patritii usque ad tuos, fuisse in nonnullis Iberniæ angulis, qui nunquam audierint de Christo vel religione Christianâ. Quasi verò tam immensæ vastitudinis insula esset Ibernia, ut ad ejus extremos angulos non potuerit Patritius, aut qui ipsum christiani infiniti subsecuti fuerunt, spatio 700 et amplius amorum, usque ad dies tuos, O Camber, non potuerint penetrare, aut non voluerint? aut quasi verosimile foret, "incolas angulorum," quos fingis, illorum, si ulli non baptizati inter eos extitissent, nullos reliquæ Iberniæ viderint aut allocuti fuerint christianos, qui nihil ipsis spatio tot seculorum suggererent de Christo, de salute æternâ, neque in tot annorum curriculis, in colloquio cum eisdem exciderent nomina annorum, mensium, hebdomadarum, dierum ejusdem? neque ullum, tanto tempore, viderint hominem humani cultûs vel vultûs, nullas naves ligneas, aut magnas, quibus tot seculis referti fuerunt portus et littora Iberniæ, quorum portuum, incolas angulares illos tuos fuisse, non dubitas, cùm solerent remigare et sulcare maria in cymbalis suis oblongis, arctis, ex corio contextis et consutis? aut quasi speciem veri videtur habere, ut in tantâ multitudine sanctorum virorum Iberniæ, quos S. Bernardus testatur, ex aviditate convertendi ad Christum et seminandi evangelicum semen, in exteris nationibus "Minoris Scotiæ, Angliæ, Galliæ, Belgii, Germaniæ, etc. inde, e suâ patriâ, "tanquam examina, et quasi inundatione factâ," egressos, replevisse sanctis et optimis disciplinis regiones alienas, nemo fuisset inventus, sed neque inter reliquos sanctos innumerabiles, qui in ipsâ patriâ remanserant, quem solicitaverit cura convertendi ad Christum suos illos populares non baptizatos, si qui essent, latentes in angulis illis Gyraldi? Sed, mi Camber! veritas non quærit angulos, sed tu! ad nocendum bono nomini Christianorum Ibernorum. Deus tibi ignoscat, si locus sit et indiges!

"Revertentes, ais, (illi duo nudi non baptizati) panem unum et caseum secum retulerunt, ut præ admiratione suis ostenderent, quibus cibariis alienigenæ vescerentur. Isti alienigenæ, honesti cultûs homines, qui vehebantur in magnâ navi ligneâ illâ, de quâ loqueris, si ulli fuerunt, sine dubio non alii quàm tui populares Britanni, qui per viginti circiter annos, manu armatâ, quotidie expugnârant Iberniam: qui iidem tui populares, ut refers lib. 1, Vaticin. Hist. cap. 11, regem provinciæ Conactiæ (quæ inter plures Iberniæ est minima, et in cujus nonnullis angulis habitâsse, ais, multos illos nondum baptizatos et nudos Ibernos, etc.) aperto marte profligârunt, cum dedecore, inquis, et se et exercitus suos, circa annum salutis 1168. Et rursum circa annum 1177, iidem vestri populares Britanniæ, duce cognato tuo Milone Cogano, ut narras, invaserunt, et occupatâ Tuemoniâ urbe metropoli, et peragratâ per octiduum provinciâ, regem ejusdem Rodericum, qui simul erat et monarcha Iberniæ totius, cum tribus magnis exercitibus, primùm in sylvas

compulsum, deinde in prælia collectum vicerunt; tribus tantùm satellitibus sive militibus ex 540 (non enim plures duxit secum tuus Milo, ut scribis,) vestris popularibus desideratis; plurimis autem ex tribus magnis Roderici monarchæ exercitibus interemptis. Si quæras, aut loco tui, quispiam admirator et præco tuæ eruditionis, gravitatis, fidei, et auctoritatis, præsertim in scribendis historiis, cur isto loco tam parum fortassis accommodatè ad institutionem in hoc capite octavo narrationem et refutationem fabularum Cambrensis commemorârim ex eodem; tot prælia a popularibus ipsius commissa adversus Rodericum regem Conactiæ et monarcham reliquæ Iberniæ; invasiones item crebras, quas Cambri populares tentârant in universas Iberniæ provincias, et angulos, per spatia viginti circiter annorum; antequam idem noster Camber suam illam de nudis, nondum baptizatis Ibernis, etc. fabellam contumeliosam in vulgus dissipasset, quærenti respondere possem; vel hinc manifesta, Cambrensem, parum sollicitum de constantiâ in scribendo, contra se, et mendacem fabulam "de nudis non baptizatis," etc. proferre testimonia. Quid enim? Recolas tua dicta, Gyralde: ais, "in insulâ Iberniæ nondum ('nunquam nequidem a temporibus S. Patritii usque ad tempus scriptionis tuæ, quam adornâsti anno salutis 1188, ut ipse testaris,') baptizatos, et corpore nudos esse, qui nunquam viderant homines humani cultûs," antequam viderent, circa annum eumdem salutis 1188, alienigenas illos, nautas populares tuos, in navi ligneâ magnâ; ante quam visam, aliam nullam unquam viderunt, ut neque unquam quicquam audierunt de Christo, neque viderunt panem, caseum, alia quæ ab eisdem alienis fuerunt ipsis oblata, ut revertentes ostenderent suis multis indigenis sociis nudis, nondum baptizatis, "quibusnam cibariis," novi illi alienigenæ vescerentur, etc.!

Hæc tu: quis, quæso, nisi insensatus credat, aut probabile putet incolas ullos latuisse in angulis Iberniæ insulæ, (cujus longitudo vix superat quadringenta millia passum, et latitudo vix ducenta millia) quæ per universam illam, quotidie, per viginta annos grassantem, gladio hostili, catervam alienigenarum, et regione totâ undique et ubique perpetuis bellis, cædibus, et rivis sanguineis redundante, non nisi demum, post vicesimum circiter annum, tantorum tumultuum, et quidem casu! idque non ipsâ regione, ubi omnia tamdiu ardebant bellis, sed dum in cimbulâ piscarentur, in mari, primùm vidisse nautas aliquot, et habitum humanum illorum alienigenarum, qui Iberniam totam tamdiu sursum, deorsum vertere non desistebant ingenti paratu bellico et copioso milite? quis tam fatuus verosimile existimet multos incolas fuisse in diebus Gyraldi Cambrensis, in provinciâ Conaciæ (quæ magnitudine vix quintam partem Iberniæ occupat) qui nihil audierint de duabus illis memorabilibus Cambrorum et Anglorum in Conaciam impressionibus, quas, eisdem Gyraldi diebus fecerunt, et bis in acie, victum regem Conaciæ Rodericum,

cum quatuor suis exercitibus, in silvam compulerunt? et Rodericum ipsum, regem egregiè christianum, catholicum, (ut et antecessores) imperantem subditis christianis, et Conaciæ provinciæ, quæ hinc (te teste lib. 2 Vaticin. cap. 17,) referta erat ecclesiis, crucibus, sanctorum imaginibus, et habebat archiepiscopum nomine Catholicum,* Rodericum, inquam, egregiè christianum virum, imperantem Conaciensibus catholicis, qui sanctum virum archiepiscopum habebant, et plures simul episcopos alios, et ecclesias plurimas christianis thesauris, reliquiis, imaginibus sacris inclytas, credam in suâ Conaciâ habuisse multos indigenas "nondum baptizatos, nudis corporibus incedentes?" Aut si habuit, ignorâsse; aut si non ignorarit, non dignatum tamen fuisse per ullos ex infinitis propemodum suis subditis Christianis sive laicis sive ecclesiasticis, archiepiscopo sancto, episcopis aliis quinque Conaciæ, sacerdotibus et reliquo clero benè multo, annuntiare miseris illis aliis suis subditis "nondum christianis," nomen Christi, viam vitæ æternæ, humanitatem et cultum christianum? Non fuit ex tot christianis Conaciensibus, laicalis aut clericalis ordinis, qui unquam fuerit allocutus aut conversatus cum eisdem miseris, "nudis, nondum baptizatis," sed tamen Conaciensibus suis popularibus? Aut si allocuti, nullos tamen christianos istos ad non christianos illos qui incolebant eamdem provinciam cum ipsis non adeo vastam, unquam fecisse mentionem "de Christo aut de baptismo;" nullum unquam verbum ipsis fecisse, quod significaret "annum, mensem, hebdomadam, vel dies septimanæ?" nunquam eosdem miseros, "nondum baptizatos," vidisse panem, caseum, sed neque a conversantibus cum ipsis, aliquando, aliis Conaciensibus christianis, audisse nomen panis et casei? Et tu tam, Gyralde, lib. 2, Vaticin. cap. 17, dicis quo tempore tuus Milo invaserat Conaciam, universam regionem eamdem, ferè cuncto vitæ humanæ alimentorum genere, ultra quàm credi vix potest, superabundâsse, et miseros istos eorumque majores non baptizatos, credam, per septem secula ignorâsse an haberent, aut quis esset rex ipsorum provinciæ Conaciæ? quinam et cujus essent religionis, aut vivendi moris, per tot secula, reliqui Conaciæ regis subditi ignorârunt! et quinam a tempore S. Patritii usque ad dies tuos, o Gyralde! fuerunt reliqui isti subditi et reges Conaciæ nisi Christiani? quomodo igitur illi tui, non christiani Conacienses, per tot

* Cujus tu, Camber, mentionem facis lib. 1, Vaticin. cap. 34, et qui tuis temporibus vixit Rogerius Hovedenus, Anglus historicus, ad annum sal. 1172, 1175, 1179, qui, cum sex aliis Ibernis episcopis, vocatus, Romam ivit ad Concilium Lateranense, sub Alexandro III. qui Catholicum, virum sanctum, magno habuit honore, cùm præsertim intelligeret ipsum fuisse unum ex intimis ac dilectissimis discipulis S. Malachiæ, paucis antè annis mortui, et prædicante B. Bernardo, signis, sanctitate, miraculis passim per Europam coruscantis. Eundemque etiam Catholicum nominatim, noverat Alexander papa, fuisse illum laudatum a Bernardo in vitâ Malachiæ, qui signo crucis impresso pectori Catholici, eumdem perfectè subitòque sanavit ab epilepsiâ, quæ sanctum episcopum per sex annos penè quotidiè solebat invadere.

secula non sciverunt, se regem Conaciæ habuisse, et quidem christianum? cur ergo ais eosdem "Conacienses non baptizatos," numquam de nomine Christi aut Christiano quicquam audivisse, antequam ipsos alloquerentur alienigenæ illi nautæ in diebus tuis, O Camber? Suadeo, ut si deinceps mentiri lubebit, aut famosos libellos bile plenos dissipare placebit, meliùs discas mentiendi artem, quâ mendacium lateat sub tegmine veri, hostilisque bilis videatur zelus honestus et veri dicendi ardor, calumnia nulla, verborumve virus, vindictæ nulla libido. Quæ cum immania, plurima, atrocia passim sese et palam prodant in tuis scriptis, sine causâ toties, tantopere tamque dolenter conquereris, illa olim, te vivente, et vidente, penè ab omnibus contempta, partim tanquam fabellas Lucianicas, vel Ovidianas, partim tanquam famosos libellos, partim tanquam scripta pestifera, partim tanquam proprias tuas et consanguineorum panegyricas orationes, partim tanquam nænias et nugas Milesias, uno verbo, quòd manifestè viderint in vestris scriptis, esse cum veris paucis mendacia plurima mixta, et cumulos multos magnorum convitiorum.

CAP. IX.

Vanæ visiones de quibus tanquam divinis se jactat Cambrensis.

INTER cæteras nostri Cambri vanitates, quarum occasione patebat contemptui hominum sui temporis, qui in illius scripta incidebant, non postremum locum videntur habere ridiculæ nonnullæ revelationes, de quibus quasi cœlestibus, deque earumdem interpretationibus a se factis, multa verba facit lib. 2, Vaticin. Hist. sive Expugnatæ Iberniæ, cap. 29, cui titulum præfigit, "Visio et visionis expositio." Pergit narrare: "unde et visionem quam semper hâc temporis miseriâ,* et crucis Christi contumeliâ, mihi miserrimo, mihi minimo, et tamen a Domino in hâc visione visitato, ille revelavit (qui interdum quæ abscondit a sapientibus, revelat parvulis) hìc evolvere, præter rem non putavi. In illâ igitur intestinâ et detestabili nimis Anglorum regis et comitis Pictaviensis, circa idem tempus (anno Christi circiter 1187) exortâ discordiâ, apud Chinonense castrum cum rege constitutus, 6 idus Maii nocte, in somnis et noctis horâ quasi circa primum galli cantum, visus sum mihi videre turbam hominum multam, in cœlum intuentem et tanquam novum aliquod admirantem. Elevans igitur oculos, et suspiciens quidnam esset, vidi inta nubium quarumdam densitatem, clarissimæ lucis splendorem erumpere, et statim separatis ab invicem nubibus, tanquam inferiore hoc cælo ibidem ex parte reserato, oculorum acie per fenestram illam ad empireum usque transparentem, in multitudine multâ, curia illa cœlestis apparuit, intentatis ei undique armorum omnium generibus, in direptionom data, et tanquam hostibus ad mactandum exposita. Videas huic, gladio caput, illi, brachium amputari, illos sagittis eminùs peti, illos lanceis cominùs, illos suis transpenetrari; et cum intuentium multi vel propter fulgorem nimium, vel propter rerum visarum, seu terrorem seu pietatem, proni in facies suas cecidissent; ad exitum rei videndum, visus

* Sermo fuit de discordiâ regum Franciæ et Angliæ, de detestabili et intestino dissidio orto inter eumdem regem Angliæ, et filium suum, hæredem Richardum Pictaviensem in Franciâ comitem, de dissensione natâ inter innumerabiles christianos illos, qui signati cruce, ad recuperandam terram sanctam destinati fuerunt cum Frederico imperatore aliisque principibus Europæ.

sum mihi singula, longè diutiùs aliis, et diligentiùs intueri. Completâ igitur in brevi quasi de aliis cunctis victoriâ, principem istum militiæ cœlestis tanquam in medio suorum cum majestate sedentem, sicut depingi solet, carnifices cruenti communiter invadunt, et umbilico tenùs a dextris illum a throno extrahentes, nudato pectore, dextrum ei latus lanceâ confodiunt, et statim vox terribilis valdè secuta est, in hunc modum: 'Woch!' 'Woch!' Pater et Filius! Woch! Woch! Spiritus Sanctus! Sed utrum desuper demissa, an a circumstanti populo prolata fuerit, hoc mihi datum est, ignorare, et sic mihi demum tam vocis hujus, quàm visionis terror experrecto, somnum excussit. Illum itaque testem cui nuda et aperta sunt omnia, quoniam me statim in strato residentem, et hæc mecum anxiè recolentem tantus per dimidiam vel ampliùs, et tam vehemens spiritûs et carnis horror invasit quòd ferè extra me factus, a mente transire et dementire timebam. Verumtamen ad unicum illud salutis humanæ refugium, promptissimâ devotione recurrens, et signo crucis creberrimo, tam frontem signans, quàm pectus muniens sequentem noctis illius partem, usque ad auroram duxi insomnem, et sic divinâ opitulante gratiâ, tandem ad me reversus, mihi demum plenâ securitate sum restitutus. Nunquam tamen ad animum, nec etiam hodierno die, absque horrore magno, potui revocare: quid enim terribilius, quàm a creaturâ conspici, ferro confodi, Creatorem? quis cœlorum cives, Deique domesticos hominumque patronos in cædem trahi videat, et turbari, non turbatus? quis, inquam, ipsum naturæ Dominum et universitatis figulum pati conspicit, et non compatitur? Quid autem hæc visio velit, et quid protendere valeat, absque præjudicio paucis absolvam. Qui olim in propriâ personâ passus est pro suis, nunc iterum pati se significat, sed in suis, et qui per crucis triumphum, ad dexteram patris ascendens, regnum suum victoriosum intravit, illi jam hostes facti, ex capite regium auferre, majestatem minuere, ecclesiam subvertere, nituntur, quam ipse sibi fuso sanguine comparavit. Ideoque, ut arbitror, non in cruce, sed in majestate apparuit hæc passio, tanquam cruce jam perditâ, et de medio sublatâ. Illam, quam in cruce sibi acquisierat, hostes ei majestatis gloriam auferre contendunt; vel potiùs in terrâ illâ sacrâ, quâ post tot, et tanta corporalis præsentiæ suæ sacramenta, demum proprio cruore consecravit, fideles sui, non in cruce nunc, sed armis et bellico certamine passi sunt. Sic suam ipse passionem istam, quam in suis quodammodo nunc sustinet, ubi in majestate patri conregnat, non in cruce noluit, sed in armis et bellico certamine declarari, sic et eodem supplicii genere, quo Romæ passurus erat Petrus, se quoque passurum in Petro testatus est, ipse dicens: 'Venio Romam iterum crucifigi.' Totam itaque cœlestem curiam cœli, per compassionem simili strage designavit, suos volens ad vindictam vel tanti doloris ostensione provocari. De voce autem illâ a barbaris incipiente, et in Latina verba descendente, quid mihi videtur, edisseram, 'Woch,

Woch,' Teutonicâ linguâ quasi geminatè dolentis interjectio est! Idem ergo sonat ac si diceretur, 'Heu, heu' Pater et Filius, 'Heu, heu' Spiritus Sanctus; seu, Whæ, Whæ (Wæ, Wæ). De juncturæ namque ratione non discutio, dummodo sententia pateat. Quod ergo, inter tot linguarum genera lugubris ille planctus a Teutonicâ linguâ cæpit, et terminatus est in Latinam, significare potest, quod præ aliis mundi nationibus, Teutonicæ tantum et Latinæ linguæ populis, eorumque principi Salvatoris nostri injuria, sicut vindictæ declarat maturatio, molesta videtur. Absit enim ut de futurâ fidelium strage, et præcipuè populorum eorumdem in hujus expeditionis aggressu passio vel planctus intelligi queat." Hucusque expositor suæ scilicet divinæ visionis, Gyraldus; qui meo sensu, manifestam fecit suam, vel in hâc unâ re, levitatem, cum ignoranti conjunctam arrogantiâ. Tantùmve, O Camber, tuæ auctoritati tribuis, tantumque de credulâ simplicitate tui lectoris confidis, ut uni tibi absque idoneis judiciis aliis asserenti, et cerebri tui visiones pro cœlestibus obtrudenti assensum accommodare debeat? Undenam, oro, tibi constare potuit, puerilem istam, quam recitâsti, et ad placitum exposuisti visionem tuam, de coelo potiùs descendisse, quàm in tuo unius somniante cerebro, natam fuisse; quid namque præ se ferant, in quo magis, divinæ visiones appareant, quàm turbati capitis divinationes? Vel in istâ tuâ visione, quid singulare cerni potest, quod in insulsâ quâque cujuslibet phantastici capitis somno occupati, cerni non possit? Quid verò inscitius, illo tuo somnii scholio multiplici, quod ne micam sive sapientiæ, sive prudentiæ continere videtur? cùm præsertim, præter te, qui tua in prætio habere soles, nemo unus cordatus sit, aut versatus, vel mediocriter in mysteriis, aut rebus religionis christianæ, vel visitationum verè divinarum, a phantasticis aut vanis discernendarum, qui non statim videat, et manibus ipsis palpet, meram esse stultitiam, quam tu cælestem, vis fuisse, visitationem ac visionem. "Woch! Woch! Pater et Filius!! Woch! Woch! Spiritus Sanctus; Heu! heu! Pater et Filius! heu! heu! Spiritus Sanctus!" Vis, credat, qui sano capite est, sine meliore aut majore probatione vocem fuisse de cœlo lapsam? et quare? et quid indicat? quid tibi explanare placuit? putas esse pueros omnes, qui te audiunt et aliud non habent agere, vel cogitare, præterquam clausis oculis, atque statim credere et assentiri? ast, cum tuis nugis et visionibus vanis et vanioribus eorumdem expositionibus, vix puero dignis, certè verò, eo qui doctus vult videri, indignis.

Et plenus fiduciâ tamen nobis narras, et ais: "visionem, quam super hâc temporis miseriâ et crucis Christi contumeliâ, mihi miserrimo, mihi minimo, et tamen a Domino in hac visione visitato, ille revelavit, qui abscondit a sapientibus, quæ revelat parvulis." Unde tibi, O bone! persuades Dominum, quando ita somniabas, visitâsse te veriùs, quàm te deceptum esse, dicendo, non inane somniantis ludibrium nocturnum fuisse, sed vocem visionemque divinam. Semi-

Teutonicam tamen et semi-Latinam? et te, oro, multâ modestiâ, mentisque altâ illâ, scilicet et christianâ demissione, æstimas recensendum, non inter sapientes a quibus abscondit sua secreta, sed inter parvulos quibus illa reserat ac revelat? Hos inter parvos Christi numerabere, Camber, quem superiùs, cap. 7 et alibi, plurimis tui oris et calami verbis, a me descriptis, demonstravi, esse sitientem propriæ laudis, vanæ gloriæ, inanis famæ, aspernantem alios, laudantem se, suosque, et sua, mordentem quos minimè debebas, minuentem ecclesiæ honorem, detrahentem cultui sanctorum, ponentem in cœlum ac cælites os tuum, maledicentem quibus malè cupis, ferentem falsa, infamia, atrocia ac plurima testimonia adversus gentem christianam Ibernorum, quos ubique criminaris, serentem et approbantem dogmata et facta superstionibus infecta; denique te statuis et vis haberi inter illos Christi parvulos, quibus Pater Cœlestis revelat mysteria? qui tamen, ut ex ore tuo, admiraris antè, gloriaris te fuisse familiarem et intimè amicum, famosissimo quondam Gualtero Mapo, cujus scripta pestifera et varia, quid aliud sonant, spirant, et loquuntur, quàm atrocia atque amarissima convitia et mendacia infamia in injuriam parvulorum Christi, hoc est, sanctorum et summorum pontificum, cardinalium, clericalis status, religiosi ordinis hominum excogitata? Quem Gualterum Mapum a Baleo aliisque hæreticis, in prætio proinde habitum, dicet tibi, si scire cupis, Jacobus Gretserus, lib. 5 suæ Apologiæ adversus Miscnum Calvinistam, cap. 3; ubi Mapum tuum amicum, O Gyralde, inter maximè insignes criminatores religiosorum ordinum, "parvulorum" Christi videlicet, recenset; nimirum inter Arnoldos de Villanovâ, Gulielmos de Sancto Amore, Desiderios Longobardos, Gyraldos de abbatis villâ, Guidones Bonatas, Gualteros, inquit, Mapos, Wiclephos, etc.: quem etiam Mapum, tu Gyralde! libris adversus religiosos editis, es imitatus egregiè, ut ostendi superiùs. Non ergo fuit unde meritò dixeris, te unum fuisse ex "parvulis" illis, quibus abscondita sua et visiones divinas, ostenderit Deus Pater. Cæterum, ut omittam pluribus, ac sigillatim, per partes refutare veritatem expositæ a te revelationis, pe se satis ridiculæ, contentus ero indicare, vel ipsa finalia verba tuæ expositionis, convincere te falsi. Ais enim: "Absit ut de futurâ fidelium strage, et præcipuè populorum eorumdem, in hujus expeditionis aggressu, passio vel planctus intelligi queat." Nam vix unus aut alter abiit, post istam tui capitis visionem a te expositam, et in vulgos sparsam, quando illorum fidelium innumerabilium, de quibus loqueris cruce signatorum, ad recuperandam terram sanctam, a Saladino Mahumetico, tunc oppressam, ac possessam, subsecuta fuit strages, passio, planctus; unà cum morte Frederici imperatoris, dispersione, cæde, fame et mille miseriis, quæ ejus immenso exercitui, aliorumque principum christianorum acciderunt, ut ex historiis passim obviis et notis constat, et præsertim ex Gulielmo Neubrigense,

lib. 4 de Rebus Anglicis, qui vixit hoc tempore et notus fuit Gyraldo Cambrensi.

Aliam in somnis sibi visus est videre noster Camber, quam refert, lib. 2, Vaticin. Hist. cap. 31, his verbis. "Accessit et incommodum majus cæteris, quod ecclesiæ Christi, in novo principatu nostro (sermo fuit de debellatâ Iberniâ armis Anglorum sub Henrico II.) nihil de novo conferentes, non tantùm principali largitione, debitoque dignam honore, non judicavimus, quin imò terris statim sublatis et possessionibus, pristinas eidem dignitates et antiqua privilegia vel mutilare contendimus vel abrogare. Cùm igitur super universis quæ nobis acciderant mecum non mediocriter anxius extiterim, et præcipuè super hâc Salvatoris injuriâ suspiriosæ mihi multoties cogitationes in animum ascenderunt; nocte quâdam in somniis, ex reliquiis forte cogitationum, visionem vidi, quam et in crastino statim venerabili Dublinensium archipræsuli Joanni Cummuno, non absque utriusque admiratione propalavi; visus enim sum mihi videre filium regis Joannem, in viridi quâdam planitie, tanquam ecclesiam fundaturum, cùmque me tantùm more, cespitem undique signando, terræ faciem linealiter aperuisse, fabricam archetypam, sensibili quodam modo circumponens, tandem corpus ecclesiæ signatione posterior aliquantulum capax; præsbyterium autem enormiter arctum apparuit et informe, tanquam laicorum in insulâ partem non modicam, cleri verò minimam efficere potuisset. Cumque satis ibidem ut videbatur, super eidem adjiciendâ tam, amplitudine majore quàm formâ digniore frustra tamen disputaverim, ipsa tandem contentionis anxietas experrecto somnum excussit." Huc usque, hoc loco Gyraldus, qui mysteria visionis istius noluit manifestare, ut manifestârat prioris e cœlo sibi factæ revelationis, in somnis, noctu, 6 idus Maii. Plenus est Camber visionibus divinis, quæ alio non laborant vitio, nisi quod nemo præter ipsum sit, qui audeat illis tanquam divinis assensum præstare, et qui non malit credere stultum fermè videri, aut certè, læsi aliquâ ex parte capitis hominem, qui divinas velit illas vocare revelationes, non magis vanas somniantis divinationes, ut non omnino ineptè similibus Gyraldo venditantibus pro cælestibus, visiones sui capitis somniantis, possit accommodari illud prophetæ, "Vident vana et divinant mendacium, dicentes! Hæc dicit Dominus, cum Dominus non dixerit: in visionem mendacem et divinationem fraudulentam, et seductionem cordis sui, prophetant vobis."

CAP. X.

Apertæ Cambrensis adulationes adversus Archiepiscopum Cantuariensem et Henricum II. regem Anglorum adhuc viventem.

In prœmio lib. 1 Itiner. ita de se loquitur Gyraldus: "quia fluxa est et momentanea hæc præsens vita, juvat saltem in futurâ memoriâ vivere et perpetuis famæ titulis laudis honore celebrari. Egregiæ namque mentis est indicium, ad illud emittendum elaborare, quo sibi invidiam in vitâ, gloriam post fata comparaverit, etc." Post istam, Cambrensis de se, deprædicationem, quâ vanæ gloriæ et inanis post fata, famæ laudisque humanæ, nimio se teneri desiderio demonstravit, (quamvis antè, ut ex verbis capite superiori ex illo descriptis, voluerit videri et recenseri inter "parvulos" illos Christi, quibus nullo vanitatis vento inflatis, Deus pater, spreto sapientium hujus seculi cœtu, revelat sua abscondita et visiones divinas,) pergit Camber: "Non itaque pulvillum sustinendo, non pulvillum supponendo, non plumam extrahendo, non pulverem etsi nullus fuerit, excutiendo, sed inter alios palpones tibi (Stephane archiepiscope) scribendo placere constitui (non pudet Gyraldum apertè fateri se palponem esse.) Tibi, vir præclarissime! vir insignis, vir virorum perpaucorum, vir in quem quicquid ferè in terris antistitem decet incomparabili gratiâ tam industria quàm natura congessit, etc.," et nonne hoc est, Gyralde! palponem apertè agere, palam, notoriè, flagranter?

Topographiam suam Ibernicam, dedicârat Camber Henrico II. Anglorum regi, anno antequam idem hominem exuerat, ut fecerat anno sal. 1187. Cùmque temporibus illis, orbi christiano satis esset notum, quàm durum et diuturnum se Henricus exhibuerit, hostem Romanæ ecclesiæ, adversarium Alexandri III. papæ piissimi, depressorem libertatis ecclesiasticæ, concitatorem schismatum, fautorem antipaparum, persecutorem cleri, turbatorem pacis tam sui, quàm aliorum regni, osorem et crudelem archiepiscopo sanctissimo Thomæ Cantuariensi (cujus mortis et martyrii rex fuit reus) universæque ejus cognationi, invasorem alieni juris et regni Iberniæ, cùm satis etiam esset notum, quàm fœdis et frequentibus rex idem urgeretur vitiis, præsertim palam per annos plurimos, violando fœdera legitimi thori, non servando fidem multis præstitam, appetitus non refrenando, impetus impotentissimos iræ, potissimum, quæ illum

sæpè in infamiam præcipitabat, ut et ex litteris multorum testium ut Blæsensis, S. Thomæ Cantuariensis et aliis describit Baronius; cogebat coram inspectante principum aut aulicorum coronâ, vestibus regiis, instar insanientis Saulis, sese, imò, veste exuere, seminudum exhibere, in terrâ sedere, paleas aut stramina præ rabie mandere, alia indecora agere, cum, inquam, temporibus illis istæ Henrici maculæ manifestæ essent principibus et provinciis Europæ, Gyraldus tamen, quem Henricus filio suo quartogenito Joanni præfecerat, pauco tempore præceptorem in grammaticis, et aliis affinibus disciplinis discendis, cum Topographiam suam offerret regi, et in illâ commemorâsset multa prælarè, ut ipse vult, gesta ab illo, in debellandâ Iberniâ, tandem texendo panegyrim, dissimulatis Henrici vitiis, ipsum in 3 distinct. Topogr. cap. 47; adeo laudibus extollit seu potiùs adulationibus, ejus gratiam ambit, ut inter alia cum ita ferè sit affatus: "Victorias vestras, tam orientales Asiæ, quàm Hispaniæ, quas ut occidentalibus continuam (id est, Ibernos expugnando) et fidem Christi egregiè dilatare, animo excelso jam conceperas, pravo atque iniquo consilio, totique fidelium orbi damnosissimo distulerunt:" vestri videlicet filii, Henricus junior, Galfridus comes Britanniæ, et Richardus dux Aquitaniæ, qui "innaturaliter et illaudabiliter conjurati in propria viscera, id est nati, in parentem arma unanimes expediverunt, et bellum tyrannissimum in regem, qui ipsos genuit, concitârunt. Tu, verò, rex victor, animum virtute registis, iramque modestiâ vincistis. Tu, Salomon alter, litteratus princeps effectus, inter universos mundi principes, tanquam lucida gemma præfulges, summisque philosophis, tam ingenii dono, diviteque venâ, quàm instructionis et eruditionis ope, in brevi coæquandus; quantâ et quàm incomparabili in terris gratiâ, desuper tamen et divinitus collatâ, discordantia regna propria, virtute, aliena, consilio et auctoritate, pacis amator et auctor pacificavistis? Qualiter eximiæ strenuitatis vestræ tantique nominis et terribilis adventûs opinio, ut fama virtutis longè minor, orbem illustrans, debacchantem tam Asiæ quam Europæ, gentilium furorem cohibuerit, et ecclesiæ Christi tranquillitatem et pacem egregiè comparaverit. Et quoniam vitiis sine, nemo nascitur; optimus ille est, qui minimis mergitur, quanto discrimine nitidissimæ famæ vestræ candoris maculæ quædam obfuscant, et tantæ tanquam inclytæ gloriæ splendorem quasi solis faciem nubila quæque pertranseunt,* qualiter etiam ab ineuntis ætatis, quasi vias vestras dirigens et aspera quæque complanans regi pacifico, fidelium populo tam futuro proficuo, ut ad votum cuncta successerint, divinus favor semper arriserit, inquam ad plenum singula quis explicabit? Planè et sic plura, cap. 50, Camber de vivente adhuc rege, quo mortuo, plenis, ut aiunt, velis illum invectivis est insecutus: verum an secùs cognoscet, qui priscas de

* Non nominat Gyraldus ullas ex his maculis, quas tamen omnes fuisse minimas et in libris, instar nubecularum, citò prætereuntium indicat.

illo rege historias legerit, præsertim quas prolixè persequitur Baronius, tom. 12, passim per annos circiter 35, id est, ab anno Christi 1154 usque ad 1189. Cæterum quòd attinet ad hyperbolicas Gyraldi, hoc loco de rege illo laudes, constat eas vix aliud esse quam adulationes veritati non subnixas. Nam quod ait, de famâ Henrici meritis longè minori, et orbem illustranti; aliter se habuit, si credendum sit gravissimis, plurimis, et oculatis testibus, allatis a Baronio, qui scriptum reliquerunt, quòd nomen regis illius, multis de causis "fetebat" apud christianos principes, et præsertim Romanam curiam, ob necem Thomæ Cantuariensis, quem ille, per septem annos antè, crudeliter persecutus fuerat, ob libertatem ecclesiasticam, et clerum iniquissimè ab eodem depressum, ob versutias, dolos, defensionem antipapæ, aliaque enormia vitia. Unde in Breviario Romano, ubi ponitur officium de S. Thomâ Cantuariense, nominatur rex ille "iniquus." Quapropter, quæ Gyraldus addit, "de excelso Henrici animo, in propagandâ per orbem fide christianâ, deque egregiè tranquillandâ ecclesiâ fidelium Christi," de amore pacis et pacificatione regnorum tam suorum quàm aliorum, etc., sunt verba vana: scilicet istud minimè verosimile apparet, scientibus vix inter christianos catholicos reges, ullum uspiam unquam extitisse, qui magis quàm Henricus oppresserit ecclesiam Christi, non in Angliâ tantùm, sed et reliquam in aliis regnis opprimere fuit minatus, et per legatos juraverit, id significare Alexandro III. papæ, qui (Henricus) contemptim compellabat, et ipsum, et cardinales, ab eodem missos; et excommunicationes" inquit Henricus, "vestras tanti facio, quanti unum ovum," et "per oculos Dei ego faciam aliud;" videlicet, in despectum Alexandri, etc. Quæ verò adjungit cæteris suis, Gyraldus, adulationibus de "Henrico victore sui, qui animum virtute vincere solitus erat, et iram modestiâ, etc," credat qui credere renuit, imprimis Baronio ad annum sal. 1163, testantis in hæc verba: "plus æquo et quasi feraliter emotâ mente rex ipsâ iracundiæ passione promoveri et in transversum agi consuevit," deinde, Petro Blesensi, quo Henricus utebatur amanuense, et quem rex carissimum semper habebat. Ex quo Blesense, Baronius vel istud unum invidiæ simul et iracundiæ regiæ exemplum descripsit, dicens: "Die quadam adeo ægrè tulit (Henricus) audire laudes regis Scotiæ, ut laudantem non solùm proditorem publicè appellarit, sed et solito furore succensus, pileum de capite projecit, baltheum discinxit, pallium et vestes, quibus erat indutus, longiùs abjecit, stratum sericum, quod erat supra lectum, manu propriâ removit, et quasi in sterquilinio sedens, straminis cœpit masticare festucas." De nitidissimæ famæ Henrici candore, de splendore quasi solari inclytæ illius gloriæ, de divino favore semper arridente, et ad cuncta regis vota succedente, de eodem rege pacifico, et toti fidelium populo, proficuo, et in omnibus viis ab ineunte ætate a Deo singulariter directo, de eodem rege, altero in sapientiâ Salomone, inter universos mundi

principes, tanquam lucida gemma præfulgente, de aliis eximiis et incomparabilibus ejusdem regis virtutibus, adeo adulatione deprædicatis a Cambro, qui ab illo offam aulicam avidiùs expectabat, non habeo, quod hoc capite respondeam (nam alio pleniùs dicam) nisi quæ de virtutibus et candore castitatis conjugalis ejusdem regis, refert Anglorum historicus Polydorus Virgil, lib. 13, in hæc verba: "Fuit in eo nimia mulierositas, id est, amor mulierum, (ut in Salomone) nam non contentus uxore, multas feminas dilexit, et in primis Rosamundam Cliffordiam, in cujus gratiam, quòd esset dum viveret plena succi et venustatis, ædificarat Henricus domum instar labyrinthi, "ne ab uxore, pellex deprehendi posset." Et Gulielmus Camdenus Anglus, in suâ Corographiâ Britanniæ, titulo "Dobuni," sive, "Oxfordshire," pagin. 286 et 287, impressionis Francfurtensis, anni 1590, ita idem narrat: "referunt historici nostri, Henricum II. cum Rosamundam Cliffordiam deperiret, quæ formâ adeo eximiâ et liberali erat, ut ejus pulchritudo omnes ex principis animo deleret mulieres, et jam "rosa mundi" vulgò diceretur, ad eam ab importunâ Junone suâ occultandam, labyrinthum multis ambagibus, occursu recursuque inexplicabili inædificâsse." Epitaphium istius "Rosimundæ," sive Rosamundæ, hoc disticho lego, apud Rogerum Hovedenum, Polydorum, et Camdenum, fuisse marmori insculptum, jubente Joanne Anglorum rege et filio Henrici II.

"Hâc jacet in tumbâ, rosa mundi, non rosa munda,
Non redolet, sed olet, quæ redolere solet.

Hæccine pars fuerat splendentis famæ et fœtentis infamiæ, regis adulteri, cui Camber viventi adulari solitus erat!

Sed et Polydorus referens, acceptam de Henrico historiam, ait illum "duxisse originem a feminâ veneficâ, maleficâ, quæ cum tandem coacta esset venerari eucharistiam, subitò, ex templo, per fenestram, a conspectu hominum evolâsse, nec comparuisse unquam, unde et divus Bernardus Clarevallensis sermonem de Henrico audiens, prædixit futurum (ut eventus, satis lugubri et exsecrando exemplo ostenderat orbi), ut ipse, cum filiis (quatuor) et filii inter se perpetuò digladiarentur." Hæc et his plura Polydorus, quæ num consentiant cum Cambri adulationibus, facilè constat!

CAP. XI.

Camber valdè vituperat vitâ functos principes, quos vivos valdè laudarat.

Notum est, Henricum II. Anglorum regem olim fuisse ex potentioribus Europæ principibus, si potentiam ex terrarum spatiis, multitudine urbium, frequentiâ populorum, divitiis, aliisque innumeris regnorum commodis humanis metiri placet. Nam sub imperio tenebat Iberniam universam, cum Cambriâ sive Walliâ, Angliam, et in Galliâ ducatum Normaniæ, comitatum Britanniæ Minoris, comitatum Pictaviensem, ducatum Andegavensem, ducatum Aquitaniæ, denique, quicquid est terrarum a finibus regni Scotiæ in Britanniâ Majore, usque ad Galliam, et a terminis aquilonaribus Galliarum versus mare Britannicum, usque ad montes Pyrenæos Hispaniarum. Id tantùm temporali potentiæ ac felicitati tanti principis defuerat, quòd partim ex meritis, partim justo Dei judicio permittente, non populos solummodo ditionum suarum, sed et tres quatuorve quos habuit legitimos filios, Henricum hæredem natu majorem, Galfridum comitem Britanniæ Gallicanæ, Richardum comitem Pictaviensem et Ducem Aquitaniæ, plurimis annis, etiam usque ad extremum spiritum pater expertus erat capitales hostes. Qui sæpius conjurati et conjurantes, coacto ingenti exercitu, bellum indicabant parenti regi, quem aliquoties in fugam veterunt, non raró obsidione cinxerunt, in acie, cæsis regiis in maximo numero, fugientem patrem, stipati agminibus militaribus stricto ferro insecuti, penè comprehenderunt, ut capiti diadema regni cum honore detraherent. Verùm etsi quatuor filii in patrem impiè concordes conspirârint, inter ipsos tamen tres fratres ferè semper impia vigebat discordia, quam auxerat quarti fratris Joannis natu minimi machinatio dolosa in Richardum fratrem,* quem, jam vitâ functo patre, absentem et profectum cum fortissimâ manu militum ad recuperandam atque extorquendam terram sanctam e manibus sævissimi tyranni et christiani nominis hostis, Saladini, interea ingratus atque impius Joannes, arte et marte tentabat privare regno, regioque, quo jam gaudebat, nomine; sed frustra tentavit illo tempore. Etiamsi paucis post annis Richardo,

* Qui adhuc vivente patre hæres designatus erat, miserè ante mortuis primogenito Henrico et secundo genito Galfrido.

infeliciter occiso a quodam gregario milite, successerit in toto imperio paterno,* quod infaustè et maximo detrimento, tum suæ famæ, tum pacis publicæ (nam nobiles, tyrannidem, moresque Joannis pessimos pertæsi, arma animosque in ipsum sumpserunt), tum etiam, et amissione terrarum, urbiumque nobilissimarum in Galliâ, tenuerat per octodecem circiter annos; quibus exactis, cum gaudio Anglorum, miserè mortuus est. Inde verò potissimùm videtur cæpisse infelicitas ista patris, conspiratio filiorum in ipsum, fratorum inter se dissensio. Nimirum Henricus rex, in principio sui principatûs, tanquam optimus filius, reverentiam exhibebat matri suæ ecclesiæ Romanæ, et ut ovis mitis, ac malitiæ expers, suum legitimum sequebatur, agnoscebatque pastorem, pontificem Romanum. Sed quinque aut sex circiter annis transactis, novis cœpit studere rebus, atque legitimè, ut summum pontificem, Alexandrum III. noluit agnoscere; sed juravit obedientiam antipapæ Octaviano, quem excommunicatus imperator Germaniæ, Henricus, foverat adversus Alexandrum. Cæterùm, rex Angliæ, facti pœnitens, agnovit ut pastorem suum Alexandrum, sed altero anno leviter rediit, et se subjecit antipapæ priori. Rursus ab isto descivit, et reversus est ad Alexandrum, a quo de novo deficiens, in gratiam excommunicati imperatoris (qui, mortuo antipapâ Octaviano, substituerat antipapam novum Guidonem Cremensem) transit ad partes novi antipapæ. Iterum deserens antipapam, submittit se Alexandro, cui tamen paulò post severas intentat minas, semel et secundo, se nimirum recessurum ab obedientiâ Alexandri, nisi sibi in manus tradat exulem Thomam Cantuariensem,† confirmans minas juramento sibi, ut Baronius ait, solito, inquiens: "Per oculos Dei, ego faciam illud," id est, in despectum Alexandri, qui Henrico, ni desisteret a persequendo S. Thomâ, minabatur excommunicationem. Rex verò respondebat legatis cardinalibus ab Alexandro missis: "Ego neque vos neque vestras excommunicationes appretior, aut tanti facio, quanti unum ovum." Sed de novo iterum, circa annum sal. 1170, rex ambit gratiam Alexandri, et se submittit, paulò post accidit martyrium S. Thomæ, et invadit Henricus Iberniam insulam, quæ ad speciale jus et patrimonium Romanæ ecclesiæ pertinebat. Et quamvis Henricus triennio fere, post mortem martyris, visus fuerit edidisse magna humilitatis et pœnitentiæ, signa, nudis pedibus, veste plebeiâ, jejunans et lacrymis ora rigans accessit ad sepulchrum S. Thomæ, quem intercessorem fuerat deprecatus apud Deum, nihilominùs, postea

* Iniquè a Joanne sublato Arturo, legitimo hærede, et unigenito Galfridi, qui fuit secundogenitus Henrici II. regis.

† Quem per septennium et usque ad mortem, iniquissimè Henricus persequebatur, simul et sacrilegè violabat jura libertatis ecclesiæ. in Angliâ, et alibi, et omnes ad unum, episcopos Angliæ, unico excepto S. Thomâ Cantuariense, ad idem sacrilegium admittendum, et ad semina schismatis manifesti jacienda pertraxit, partim pœnis, partim precibus importunis, partim præmiis propositis et promissis.

non omnino destiterat rex a vexandis ecclesiasticis tum in Angliâ, tum alibi; et inter alios vexabat S. Laurentium, archiepiscopum Dubliniensem in Iberniâ: et cardinales, aliosque episcopos, per Angliam transeuntes aut adventantes, non sinebat liberè, ut in aliis catholicorum regnis moris erat, transire, absque, nescio quod, cautelis, assecurationibus, juramentis præstandis, etc. Plurima alia, præter ista quæ jam retulimus, recenset Baronius et alii gravia crimina hujus regis. Et miramur Deum permisisse, ut in Henricum regem patrem insurgant, durumque ac diuturnum moveant bellum, filii rebelles, cùm idem Henricus, ecclesiæ filius, gravissimam, adversus eamdem suam matrem, moverit seditionem; et ut ingratus proles adeo contumaciter toties atque irreverenter sese gesserit in suum et cœterorum christianorum in terris, supremum pastorem et patrem, Romanum pontificem, rebellando ipsi, et instar transfugæ, transeundo toties ad castra antipaparum, qui a capite et a fundamentis, ecclesiam Christi evertere nitebantur.

Et quid mirum, si præ dolore diem suum obierit in acie, Henricus, obsessus a duobus suis filiis Richardo et Joanne, (ut narrat Neubrigensis, qui tunc vivebat) cùm idem Henricus sæpiùs minitatus fuerit ecclesiæ, suæ matri, et patri suo spirituali Alexandro III. penè ruinam diemque extremam? Diadema et coronam capiti Henrici detrahere conabantur filii, qui patri suo papæ Alexandro minatus fuit auferre honorem et coronam pontificiam, eamque imponere sacrilegis duorum apostatarum, Octaviani, et Guidonis, capitibus. Sævierat gladius Henrici in Beatum Thomam archiepiscopum, primatem, et patrem universæ Angliæ; et bonis, et honore, et sedibus patriis exuerat sancti martyris consanguineos omnes, etiam infantes in cunis vagientes, et miramur Deum vindicem scelerum permisisse, ut gladius natorum regis sævierit usque ad mortem in viscera ejusdem? et miramur regis prolem ingloriosè miseram obiisse mortem, unà cum infelicissimo parente? Quem, Rogerus in Annal. ad annum sal. 1189 ait, obiisse feriâ 5 quæ incidit in octavam apostolorum Petri et Pauli. Sed paulò "ante obitum, maledixit diei in quâ natus fuit, et maledictionem Dei, et suam dedit filiis suis,* quam maledictionem, nunquam, vel moriens, relaxare voluit," licèt episcopi et cæteri viri religiosi illum ad relaxandum sæpiùs commovissent, sed tamen confessus est peccata, et ab episcopis et clero absolutus, et sacrâ communione perceptâ, obiit, sexagesimo-primo ætatis, quinquedequadragesimo autem regni sui anno.

Sed quorsum ista tam prolixè narrata? quorsum hoc loco? aut quid ista ad nostrum Gyraldum, cujus errata potissimùm, non aliorum notare instituimus? Multùm faciunt ad finem sani scriptoris, et

* Richardo et Joanni, qui paucis antè diebus conspirârant in caput patris, et regi Francorum hosti sùo adhæserunt, et armis de eodem patre suo tentârunt triumphare.

ad auctoritatem Gyraldo (quem nonnulli immeritò magni faciunt) adimendam. Quis testem fidum, non potiùs adulatorem arbitreretur illum, qui palam et passim, notæ impietatis principes Henricum II. Ricardum successorem, et Joannem dum viverent summis laudibus coram efferebat, vitâ verò functos, non laudibus sed vituperationibus exagitabat? Iste est Gyraldus, qui viventes illos reges, laudibus delinire fuit conatus, ut ipsorum non gratiam tantùm aucuparetur, sed et largem liberalitatem, lucrumque temporale ingens sibi ab illis conferendum experiretur, de quibus, cùm cerneret se suâ spe delusum, et libros quos illis dedicarât, eo quòd multas nugas et aperta mendacia continerent, contemptos,* veritatem quam vel metus, vel expectatio, dum illi adhuc viverent, suppresserat, metu post ipsorum mortem excusso, multa de eorumdem vitiis in vulgus sparserat, præsertim cum intelligeret, reges illos parum caros fuisse vulgo, aliisque quos multum oppresserant.

Sed satius videtur, si ex ipso Gyraldo, ne ipsi injuriam inferre videamur, rem uti narrare cœpimus, ita se habere comprobemus.

In procmio secundæ editionis sive correctioris Topographiæ, ad Joannem regem ita infit: "Ibernicam Topographiam, de mirabilibus Iberniæ scilicet et situ ejusdem, librum edidi, et in patris tui laudem triennii labore digessi, cui utpote principi litterarum conspicuo eruditione, ad ipsius postmodum instantiam super Expugnatione regni ejusdem hâc ultimâ per ipsum, et suos factâ, iterato quidem et ferè continuato labore. Sed nec isto, nec illo, quia probitas laudatur et alget (laudat se Camber!) remunerato, librum emisi." Et in prœmio Itinerarii Stephanum Cantuariensem archiepiscopum, aliquot post Joannis regis mortem, ita loquitur: "Inter tot hominum species, quoniam trahit sua quemque voluptas, et variis vexantur pectora votis, me quidem scribendi studium eligere posteritatis cura coegit. Et quia momentanea et fluxa est præsens hæc vita, juvat saltem in futuro memoriâ vivere, et perpetuis famæ titulis laudis honore celebrari. Egregiæ namque mentis indicium est, ad illud emittendum elaborare, quo sibi invidiam in vitâ, gloriam post fata comparaverit. Perpetuum est itaque quod auctores, quodque poetæ principaliter affectant, temporale commodum si forte accesserit, non recusantes. Sed quia principibus parum litteratis, et multùm occupatis, Ibernicam, Anglorum regi Henrico II. Topographiam,† ejus denique filio, et utinam non vitiorum succedaneo Pictaviensium

* Nam primam, ut ipse fatetur, editionem suæ Topographiæ Iberniæ, regi Henricq II.; Vaticinalem Historiam sive Expugnationem Iberniæ, Richardo filio; secundam, verò Topographiæ et Vaticinalis correctiorem editionem Joanni regi, dedicaverat.

† Et tamen antè dicebas, Henricum fuisse litterarum eruditione conspicuum, et alibi aiebas, ipsum Salomonem alterum, litteratum principem, inter universos mundi principes tanquam lucidam gemmam præfulgentem, summisque philosophis tam ingenii dote diviteque venâ, quàm instructionis et eruditionis ope in brevi, coequandum, etc.

Comiti Richardo Vaticinalem Historiam, vacuo quondam quoad accessorium illud et infructuoso labore peregi." Sed in proemio lib. 1 Vaticin. Richardum ais, non successorem fuisse vitiorum, sed gloriæ terrarum, virtutum, ac victoriarum parentis hæredem, et 3 distinct. Topogr. cap. 50, vocas illum Cæsarem secundum; generosum leonem nostrum et plusquam leonem, qui leonino more, febri quartanâ trementem, non trepidat, sed sui tempore mundum universam tremere faciat et timere, cujus inter varias, quibus præeminet, virtutes, peculiari quâdam prærogativâ, tria hunc insignia incomparabiliter reddunt illustrem, strenuitas et animositas eximia, largitas et dapsilitas immensa, superlaudabilis in principe, cæterasque virtutes, adornans tam animi quàm verbi constantiâ firmâ. Justitiâ præterea conspicuus, malorum malleus," etc.

De quo rege Richardo jam mortuo ejusque vitiis, pergit Gyraldus recensere, lib. 1 Itinerarii, cap. 3 dicens: "Cum inter cæteros vir ille sanctus (nomine Fulco, natione Gallus, miraculorum patrator, concionator egregius, qui regem Richardum arguebat ob scelera) regi dixisset: Tres filias habetis, quæ quamdiu penes vos fuerint, nunquam Dei gratiam habere poteritis, superbiam scilicet, luxuriam, et cupiditatem. Cui rex, post modicam pausationem, jam inquit, 'Maritavi filias istas, et nuptui dedi; Templariis superbiam, Nigris Monachis (Benedictinis) luxuriam, et Albis (ordinis S. Bernardi) cupiditatem.' Cæterum vera ista regis vitia, et ejusdem contumeliosum erga religiosorum ordines convitium, paulo verbis aliter refert Rogerius Hovendenus in suis Annal. ad annum sal. 1198, dicens: "Prædictus Fulco sanctus, quodam die accessit ad Richardum regem Angliæ, et ait illi: dico tibi, O rex, ex parte omnipotentis Dei, ut tres filias tuas, quas habes, pessimas, citiùs marites, ne aliquid deterius tibi contingat. Cui rex. 'Hypocrita! mentitus es in caput tuum, quia filiam non habeo ullam.' 'Certè non mentior, quia ut dixi, tres habes filias pessimas, quarum una est superbia; altera, cupiditas; tertia, luxuria.' Convocatis igitur ad se comitibus et baronibus multis qui aderant, ait rex, 'Audite, universi, commonitionem hujus hypocritæ, qui dicit me habere tres filias pessimas, videlicet superbiam, cupiditatem, et luxuriam, et præcipit, ut eas maritem! Do igitur superbiam meam superbis Templariis, et cupiditatem meam Monachis de ordine Cisterciensi, et luxuriam meam prælatis ecclesiarum."

Hæc Rogerius, qui vidit Richardum regem, et vixit cum Gyraldo, quem ut ex ipso descripsimus, constat spe lucri laudâsse Richardum viventem, sed mortuum a quo nihil expectabat, vulgatis passim eo tempore ipsius vitiis, vituperâsse, quamvis multò pluribus, quàm recenseat Gyraldus, fuerit idem Richardus rex, vitiis notatus; quorum alia referunt alii historici, alia ex fide dignis Baronius fusè, tom. 12, præsertim ad annum sal. 1189 et 1190, ubi illum appellat, "adulterum, oppressorem pauperum," gravem sibi subjecto populo,

tributorum "exactorem, avarum, vexatorem episcoporum," maximè S. Hugonis et alterius, in quos manus injici jussit, quòd restiterint iniquis mandatis regiis. Tandem, infeliciter idem Richardus rex, Leo cognominatus, ab imbelli milite, Bertranno de Gurdun, lethaliter læsus in obsidione Calaci in Galliâ; qui de vitâ desperans, inprimis privavit jure regni, legitimo hærede Arturo puero unigenito Galfridi, (qui Richardo erat natu major frater,) illudque testamento reliquerat suo minimo fratri Joanni, qui postea ne Arturum cogeretur experiri adversarium aut aspirantem ad recuperandum regnum iniquè sibi ablatum, puerum necari jussit. Deinde Richardus, paulo ante mortem, heroicum factum fecerat. Captum Bertrannum suum percussorem, jussit coram se sisti, quem præsentem allocutus: "quid mali," inquit, "tibi feci, quod me ita interemeris?" Cui intrepidè Bertrannus: "Tu interemisti patrem meum et fratres duos manu tuâ, et me etiam tu nunc in obsidione interimere voluisti. Sume igitur de me vindictam quamcumque volueris, libenter enim patiar quæcumque excogitaveris maxima tormenta, dummodo tu moriaris et pereas qui tot tantaque mala intulisti mundo." Tum præcepit eum rex solvi,* et dixit ei: "Remitto tibi mortem meam," et laxatis vinculis liber abire permissus est, donatis insuper ipsi centum solidis Anglicanæ monetæ. Cæterum Marcadeus, (dux exercitûs Richardi) rege inscio, manus in Bertramnum abeuntem injecit, quem rege mortuo suspendit. Obiit autem rex 8 idus Apr. feriâ tertia ante Dominicam in Ramis palmarum, anno sal. 1199." Hæc ex Rogerio, qui inter alia epitaphia regis, recitat istud cujusdam:—

"Istius in morte perimit formica leonem
Dolor in tanto funere mundus abit."

et aliud alterius:—

"Virus, avaritia, scelus, enormisque libido,
Fœda fames, atroxque elatio, cæca cupido,
Annis regnârunt bis quinis, arcubalista arte,
Manu telo prostravit viribus ista."

Nam Bertrannus sagittâ regem vulneravit.

Sed redeo ad Gyraldum, quem audiamus acerbè vituperantem (quamvis non omnino falsò) vitæ functum Henricum II. regem, cui viventi ut antè vidimus, valdè fuerat adulatus idem Gyraldus, qui bonum bolum, ut aiunt, ab illo diu frustra dari sibi sperârat. Noverat Camber Richardum, jam creatum comitem Pictaviensem, ducem Normannorum et Aquitaniæ, fuisse suo patri Henrico infensissimum. Primam editionem suæ Vaticinalis Historiæ, sive de Expugnatione Iberniæ factâ per Henricum et suos, dedicavit Gyraldus Richardo non multis diebus ante Henrici mortem. Secundam autem editionem auctiorem et magis, ut ille ait, correctam, Joanni regi, (qui

* Nam percussorem ante reservari mandârat Richardus ad immania tormenta, mortemque turpissimam, si convalescere sperâsset, ut refert Rogerius.

Richardo successerat) obtulit, ab eo frustra petens, ut juberet illum verti in linguam Gallicam. Et quoniam Henrico patri infensus erat etiam et Joannes, (qui vix decem diebus ante parentis mortem, cum hostibus ejusdem conspirârat) in illâ Vaticinali Historiâ parciùs meminit Gyraldus de virtutibus personalibus Henrici, uberiùs verò de vitiis ejusdem mentionem facit, præsertim autem lib. 1, Vaticin. Hist. cap. 20, ubi scelus exsecrandum illud exaggerat, "de septennali exilio et persecutione S. Thomæ Cantuariensis, deque proscriptione omnium qui erant illi sanguine juncti, adeo ut neque sexui neque ætati parcitum fuerit ab Henrico." Et cap. 45, hæc ejus vitia enumerat: "amissos in acie plus principe plangens, et humanior extincto militi, quàm superstiti, longè majore dolore mortuos lugens, quàm vivos amore demulcens, urgentibus incommodis nemo benignior, resumptâ securitate nemo rigidior, durus in domesticos, effusus in extraneos. Quem semel exosum habebat, vix in amorem; quem semel amabat, vix in odium revocabat. Utinam tam devotioni deditus esset, quàm venationi. Publicus legitimi fœderis violator, naturali quâdam inconstantiâ, verbi plerumque spontaneus transgressor. Nam quoties res in arctum devenerat, de dicto malens quàm de facto pœnitere, verbumque faciliùs quàm factum irritum habere. Non absque suorum enormi gravamine morosus, ad cuncta responsor. Magnos Giezi (id est, Simoniacos) tam regno quàm sacerdotio reliquit hæredes. Detestandis in ea quæ Dei sunt usurpationibus multa præsumens, zeloque justitiæ, sed non ex scientiâ, regni, sacerdotiique jura conjungens vel confundens potiùs, et omnia solus existens. Ecclesiæ filius et ab illâ sceptri nactus honorem, sacramentalis delibutionis vel immemor, vel dissimulator acceptæ. Sacræ vix horam hostiæ mittendæ, divinis accommodans, et id ipsum temporis, ob regni (fortè) negotia tanta, reiquepublicæ causâ, plus consiliis et sermone, quàm devotion: consumens; vacantium proventus ecclesiarum, in ærarium fiscale mittens, et modico fermenti massa corrupta, dum aufert fiscus, quod sibi vindicat Christus; novis semper emergentibus incommodis et guerris maximis, thesauros universos profundebat, dans impio militi quæ dari debuerant sacerdoti. Legitimæ prolis pueritiam, naturali affectu plus quàm pater amplectens, provectiores ejusdem annos plusquam vitricus obliquè respiciens. Et quemquam filios tam habens, quàm illustres, magno tamen absolutæ felicitatis impedimento forsan ex meritis, semper odio persequens successores.* Et quoniam humana prosperitas sicut nec perpetua, sic nescit esse perfecta, exquisitâ quâdam fortunâ malitiæ, unde habere debuerat gaudium inde gladium, unde securitatem inde securim, unde pacem inde pestem, unde fortitudinem inde ingratitudinem, unde quietem et tranquillitatem summâ

* Meminerit lector ista scripsisse Gyraldum ad Richardum et Joannem, quibus ut non placebat Henricus pater, ita neque audire multa bona de ipso.

cum inquietudine suscipiens turbationem. Unde vel aliquo maritalis copulæ vinculo,* vel parentum criminis cujuslibet vindictâ, videtur accidere, quodnec patris in filios, nec filiorum in parentem, nec fratrum inter se fuerit vera concordia. Hæc aliaque Gyraldus in illo cap. 45, et lib. 1 Vaticin. Hist. cap. 39: "Filii ipsius tres, primævus scilicet Henricus, Galfridus, et Richardus, contra ipsum in quadragesimâ sequente (id est, anno salutis 1173, qui fuit primus ab Iberniâ per illum injustè expugnatâ, et secundus a morte martyris S. Thomæ Cantuariensis) ad regem Francorum, hostem Henrici II. discesserunt; unde tanta est ei (regi Anglorum) orta inquietatis, quantum antea nunquam habuerat; et quæ semper ei usque ad extremum spiritûs halitum (qui contigit anno 1189, 6 Julii,) per aliquem filiorum ferè incessanter perdurâsset; exquisitâ namque Dei vindictâ sicut credi potest, qualem se filium patri spirituali (S. Thomæ Cantuariensi et Alexando III. papæ) exhibuerat, tales erga se quos genuerat filios carnales invenit." Idem Gyraldus, lib. 1 Itiner. cap. 3, recenset inhumanam et infamem cædem multorum nobilium, qui proditorio more fuerunt unâ nocte necati, jussu, ut postea fuerat patefactum Henrici II, qui non juris ordine, illos quos sistere sese judicio non jusserat, sed ardore vindictæ mactare volebat. Tandem concludit eodem loco Gyraldus, dicens, prædicto de rege (Henrico) qui proditioni assensum præbuit et præceptum fecit, "qualiter ob hæc et alia multa enormis vitæ delicta, sicut in libro de Principis Instructione, Deo duce propalabimus, ad ampliorem ignominiæ cumulum in terris pœnas inchoavit, confusione plenus et ærumnâ, ut finis ejusdem declaravit. In quæ verba Gyraldi quidam ejus scholiastes recens, David Povellus, natione Camber, religione Calvinista, qui se sacræ theologiæ professorem appellat, hoc scholion adjecit, "Videtur Gyraldus parum candidè de Henrico rege sentire, etc. In libro illo de Principis Instructione, acerbè admodum in Henricum II. regem invehitur, ubi suæ in illum malevolentiæ virus ita evomit, ut suum inveteratum odium satis manifeste prodat." Alludit Povellus ad insitum a duodecem ferè seculis odium Cambrorum sive Britonum veterum adversus Anglorum universam nationem, nam ista fuit quæ olim amicè invitata a Britonibus (ut ipsis subsidio essent adversus crudelitatem et quotidianas vastationes barbararum, ferarum, et eo tempore ethnicarum gentium Pictorum et Scotorum) venerunt e Germaniâ non ad inhabitandam, sed ad defendendam Britanniam, quam paulo tamen post, dolo sibi subjugârunt, partim cæsis, partim in perpetuum exilium, pulsis indigenis, partim in servitutem redactis, quam in hodiernum usque diem serviunt. Sed pergit Gyraldus, lib. 1, Itinerarii cap. 5, et lib. 1 Vaticin. Hist. cap. 39, ita narrare de Henrico II. "multas alias præmonitiones et casti-

* Nam Henricus uxorem habuit Eleonoram, quæ ante fecerat divortium cum rege Franciæ, quocum multis vixerat annis.

gationes rex ille, divinâ miseratione,* quæ magis conversionem peccatorum appetit quàm eversionem, circa eadem tempora et fini (id est, mortis regis viciniora) propinquiora suscepit; quas tamen omnes, animo obstinato et corde indurato, incorrigibilis animo contempsit, sicut in libro de Principis Instructione pleniùs ostenditur." In ejus libri præfatione ita scribit inter multa. "Ad curiam a studio peccatis exigentibus a rege (Henrico II. vocatus, cui nihil minùs menti quàm non mentiri, nihil desiderio magis quàm decipere, quàm differre, quàm sequentium animos et obsequentium dilationibus cruciare) circa eumdem ejusdemque defuncti filium (Joannem) atque hæredem et utinam non vitiorum, irreparabili damno duo ferè lustra consumens, nihil ab illis præter inanes vexationes, et vacua veris promissa suscepi. Si quid enim gratiæ, morum gravitas, si quid litteræ, si quid industria conferre potuit, totum id suspectum, totum infestum, totum exosum Walliæ nomen (id est Cambriæ in Britanniâ) ademit. Tres enim naturæ partes, quamquam ab Anglis et Normannis lineâ contraxerim, totamque præterea rationem convictûs, a quo mores formantur, vim, partem, et proprietatem, longam quoque commorandi consuetudinem, quæ et alteram sibi naturam comparare solet, ex quartâ tamen parentalis propagationis columnâ, et post tertiam, primâ tanquam genialis quadrigæ rota a Trojanâ nobilitate contractâ, totum infici, et modico quasi fermento massam corrumpi; semperque in elationem gens inimica conjectat. Unde et quoniam inter Anglos nostra tam morum institutio fuerat quàm conversatio, in Cambriâ vero natio reperta est et cognatio, compactum est ex his et confectum ut uterque populus me sibi tanquam alienum reputans, et non suum, semper respexit oculo novercali; alter ob hoc suspectum habens, alter exosum. Accessit et aliud inter incommoda, quod si quid a nobis egregiè dictum vel gestum fuerit, statim quoad licuit, aut illud invidia depressit, aut malitia pervertendo corrupit, in hujusmodi plerumque verba prorumpens: a Cambriâ potest ne aliquid boni esse! sin autem humanis, ut mos est excessibus, aut pes a lineâ quandoque titubare, a litterâ vel syllabâ cadere lingua videbatur, in mediis quoque et indifferentibus nec laude dignis, nec vituperio, statim hostilis irrisio, cum exclamatione, Cambriæ vitium exprobravit, tanquam patriæ cognata fuerit enormitas et innata," etc. Ex omnibus in hoc capite descriptis, apparet Gyraldum neque placuisse quibus maximè cupiebat regibus, neque populo, quem variis editis libris in sui laudem et gloriam allicere studebat, neque illum fuisse immunem a notâ adulationis, laudando vivos quos mortuos mordebat, neque illum regibus aliisque dedicâsse libros, nisi spe laudis et lucri, quo utroque fraudatus fuit, ut ex lamentationibus ipsius

* Sermo fuit de divino viso, quodam, regi facto, deque rebellione filiorum ipsius nimirum, quando Henricus junior, Galfridus, Richardus arma unanimes sumpserunt et apertum bellum moverunt in patrem.

et crebris hâc de re expostulationibus, nunc ad Joannem regem, nunc ad Stephanum Cantuariensem archiepiscopum, nunc ad alios, satis liquidò cognosci potest. Sed hic istud caput claudo, et de vitiis monstrosis aliis atque multis regum illorum, Henrici II. et Joannis, si quis capiat scire, adeat partim Baronium de Henrico, partim de utroque, Neubrigensem, Polydorum Virgilium, qui inter alia, flagitium fœdissimum illud recenset de Adelâ filiâ, regis Francorum, puella quam Henricus impetrârat sponsam pro filio suo Richardo, quam post sponsalia, ante matrimonium, idem Henricus senex, vivente propriâ conjuge, blanditiis regiis tandem flexam constuprârat, interea inscio Richardo, qui a patre petierat ut sponsam in conjugem jam (quia tempus idoneum videbatur) sibi per matrimonium conjungi pateretur. Sed pater de die in diem differebat postulata, eoque fine, ut occasionem captaret faciendi divortium cum Eleonorâ propriâ conjuge, (ex quâ sex legitimos susceperat liberos et duas filias) ut iniret conjugium cum Adelâ, et si ex ipsâ susceperat prolem, exhæredaret quotquot ex Eleonora genuerat, inter quos erat et Richardus, qui inde, ut putatur, acceptâ ansâ, furere cœpit in patrem, et postremam aut penultimam adversus illum rebellionem, arreptis armis, et indicto bello, movere. Denique si credimus Neubrigensi oculato testi, ut ipse refert lib. 3, cap. 26, Henricus talis fuit qui in diebus suis fere omnibus invisus atque ingratus extitit; Joannis autem regis tales fuerunt mores, studia, scelera, ut Anglia in ejus morte exultârit, teste Polydoro.

CAP. XII.

Falli Cambrensem cùm ait, tres illos Iberniæ præcipuos sanctos, Patritium, Columbam, et Brigidam Virginem fuisse synchronos. Falli alios circa locum sepulturæ et patriæ eorumdem Sanctorum.

GYRALDUS, lib. 2, Vaticin. Hist. cap. 31, dicit se fuisse, "naturalis historiæ diligentem perscrutatorem, qui per biennium in Iberniâ moram faciens, tanquam pretium laboris et præmium tam libri Vaticinalis quàm Topographiæ, secum reversus in Angliàm reportavit, ubi postmodum inter ipsas Curiæ curas, quinquennali studio digerens et disponens, Topographiam triennio, Vaticinalem Historiam biennii labore, complevit; posteris," inquit, "lectionem, præsentibus livorem; illis delectationem, istis detrectationem; illis beneficium, istis odium præstans." Et in proëmio secundæ distinct. Topogr. inquit: "ita me Dii amabilem præstent, ut nihil in libello opposuerim, cujus veritatem, vel oculatâ fide, vel probatissimorum et authenticorum comprovincialium virorum testimonio, cum summâ diligentiâ non elicuerim." Oculatam tuam fidem, O Camber, de Ibernis tanti facis quanti debeo eorum qui plerumque vident sinistro oculo, eoque ophtalmiâ aliâve nube nonnihil obtecto, ut satis demonstravi superiùs et pleniùs, præstabo inferiùs. Summam tuam diligentiam historicam te decepisse, et parum illi a lectore diligente, verique cùm rerum tum historiarum priscarum præsertim Ibernicarum amante, tribuendum, incipio hoc capite demonstrare ab errore tuo chronologico, non tanti momenti tamen, quanti ostendam in reliquis capitibus esse alios tuos majores in rebus magni momenti errores. Sed scribis in tertiâ distinct. tuæ Topogr. cap. 18: "Fuerunt autem contemporanei Patritii S. Columba, et S. Brigida, et apud Ultoniam (provincia est una ex pluribus Iberniæ) in civitate Dunensi ipsorum corpora sunt recondita, ubi et his nostris temporibus, anno scilicet quo dominus Comes Joannes (filius Henrici II. regis Anglorum) primò in Iberniam venit, (qui fuit Christi 1185,) quasi in speluncâ triplici, Patritio in medio jacente, aliis duobus hinc inde sunt inventa, Joanne de Curci* tunc ibidem præsidente, et eodem procurante,

* Iste fuit ex præcipuis Iberniæ expugnationibus ab Henrico II. missus.

S

tres nobiles thesauri divinâ revelatione reperti, fuerunt translati, unde versus:—

"In burgo Duno, tumulo tumulantur in uno,
Brigida, Patritius, atque Columba pius."*

De solâ chronologiâ et ætate trium illorum sanctorum tecum hic agam, nam cetera quæ refers sunt vera, et a Rogerio Hovedeno Anglo confirmata ad annum sal. 1177, ubi loquitur de legatione Cardinalis Viviani in Iberniam et de ejusdem appulsu ad urbem Dunum. Sed nonnihil tamen illustranda a me postmodum, quòd immeritò a recentioribus nonnullis, qui a quibusdam habentur pro magnis historicis, ex parte vocentur in dubium, etiam et omnino negentur. Tres illi sancti Iberniæ præcipui, ante plurima secula in Romanum martyrogium fuerunt illata, nam in illo quod tempore S. Gregorii Magni fuerat jam vulgatum ubique, legebatur nomen B. Patritii ad 17 Martii, ut videre est in antiquo nuper Romano, edito a P. Heriberto Rosweido, Societatis Jesu. Nomina verò Columbæ abbatis et Brigidæ virginis videre est in martyrologio Bedæ et Uswardi, ad 9 Junii et 1 Feb. Vixit autem Usuardus sub Carolo Magno et Beda antè. Videamus an tres iidem sancti fuerint tempore æquales, ut vult Gyraldus, qui (ut ipso de se teste, audivimus erat summè diligens in indagandis historiis et in veterum voluminibus versandis assiduè) procul dubio historiam ecclesiasticam Bedæ percurrit, et chronica Mariani Scoti, et Sigeberti Gemblacensis, et aliorum priscorum, qui passim manibus omnium ferebantur temporibus non Gyraldi tantummodo, sed et multo anterioribus. Et de Patritio testantur Marianus cum Sigeberto, ipsum a Cœlestino I. Romano pontifice ad veteres Scotos, hoc est Ibernos, convertendos missum, anno sal. 432; postea innumeris miraculis clarum migrâsse in cœlum anno sal. 491. At Brigidam virginem in Iberniâ obiisse anno Christi 518 vel 521. Sanctum autem abbatem Columbam, Sigeberto et Beda lib. 3 cap. 3 affirmantibus, septuagesimo septimo suæ ætatis, anno qui fuit salutis humanæ 598 aut circiter, obdormiisse in Domino. Quorum trium sanctorum tempora mortis designata a Bedâ, Mariano, et Sigeberto, sanioribus scriptoribus quàm tu sis Gyralde, cum fide probabilioris chronologiæ consentire, a nullo ante te in dubium vocatæ, testatur Baronius, vir longè majoris diligentiæ atque melioris in re historicâ judicii, quam vestrum fuit, O Camber! de quâ tamen verâ chronologia liquet, S. Columbam abbatem nondum fuisse natum nisi duobus aut sex circiter annis post mortem B. Brigidæ, quæ vitâ functa fuit 30 circiter annis post Patritii obitum. Quomodo igitur potuerint tres illi sancti fuisse contemporanei? Scio Brigidam, quæ octogesimo secundo circiter ætatis suæ anno migravit ad Christum, cùm vix annum ætatis 14 ageret velo sacro virginitatis, quam voto firmaverat, donatum fuisse a discipulo S. Patritii

* Aliter, "hi tres in Duno tumulo," etc.

satis de facie noti, ut verosimile apparet, eidem virgini. Verumtamen certum est, si quid in historiis autenticis certi esse possit, B. Columbam non vidisse nec vixisse annis seu Brigidæ seu Patritii quod vel cognoscere poteras, Gyralde, ex præfatione vitæ abbatis Columbæ (quæ extat tom. 5 Henrici Canisii) quam scripsit Adamnanus, abbas Ibernus mirificè laudatus a Bedâ, cui fuerat familiaris) natus circa tempora mortis ejusdem Columbæ, et qui quartus successerat in regendo celeberrimo cœnobio Columbiensium in parvâ insulâ Hy, multis a Bedâ deprædicato. In quâ prefatione legere poteras (qui lib. 2 tuæ Vaticin. Histor. cap. 16 et 23 multam facis mentionem de Columbâ et scriptis ejusdem) virum sanctum, Mancteum nomine, discipulum B. Patritii, spiritu Dei prophetico plenum prædixisse, quò futuris temporibus in Iberniâ nasciturus foret magnæ et admirandæ virtutis vir, vocabulo Columbam, qui et patriam suam et regiones alias radiis eximiæ sanctitatis atque operum stupendorum illustraturus esset. Quod postmodum eventus docuerat; nam noster iste Columba abbas fuit, qui, teste Adamnano et Bedâ, anno sal. 565 cum duodecim sanctis suis discipulis e patriâ egressus, profectus est ad convertendos ex idololatriâ ad fidem christianam populos Transmontanorum Pictorum, qui incolebant plagas aquilonares Britanniæ insulæ, quos omnes Transmontanos spatio triginta circiter annorum fecit christianos, et illorum apostolus est dictus.

Populi porrò Pictorum Transmontanorum, priscis fuerunt solo nomine diversi ab hodiernâ quæ illas easdem plagas aquilonares Britanniæ inhabitat, et a sex circiter seculis appellatur natio Scotorum Britanniæ, qui tamen sunt vera progenies et posteritas priscorum illorum Pictorum, ut in alio loco demonstravi multis. Nunc isto capite sufficiant adversum errorem chronologicam Cambrensis, qui ut diversa vera narrat de inventione trium corporum sanctorum illorum in eodem sepulchro in urbe Duno circa annum sal. 1185; quæ tamen vera rejiciunt nonnulli levissimis persuasi conjecturis. De Patritio apostolo Iberniæ legi apud Gerardum Vossium descriptum monumentum (quod mendax esse monstrabo) vetus, cœnobii Glastoniensis in Angliâ ubi sepultus jacere dicitur Patritius. Et Columbam, etsi nemo negat Ibernum fuisse, negat nihilominus Hector Boetius in Iberniâ sepultum, sed in parvâ insulâ Jonâ, quam Hy appellat Beda. Brigidam autem virginem scribit idem Hector, cum Leslio, non in Iberniâ ipsam aut natam fuisse aut in illâ obiisse, neque unquam sepultam in Iberniâ, sed ut ortam, ita et mortuam esse in hodiernâ Britanniæ Scotiâ. Tandem præterea virginem diem clausisse extremam volunt circa annum sal. 578, et fuisse familiarem B. Columbæ. Sed sigillatim ex fide priscâ testium, non de trivio, sed omni exceptione superiorum refellamus singulos ipsos errores. Et primùm de B. Brigidâ, quam, gratis nullo veteri idoneo auctore allato, Leslius ait obiisse circa annum sal. 521, regnante, inquit, Romanis Justino Seniore anno 3. Surius, in vitâ S. Ethbini

abbatis, (cujus meminit Romanum martyrologium ad 19 Octob.) Iberni, refert ut idem sanctus renuerit a principio miraculosè, quemadmodum Dei dono poterit curare puerum paraliticum, ipsi præsentatum a quibusdam, dicens: "ego qui peccator sum, non consuevi talia præstare qualia petitis, quin potiùs vestrum puerum non portatis ad sepulchrum sanctæ Brigidæ virginis, etc.?" At beatus Ethbinus ætatis suæ anno 83 (ut ait Surius) obiit, qui circa annum sal. 578 fuit senex, quia, teste historiâ vitæ suæ, adolescens, magistro usus est Sancto Winnaloco, quem testatur Baronius in notis ad martyrologium, ad diem 17 Martii fuisse æqualem beato Patritio Iberniæ apostolo, ut videre est in vitâ ejusdem Winnaloci, apud Surium, tom. 2. ad diem 3 Martii. Desiit autem Winnalocus inter mortales esse circa annum sal. 518. Nam quod Hector cum Leslio volunt Brigidam fuisse æqualem Columbæ, (quem Beda scribit obiisse 77 ætatis suæ, anno Christi autem 597, aut paulò post) non videtur verisimile, cùm tradam testimonia Bedæ, Mariani Sigeberti jam descripta, qui loquuntur Columbam nondum fuisse natum, quando in terris vivere desiit Brigida, qui potuit illa novisse vel vixisse cum Columbâ abbate, quæ (teste Genebrardo in Chronico, ad annum sal. 525) fuit familiaris beato Patritio, qui centum et ampliùs annis abierat antequam Columba. Patritius enim, anno ætatis suæ centesimo trigesimo secundo, Christi verò 481 aut 493, migravit in cœlum. Abbas Columba, qui non attigerat ætatis annum octogesimum, spiritum suo Creatori reddidit ipso die paschatis, anno Christi, ut clarè colligitur ex Adamnano, 599. Extant passim prisca et a variis conscripta acta Brigidæ et Columbæ (ut videre est apud Surium, Bedam, Henricum Canisium, alios) et iste tamen, ut crebrò indicat Adamnanus, omnibus qui suo tempore erant in Scotiâ alicujus nominis aut sanctimoniæ opinionis erat multùm familiaris, non tamen et Brigidæ, cujus ne vel semel fit mentio in actis plenissimis Columbæ. Et virgo Brigida,* plurimos sanctorum sui temporis habebat notos, quæ interim etiam nomen Columbæ, utpote nondum egressi ex utero matris, nescivit. Nam illius virginis acta, varia recensent celebrium sui ævi sanctorum nomina, ut Patritii et discipulorum quorumdam ipsius et aliorum, nullius qui Columba cognominatur commemoratione factâ.

Quòd autem Brigidam alibi quàm in Iberniâ ortam, mortuam, et sepultam esse volunt, novi nuperque (post mille transactos ferè annos a morte B. virginis) nati scriptores, Hector et Leslius, non jure faciunt, qui absque idoneo testimonio non solùm Ibernorum gentem privant suâ singulari, domesticâ, maximâ apud Deum patronâ et civi clarissimâ, sed et se opponunt fidei testatissimæ scriptorum penè totiùs antiquitatis, qui Brigidæ memoriam posteris reliquerunt.

* Ut satis invenit Cogitosus, nepos et scriptor vitæ virginis, apud Henricum Canisium, et alius Laurentius Dunelmensis, apud Surium.

Antiquissimus Cogitosus Ibernus, et nepos Brigidæ, in vitâ ejusdem apud Henricum Canisium, tom. 5, verbis disertis sæpè ait, ipsam "ex christianis et nobilissimis in Iberniâ parentibus ortam, ibidem mortuam, sepultamque (primùm) in monasterio, quod ipsa dum viveret edificavit, eidemque abbatissa præfuit. Situm verò, ait, esse monasterium prope ripam fluminis Liffei,* et intra civitatem maximam, frequentissimam, ditissimam, "in quâ pariter et in monasterio," scribit Cogitosus, "se fuisse, et ad sepulchrum virginis Deum quotidie operari virtutes, quas," inquit, "non solùm audivimus, sed etiam oculis nostris vidimus, ut etiam et lignum altaris, quod in testimonium virginitatis suæ tactum a B. Brigidâ, statim viride factum est, teste Romano martyrologio, quod lignum (sunt verba Cogitosi) in commemorationem pristinæ virtutis, usque ad priscum tempus viride, ac si non esset excisum, sed in radicibus fixum viresceret. Et usque hodie languores et morbos de hominibus expellit fidelibus." Et idem Cogitosus describit magnificentiam structuræ monasterii prædicti, et sepulchri B. Brigidæ, sepultæ ad altare, supra cujus tumbam, "ornat," inquit, "varius cultus auri, argenti, gemmarum, pretiosarum lapidum et coronæ aureæ argenteæque desuper pendentes." Vel hujus unius oculati testis fides nuperum Hectoris et Leslii convictum abundè convellit. Sed quia in imbibito semel errore constanter persistere videntur, et omnimodis conati fuerunt, alios in eumdem trahere, æquum videtur adjungere Cogitoso, plures probatæ fidei testes priscos. Rabanus, archiepiscopus Moguntinus, (qui vixit circa annum sal. 860), ut et Notkerus Balbulus, (qui floruit paucis annis post sal. humanæ 900) in suis martyrologiis quæ extant, tom. 6. Henrici Canisii, sic scribunt ad 1 Februarii. In Iberniâ nativitas B. Brigidæ virginis, quæ magnorum meritorum et sanctitatis esse prædicatur, etc. Marianus Scotus, (qui vivebat anno Christi 1086) in Chronico ad annum sal. 521, inquit, "B. Brigida Scota virgo in Iberniâ diem clausit extremum. Laurentius Anglus, (qui vixit circa annum sal. 1160) apud Surium, in vitâ Brigidæ (aliæ ab illâ Cogitosi) ita orditur: "Fuit apud Ibernos quidam Dubtachus nomine, gentis Lageniensis, pater Brigidæ." Lagenia adhuc hodie nominatur una et potissima ex provinciis Iberniæ.

Et B. Bernardus Clarevallensis, (qui vixit anno 1153) in præfatione vitæ Malachiæ Iberniæ archiepiscopi, primatis et legati sedis apostolicæ, protestatur, se nihil in illâ scripturum, de quo non sit satis securus, tanquam de exploratâ veritate. Inter alia verò, quæ de Malachiæ mirabilibus narrat, habet, ut sic, verba: "Venerunt aliquando tres episcopi in villam Fochart, quam dicunt locum nativi-

* Etiam hodie integrum manet nomen ipsius fluvii celeberrimi in Iberniâ, qui media secat pulcherrima et planissima campestria provinciæ Lageniæ, et alluit Iberniæ metropolim Dublinum urbem, quæ sedes est regia; sed et a mille annis in hunc usque diem tota planities appellantur "campestria sive pascua Brigidæ."

tatis Brigidæ virginis, et quartus erat Malachias." Est autem Fochart oppidum in comitatu Kildariæ, quæ pars est Lageniæ provinciæ in Iberniâ. Istis sex priscis ac tantis testibus, addi posset priscus tametsi non tantus Gyraldus Cambrensis, cui semper et secura fides haberi potest narranti quæ faciunt ad honorem Iberniæ aut sanctorum ejusdem. Nam etsi affectu magis ac sæpiùs quàm ratione regatur, cùm scribit de gente Ibernorum, cui maximè infensus fuerat, fidem nihilominus facit hostis, bona de hoste dicendo, quòd hujuscemodi confessionem non affectus sed vis veritatis extorqueat. Sic autem narrat Gyraldus, in 2 distinct. Topogr. cap. 34 et 36, " Apud Kildariam Lageniæ, quam gloriosa Brigida reddit illustrem, digna memoratu sunt miracula multa, etc. Sunt et hic campestria pulcherrima, quæ Brigidæ pascua vocantur, in quæ nullus aratrum ausus est mittere. De quibus pro miraculo dicitur, quòd licet provinciæ totius animalia solo tenus vesperi herbam corroserint, mane facto non minus herbositas apparebit, tanquam de pascuis illis dictum fuerit (a Virgilio) " et quantum longis carpunt armenta diebus, exigua tantâm gelidus ros nocte reponit."

Recentiores testes, si quotquot possem, proferre vellem, vix invenirem exitum; paucos tamen indico, et ut omittam Surium, Baronium, Franciscum, Zachariam Zippeloum, et multos alios qui disertè testantur Brigidam et vixisse et obiisse in Iberniâ, sic scribit Antonius Possevinus in Apparatu Sacro: " Brigida virgo Lageniensis, Dabothi principis (alios, Dubtach) filia, natione Scota (nam Scotia major sive vetus est eadem quæ et Ibernia, ubi sita est Lagenia) revelationum suarum libros duodecem composuit obscurissimè." Guilielmus Camdenus, Anglus, Calvinista, hostis Ibernici nominis et nationis, sic verè refert de B. Brigidâ. Kildariensis Comitatus (pars Lageniæ in Iberniâ) ager est latissimus, de cujus pascuis Gyraldus Cambrensis, illos Virgilii versus usurpat,

> Et quantum longis carpunt armenta diebus,
> Exigua tantum gelidus ros nocte reponit."

Kildaria primum et præcipuum est oppidum, cui honori erat in primâ ecclesiæ Iberniæ infantiâ Brigida virgo, sanctitate et virginitate venerabilis. Cujus miracula, ut ignem inextinctam," etc.

Illustria quidem fuerunt miracula virginis, quæ fusiùs narrat Gyraldus, 2 distinct. Top. a cap. 34 usque ad 40, inter quæ non injucundum lectoribus futurum, spero, si descripsero singulare quoddam de admirando Brigidæ libro (alio ab illo revelationum cujus meminit Possevinus loco citato) quem Cambrensis cap. 38 et 39 se sæpiùs vidisse et in stuporem toties quoties viderat datum fuisse narrat, sic habet: " Inter universa Kildariæ miracula, nil mihi miraculosius occurrit, quàm liber ille mirandus tempore virginis Brigidæ, ut aiunt, Angelo dictante conscriptus. Continet hic liber quatuor evangelistarum juxta Hyeronymum concordantiam, ubi quot paginæ

ferè sunt, tot figura diversæ, variisque coloribus distinctissimæ. Hìc majestatis vultum videas divinitùs impressum, huic mysticas evangelistarum formas, nunc senas, nunc quaternas, nunc binas alas habentes. Hinc aquilam, inde vitulum, hinc hominis faciem, inde leonis aliasque figuras penè infinitas. Quas si superficialiter et usuali more minùs acutè conspexeris, litura potius videbitur quàm ligatura, nec ullam attendens prorsus subtilitatem, ubi nihil tamen præter subtilitatem. Sin autem ad perspicaciùs intuendum oculorum aciem invitaveris et longè peritiùs ad artis arcana transpenetraveris, tam delicatas et subtiles, tam acutas et arctas, tam nodosas et vinculatim colligatas tanquam recentibus adhuc coloribus illustratas notare poteris intricaturas, ut verè hæc omnia angelicâ potiùs quàm humanâ diligentiâ jam asseverâris esse composita. Hæc equidem quantò frequentiùs et diligentiùs intueor, semperque quasi novis obstupeo, magis ac magis admiranda conspicio. Nocte primâ cujus mane librum scriptor inchoaturus fuerat, astitit ei angelus in somnis, figuram quamdam tabulæ quam manu præferebat ei ostendens et dicens: putas ne hanc figuram in primâ libri, quem scripturus es paginâ possis imprimere? Cui scriptor de tantæ subtilitatis arte, de tam ignotæ et inusitatæ rei diffidens notitiâ, respondit 'nequaquam:' Cui angelus: 'In crastino die, dic dominæ tuæ (Brigidæ,) ut ipsa pro te orationem fundat ad Dominum, quatenus ad acutiùs intuendum et subtiliùs intelligendum, tibi tam mentis quàm corporis oculos aperiat, ut ad rectè protrahendum, manus dirigat." Quo facto, nocte sequente iterum affuit angelus, eamdem figuram aliasque multas ei præsentans. Quas omnes divinâ opitulante gratiâ statim advertens, et memoriæ fideliter commendans, libro suo, locis competentibus ad unguem scriptor impressit. Sic igitur angelo præsentante, Brigidâ orante, scriptore imitante liber ille est conscriptus."

Hactenus hoc loco de Brigidâ, quam immeritò Ibernis eripere voluit, et natali ac fatali solo coegit primus, quod sciam, post mille a morte viriginis annos, Hector Boetius et Joannes Leslius (verum Robertus Turnerus, latens sub velo Leslii, epitomarius sive abbreviator Hectoris) qui duabus nullius pretii conjecturis nituntur. Altera est, et in Romano martyrologio et in vitâ Brigidæ, ipsam sæpè vocari Scotam. Sed si scriptores isti nesciunt, saltem primis novem aut decem seculis christianis passim per Europam, insulam Iberniæ (et quidem solam) audiisse Scotiam, et illius indigenas dictos vulgò Scotos, videntur imperiti, qui ignorant quæ nemo vel modicè versatus in antiquitatibus ecclesiasticis aut profanis, præsertim rerum Britannicarum ignorare potest, ut in alio loco a me fusiùs fuit demonstratum. Quod si porrò pergant in inscientiâ suâ, audeant et dicant (sed videant et caveant ne damno auctoritatis suæ, meritò a doctis variarum Europæ provinciarum audiant imperiti) quidquid sive in Romano martyrologio, sive in aliis priscæ notæ scriptoribus, de Scotiâ aut Scotis legimus, nihil Iberniæ aut ejus indigenis adscribendum esse, sed recentioris nominis, Scotiæ Minoris, regioni,

quæ primum a sex circiter seculis cœpit, depositâ appellatione regni Pictorum et Dalreudinorum, audiri "Scotia nova" et "minor." Dicant non pertinere ad Iberniam, verba illa vetusti martyrologii Romani, (quod, vivente S. Gregorio Magno, id est, ante 1000 annos, vulgatum fuit, et nuper ex latebris post plurima secula extractum a P. Heriberto Rosweido) ubi ad 17 Martii ista leguntur: "Natale S. Patritii, qui Scotos primus ad Christum convertit." Dicant de Iberniâ non esse sermonem in martyrologiis Bedæ, Usuardi, Adonis, Rabani, Notkeri, cum ad 17 Martii scribunt: "In Scotiâ natale S. Patritii episcopi, qui primus ibidem Christum evangelizavit, et Scotos ad fidem convertit." Dicant non loqui Bedam de Iberniæ indigenis, Scotiæ, quando lib. 1. suæ Historiæ, cap. 1, ita ait: "Hæc autem (insula Iberniæ) est propria Scotorum patria;" et lib. 2. cap. 4: "Laurentius, archiepiscopus Cantuariensis, Scotorum qui Iberniam insulam, Britanniæ provinciam, incolunt, populis pastoralem impendere solicitudinem curabat;" et lib. 3. cap. 19: "Venit de Iberniâ vir sanctus, nomine Fursæus, verbo et artibus clarus, etc.:* erat autem vir iste de nobilissimo genere Scotorum, sed longè animo nobilior, quàm carne." Dicant eumdem Bedam, lib. 3. cap. 4. et Adamnanum sæpissimè in vitâ Columbæ, ipsum appellantes "Scotum natione," indicâsse quòd aliam ab Iberniâ habuerit patriam. Cùm tamen ipse Hector et Leslius crebrò verèque testantur Columbam natum in Iberniâ, quod ut expressè scribit Beda et sæpiùs quàm decies repetit Adamnanus, qui nusquam aliam regionem suo tempore novit extitisse, notatam Scotiæ nomine, præterquam Iberniam, quam supra tricies ait synonimam esse cum Scotiâ, ut et "Scotiam veterem" solo nomine diversam esse ab Iberniâ. Dicant errâsse vetustissimum scriptorem vitæ S. Kiliani martyris, (cujus meminit Romanum martyrologium ad 8 Julii) apud Surium, in hæc verba loquentem: "Scotia quæ et Ibernia insula est maris Erdani, fecunda glebis sed sanctissimis viris clarior. Ex quâ, Columbano gaudet Italia, Gallo ditatur Alemannia, Kiliano Teutonica nobilitatur Francia. Dicant et Cogitosum, nepotem et scriptorem vitæ Brigidæ, non putâsse ipsam natione Ibernam, quando in principio ejusdem vitæ scribit: "eamdem a christianis nobilioribusque parentibus, de bonâ ac prudentissimâ prosapiâ in Scotiâ ortam, patre Dubtocho et matre Broccâ." Cum tamen sæpiùs quàm sexies idem Cogitosus disertè inculcat illam non alibi quàm in Iberniâ ortam, mortuam, et sepultam fuisse; et quamvis ipsa primum fuerit illata in tumulum in celebri illo cœnobio, quod Cogitosus se vidisse testatur et situm fuit in provinciâ Lageniæ, comitatu Kildariensi, ad ripam fluminis Liffæi, inde tamen post aliquot secula fuit sacrum virginis corpus translatum, et illatum in cryptam, ubi Ibernorum apostolus

* Cujus est mentio in Romano martyrologio ad 17 Januar., quem historici omnes norunt fuisse filium Philtani regis provinciæ Scoticæ in Iberniâ.

Patritius fuit sepultus, in urbe Duno provinciæ Ultoniæ, quæ plagam aquilonarem insulæ Iberniæ occupat. Quod si verò Hector Boetius et Leslius non nesciverint apud priscos synonima fuisse vocabula Iberniæ et Scotiæ, Scotorum et Ibernorum, aut sub nomine Scotiæ et indigenarum ejus, comprehensos fuisse Ibernos eorumque patriam; videant illi novi scriptores an sincerâ fide egerint, quando dissimulato quod exprimi oportebat, ludentes in ambiguo apud nostræ ætatis homines, vocabulo Scotiæ a sex circiter seculis nunc Scotiam majorem sive veterem, quæ et Ibernia, nunc Scotiam minorem, sive novam, quæ ad aquilonem Angliæ sita est, denotat; antè autem passim solam Iberniam significarit. Illudunt simplicitati lectorum, quos cuperent credere Brigidam virginem patriâ non fuisse Ibernam, neque in Iberniâ illam aut vixisse aut mortuam aut sepultam fuisse; sed isti hunc lusum sæpiùs luserunt, ut alibi ostenderam de alterâ ipsorum levissimâ conjecturâ de sepulturâ virginis. Nam canonici oppidi Abernethi in Scotiâ (minore seu novâ) inquit Leslius: "crediderunt se hactenus asservâsse, et piè coluisse corpus B. Brigidæ." Crediderunt sanè, quid tum? etiam in universâ Iberniâ istis undecem seculis, nemine uspiam unquam ante dies Hectoris nuper nati reclamante, credidit apud se fuisse Brigidam natam, mortuam, sepultam, idque miraculis innumeris vidit confirmatum, et scriptis authenticis priscorum ac priscæ fidei oculatorum aliorumque incorruptorum ex variis Europæ nationibus collectorum, quos inter ostendimus fuisse viros summâ sanctimoniâ, eruditione, et prudentiâ præditos. Itaque Ibernia credit, et fidei suæ tabulas ac testimonia omni exceptione superiora proferre potest. Vos vestræ vel canonicorum vestrorum fidei, producite tabulas priscas et priscæ notæ, si habetis; alioquin vestram de levitate suspectam facitis fidem, qualis esse consuevit vani vulgi, quod cupit credentis. Sed et vestram illam credulitatem de Brigidæ apud vos sepulturâ, multis ac specialibus argumentis demonstrare possem, nisi alio jam mihi properandum esset, nondum ante suum aut alterum seculum nobis proximum fuisse natam in mundo.

Jam de loco sepulturæ B. Columbæ, non video quicquam ullius ponderis, quod possit obire persuasioni perpetuæ a multis seculis gentis universæ Ibernorum, confirmatæ testimonio oculorum Gyraldi Cambrensis, et epitapho antiquo Columbæ, verbis item Gulielmi Camdeni in Descriptione, pag. 707, (impressionis Francford. anno 1590,) et aliorum, qui uno ore affirmant Columbæ sepulchrum et ossa sacra non esse quærenda extra Iberniam, nemine hactenus per tot secula reclamante, donec rem aut sub dubio reliquisse, aut aliquo modo negare voluisse videatur Hector, fretus auctoritate Bedæ, qui lib. 3, Histor. cap. 4, expressit Columbam fuisse mortuum et sepultum in parvâ insulâ Hebridum, dicta Hu, quæ alio nomine vocatur hodie insula Jona, et Ibernicè appellatur Columkille, id est, Locus Columbæ Sacer, ut proinde non videatur verum, quod Gyraldus

scripserit de sepulchro Columbæ, apud Ibernos viso, et unà cum Brigidæ et Patritii pignoribus sacris apud Dunum urbem quiescentis. Verùm Bedæ verba verissima, quæ oculatus testis Adamnanus in vitâ Columbæ confirmat,* non faciunt contra Cambrensem aut adversus persuasionem Ibernorum de tumulo Columbæ apud ipsos viso, non quidem sæculo Bedæ, aut proximè sequenti, quo certum est illius sacra ossa adhuc jacuisse in celeberrimo cœnobio parvæ insulæ Hy, sive Ionæ, sitæ in oceano Vergivo, et a proximo Iberniæ littore distantis, versus aquilonem, non integris tribus horis navigationis. Sed circa annum sal. 840 aut 900, propter assiduas et barbaras deprædationes, quas ab anno circiter Christi 800 usque ad 1000, Dani et Norwegi piratæ, nomini christiano tunc maximè infensi, agebant, infestando tum Germaniam, Galliam, Belgiam, Angliam, tum etiam Iberniam et vicinas regiones, visum fuit Ibernorum genti, sui Columbæ corpus expositum injuriis barbarorum, in Iberniam urbemque ejus munitissimam Dunum, in Ultoniâ sitam, transferre, et unà cum corpore S. Patritii ibidem jacentis collocare. Idemque metus assiduè grassantium vastatorum coegit Ibernos ex Kildariâ transferre Dunum sacra pignora Brigidæ. Pertinebat autem sanctissima illa insula Hy sive Iona, (quæ in latitudine passus vix mille, in longitudine bis mille habet, solo feracissimo et optimo) ad jus Scotorum monarchorum indigenarum Iberniæ, ut disertè testatur Beda, lib. 3, cap. 3; fuitque olim schola sanctimoniæ et optimarum disciplinarum, unde prodierunt examina vivorum sanctorum et eruditorum, qui vitæ exemplo, prædicatione, doctrinâ, miraculis illustrârunt multas Europæ regiones, præsertim Angliam, Galliam, Belgium, Germaniam, ut inter alios locuples est testis Trithemius, Beda, Walafridus Strabus, cujus aliqua verba ponam, quibus partim indicat quanto in honore, suâ ætate (nam vixit Walafridus anno sal. 849) apud omnes erat insula (quam ipse ut versui magis serviat, vocat Eoo,) partim quòd eisdem annis adhuc ibidem requieverit venerandum corpus Columbæ, partim quòd non multis antè annis, grassante furore Danorum et Norwegorum in eâdem insulâ, operantem sacris ad altare B. Columbæ cœnobii, martyrio affecerint B. Blatmac, id est "filium formosum," unigenitum regis Iberniæ, qui spreto regno propter Christum, maluit sibi veste indutus, illudere mundo et servire altari. Vitam B. Blatmac versibus illigaverat Walafridus,† qui ad præsens institutum nostrum, inter alios habet, illos:—

Insula Pictorum quædam monstratur in oris,
Fluctivago suspensa salo cognominis Eoo,‡
Quâ sanctus Domini requiescit carus Columba,
Hanc petiit § voto patiendi stigmata Christi,

* Vel ut verius videtur Adamnani narrationem, qui quadraginta annis circiter antè scripserat, approbat Beda, quem constat suam absolvisse historiam anno sal. 731.

† Apud Henricum Canis. tom. 6, a pag. 570 usque ad 575.

‡ Hu, sive Iona.

§ Blatmac.

Illuc namque frequens pagana caterva Danorum
Adventare solet, furiis agitata malignis.
Sed sanctus Domini tales tentare leones,
Disponens animo vana formidine mentem
Exuit, et clypeo fidei, galeaque salutis
Munitus, hominum non horruit arma malorum, etc.
Ecce furens maledicta cohors per aperta ruebat
Tecta, viris minitando pericula sæva beatis,
Et reliquis rabida sociis feritate peremptis
Ad sanctum venere patrem—pretiosa metalla,
Reddere cogentes queis sancta Columbæ,
Ossa jacent; quam quippe suis de sedibus arcam,
Tollentes tumulo terra posuere cavato,
Cespite sub denso, gnari jam pestis iniquæ.
Hanc prædam cupiere Dani, sed sanctas inermi
Restitit manu, firmo conamine mentis
Contra stare aciem, pugnamque lacessere doctus;
Cedere dissuetus, sibi talia barbari dicta,
Ingerit, 'Ignoro penitus quod quæritis aurum,
Quo sit humi positum, tectum quibus atque latebris.
Quòd si scire mihi, Christo admittente, liceret,
Nunquam nostra tuis hoc auribus ora referrent.
Barbare! duc gladios, capulum cape, jamque trucida.
Auxilio, Deus alme, humilem commendo tuo me.'
Hinc pia truncatis discerpitur hostia membris, etc.

Habes, ut videtur, causam et tempus translationis reliquiarum S. Columbæ ex insulâ Hu in Iberniam, nempe, circa annum sal. 840, quo maximè sæviebant Dani et Norwegi, qui utrique uno nomine Nortmannorum sunt noti in historiis priscis. Nam reliquias easdem sacras jam saltem circa annum 900 depositas fuisse in Iberniâ, videor mihi videre in martyrologio S. Notkeri (qui vixit anno sal. 912)* in hæc verba, exorsi: "In Scotiâ, insulâ Iberniâ, depositio S. Columbæ, cognomento Columbkilli," etc.

Sed jam videamus et refellamus cumulum insignium imposturarum, quas occasione sepulchri et loco mortis Ibernorum apostoli Patritii, quem extra Iberniam mortuum fuisse hodieque etiam alibi sepulchrum ejusdem videri posse imperitè mentiuntur aliqui, anonimus nescio quis, magnus apud ignaros multarum antiquitatum quosdam nostræ ætatis homines, finxerit in damnum gentis Iberniæ, et contra conspirantem annorum mille et plurium persuasionem et celebriorum totius Europæ scriptorum.

Gerardus Vossius, natione Germanus, præpositus Tungrensis anno sal. 1604, inter alia Miscellanea, quæ in lucem dedit, et adjecit ut appendicem ad opera omnia Gregorii Nazianzeni, quæ ex Græco in Latinum vertit, unum fuit quod ita inscripsit: "S. Patritii legatio a Cælestino I. papâ ad conversionem Iberniæ directi, sive epistola S. Patritii apostoli Iberniæ, ex bibliothecâ monasterii Glastoniæ, (in Angliâ) in quo ipse abbas fuit antequam esset episcopus Iberniæ. Fuit autem Romæ anno Domini 430." In margine ponitur: "Antehac nusquam quod sciatur excussa." Pergit vero, et orditur

* Apud Henrici Canis. tom. 6, ad Junii.

epistolam in hæc verba: "In nomine Domini nostri Jesu Christi, ego Patritius humilis servunculus Dei, anno Incarnationis ejusdem 430, in Iberniam, a sanctissimo Cœlestino papâ legatus, Dei gratiâ Ibernicos ad fidem veritatis converti, et cùm eos in fide catholicâ solidâssem, tandem in Britanniam sum reversus ad insulam Anallonizæ, (parvam, ubi postea condita est Glastonia) et ibi duodecem fratres inveni eremeticam vitam ducentes, et quoniam inveni eos humiles ac quietos, elegi potiùs cum illis abjectus esse, quàm in regalibus curiis habitare. Sicque licet invitum pastorem me sibi prætulerunt. Ibi in scriptis recentioribus inveni quòd S. Phaganus et Deruvianus, ab Eleutherio papâ, qui eos miserat, decem annos indulgentiæ impetrarunt. Et ego frater Patritius, a piæ memoriæ Cœlestino papâ, duodecem annos acquisivi. Post hæc in cacumine montis antiquum invenimus oratorium, et ferè dirutum, ubi ego et frater quidam tribus mensibus jejunavimus, orationibus et vigiliis vacantes. Quâdam autem nocte, cùm sopori membra mea dedissem, apparuit mihi Dominus Jesus in viso dicens: Patriti! serve meus, scias me elegisse locum istum ad honorem nominis mei, et Michaelis archangeli mei, et hoc tibi signum! Brachium tuum sinistrum arescet, donec quæ vidisti, annuntiaveris fratribus tuis, et denuo huc redieris, et factum est ita." Hucusque verba legationis et epistolæ, in quæ has notas adjecit Vossius: "Hanc legationis S. Patritii epistolam, ante aliquot annos inter collectanea manuscripta Mariani Victorii, episcopi Reatini, piæ memoriæ, reperimus; qui illam olim, dum Reginaldo Polo, cardinali legato, in Angliâ adesset, ex vetustissimo M.S. exemplari bibliothecæ Glastoniæ fideliter transcriptam accepit." Itaque, si non mentiuntur titulus et tenor epistolæ, Patritius antè et post conversionem Iberniæ ab ipso factam, fuit abbas Glastoniæ in Angliâ, et ibidem tandem sepultus quiescit, non in Iberniâ. Sed antequam specialibus argumentis istas, aliasque plures et graves imposturas illius supposititiæ epistolæ tam chronologicas quàm historicas, theologicas, et alterius generis errata refellam, primùm ex indubiæ fidei tabulis ac testibus priscis, convincamus S. Patritium, postquam sexaginta et amplius annos cum incredibili labore, fervore, et proventu insumpsisset in convertendis Ibernis ad Christum, tandem 132 ætatis suæ anno (aliis placet 122) in Iberniâ fuisse mortuum, sepultum, ibique ab illo tempore in hodiernum diem usque quiescere ejus sacros cineres et ossa. Qualis porrò fuerit audacia unius illius anomini (quem demonstrabo fuisse recentissimum et fallacem) opponentis se omnibus, præsertim Romano martyrologio, quod legebatur vivente Gregorio Magno, ubi natalis dies S. Patritii ponitur in Scotiâ (nimirum vetere, quæ est insula Iberniæ). Natalem sanctorum diem in martyrologio esse illum, quo ex mundo migrant ad vitam alteram, quis ignorat? Post multos a Gregorii Magni morte cæpit Romana ecclesia usque ad annos Gregorii XIII. papæ, usurpare martyrologium Usuardi (qui vivebat quando Carolus Mag-

nus) aucti, si credimus Joanni Molano, quamvis Baronius aliud censeat. In quo Usuardi martyrologio, nomen ad 17 Martii legimus: "In Scotiâ natale S. Patritii episcopi et confessoris, qui primus ibidem evangelizavit." In Romano autem martyrologio novo, jussu Gregorii XIII. edito, ita scribitur "In Scotiâ natalis S. Patritii." Beda qui ante Usuardum, et Ado qui non multò post ipsum vixit, (nam Beda circa annum sal. 760, Ado circa 870 floruit) in suis martyrologiis, eadem verba habent, de Patritio, quæ Usuardus. Rabanus archiepiscopus Moguntinus, in suo martyrologio,* sic scribit: "In Scotiâ natalis Patritii episcopi, qui in Iberniâ insulâ Scotis primùm prædicavit nomen D. N. Jesu Christi." Vivebat verò Rabanus anno sal. circiter 850.

S. Notkerus,† quem diximus floruisse circa annum 912, ita ait: "16 Kal. Aprilis, in Scotiâ, nativitas S. Patritii, natione Britanni, qui in Iberniâ insulâ, Scotis primùm evangelizavit nomen D. N. Jesu Christi, et eos per miraculorum ostensionem ad fidem veram convertit."

Vitam Patritii, duobus libris comprehensam, scripserat antiquissimus Probus Ibernus, quam ab aliquot seculis nescio quis inseruit inter opera Bedæ, tom. 3, cui falsò ascribitur. In illâ (ut et in aliâ magis copiosâ et antiquiore, quam penes me manuscriptam habeo, et olim scripserat auctor, qui indicat se fuisse oculatum testem gestorum S. Patritii, cujus et annis videtur vixisse) verbis disertis, fusè exprimitur locus, dies, et aliæ plurimæ circumstantiæ mortis S. Patritii quem in Iberniâ, in urbe Duno, provinciæ Ultoniæ, angelo Dei visibiliter assistente, viro sancto ipsumque ad mortem in eâdem urbe obeundam, læto animo invitante, accidisse ait. Neque de sepulchro Patritii in eâdem civitate viso, quempiam dubitare, innumera prope modum miracula et maxima, quæ per mille et plures annos, a morte viri sancti apud Dunum, et ad tumulum illius fuerint patrata, ut res ipsa loquitur, et universa Ibernia, scriptis autenticis atque perpetuâ traditione a majoribus arreptâ, testatur. Quam traditionem minimè variam esse, sed verissimam suo calculo, disertè approbat S. Bernardus in vitâ Malachiæ in hæc verba: "Dum hæc ita geruntur, contigit infirmari archiepiscopum Celsum,‡ et ipse est qui Malachiam in diaconum, præsbyterum, episcopumque ordinavit, et cognoscens quia moriretur, fecit quasi testamentum, quatenus Malachiam diceret succedere sibi, quòd nullus alius videretur dignior, qui episcoparetur in sede primâ. Hoc præsentibus indixit, hoc mandavit absentibus, hoc specialiter ambobus Momoniæ regibus,§ et

* Apud Henric. Canis. tom. 6, ad 17 Martii.

† In martyrologio apud eumdem Christi, tom. 6.

‡ Iste fuit Ibernus, Iberniæ primus cujus fit mentio in Romano martyrologio ad 6 April. et migravit in cœlum anno 1128.

§ Momonia Australis et Borealis sunt duæ in Iberniâ provinciæ, quibus duo præerant olim reges.

majoribus terræ, S. Patritii auctoritate, præcepit. Cujus reverentiâ et honore tanquam apostoli illius gentis, qui totam patriam convertisset ad fidem, sedes illa in quâ et vivens præfuit, et mortuus requiescit, in tantâ cunctis veneratione habetur, ut non modò episcopi et sacerdotes, et qui de clero sunt, sed etiam regum ac principum universitas subjecta fuit metropolitano in omni obedientiâ, et unus ipse omnibus præsit. Et aliquanto longiùs a fine ait: "Percontatus aliquando (Malachias) quonam in loco, si optio detur, extremum malit agere diem (de hoc siquidem fratres quaræbant inter se, quemque quisque sibi deligeret:) cunctatur, et non respondet. Instantibus illis "Si hinc (ex Iberniâ, ubi tunc Malachias erat, et interrogabatur) migro," inquit, "nusquam libentiùs quàm ubi unà cum nostro apostolo resurgere possim:" dicebat autem S. Patritium: "si peregrinari oportet, et ita permittet Deus, Claramvallem delegi. Requisitus de tempore, diem respondit Commemorationis omnium Defunctorum. Si simplex votum putatur, impletum est. Si prophetia, ne iota præteriit. Sic audivimus, sic vidimus pariter de loco et de die." Audis, anonime, ut audes tantæ auctoritati Bernardi et cæterorum quos nominavi, te unum opponere? Et negâre Patritium in Iberniâ mortuum ac sepultum, ubi tamen quiescere ipsum tot miracula testantur? plures adversum te non urgebo ex veteribus, (etsi possem plurimos) ut neque sequioris ævi non multùm remoti a nostro, sed recentiores historicos gravissimos, quorum est una vox, non alibi mortuum aut sepultum fuisse Patritium, quàm inter eos quos ex idololatris fecit christianos. Consule tamen, si libet, Vincentium Bellovacensem, S. Antonium Florentinum, Marianum Scotum, Sigebertum, Baronium, et alios, cum Antonio Possevino in apparatu sacro verbo, Patritius.

Verum proinde scripsit Gyraldus de corpore Patritii invento apud urbem Dunum, unà cum duobus sanctorum Columbæ et Brigidæ, quamvis etiam verum sit, partem non modicam reliquiarum S. Patritii a mille annis e Duno translatam fuisse in urbem metropolim Ardamacham, ubi sedes prima est totius Iberniæ, et sedet archiepiscopus primas, vulgò per Europam vocatus primas Armachanus, ut innuit B. Bernardus et testatur Neubrigensis, lib. 3, cap. 9.

Jam revisamus supposititiam epistolam anonimi affingentis Patritio Ibernorum apostolo, pueriles in historiis priscis imperitias non paucas. Inprimis quod innuit eumdem Patritium tandem deseruisse Iberniam et concessisse Glastoniam in Angliâ, ibique mortuum ac sepultum, postquam monasterium illud rexerit, etc. Fabula convincitur fuisse vel ex quibusdam verbis Angli historici, Gulielmi Malmesberiensis, qui rumorem ab anonimo, nescio unde arreptam, describens, sic de illo censet,* dicens: "Jacet ibi (apud Glastoniam) si credere dignum est, Patritius, natione Brito, beati

* Lib. 2, De gestis pontificum Anglorum et de Wallensibus episcopis.

Germani Antisiodoriensis discipulus, quem, a papâ Cœlestino ordinatum, episcopum Iberniensibus misit apostolum. Qui cùm multis annis in conversione illius gentis, suo agente labore, Dei cooperante gratiâ, nonnihil promovisset, tandem annosæ peregrinationis tædio, senio admonitus, in patriam redeundum ratus, ibi diem clausit." Hæc ille qui cautè et cordatè innuit hanc fabellam non esse creditu dignam: "Si credere dignum est," inquit, nempe quoad locum sepulturæ S. Patritii apud Glastoniam, de reditu ex Iberniâ, ut moriretur in Britanniâ." Fraus ejusdem anonimi detegitur etiam vel ex hæretico Joanne Baleo Anglo, qui in suâ centuriâ primâ scriptorum Britanniæ, verbo Patritius, numero 44, ait Patritium apostolum Iberniæ sepultum apud urbem Dunum in Ultoniâ. At alium, nomine Patritium, 400 ferè annos juniorem apostolo Ibernorum, fuisse monachum et abbatem monasterii Glastoniæ, ibique jacere sepultum. Imperitè verò confundi unum Patritium cum altero. Eadem impostura patet ex publico capitis supplicio, quod, jussu Henrici VIII. regis Angliæ, sumptum fuerat de quodam hæretico prorege Iberniæ, Anglo, cui cùm provinciæ malè habitæ ageretur, et capitis damnationis, inter alia, objectum fuit quòd sepulchrum S. Patritii apud Dunum Iberniæ profanavit, ut videre est in actis publicis, et annalibus Anglorum; et rem paucis, sed perspicuè narrat Gulielmus Camdenus, Anglus, in descriptione Ultoniæ.*

Facessat igitur cum suâ de sepulchro Patritii fabulâ, anonimus ille Anglus, qui ne vel ullum Anglum alicujus nominis aut pretii habet patronum, sed omnes adversarios. Nam de reliquis anonimi nugis epistolæ, quam venditat pro scripto Patritii Ibernorum apostoli, non est necesse multa dicere. Sed obiter tantùm indicare oportet illius et imperitias historicas. In primis scribit Pseudo-Patritius se a "Cœlestino papâ legatum in Iberniam anno incarnationis Domini 430." Triplex hic est lapsus. Primus est in modo numerandi annos ab incarnatione Domini. Nam docti omnes, et quotquot penitus non sunt ignari tritarum historiarum christianæ reipublicæ, nôrunt primum omnium scriptorem, qui cœperit numerare annos ab Incarnatione Christi, fuisse Dionisium abbatem Romanum, natione Schytam, cognomento "Exiguum," qui non animo novandi, sed aliud agens, et dum sua evangelia proponit, invexit in ecclesiam modum illum computationis. Cùm igitur ante Dionisium, qui scripsit circa annum salutis 525, aut 532, ut ex vulgatis passim historiis constat, nemo unquam ab annis Christi numeravit, sed anni ubique per orbem designabantur antè per consules, aut annos "Urbis Conditæ," seu Imperatorum, vel per Olympiades, aut ab Orbe Condito, sed et neque post Dionisium, nisi uno aut altero seculo, ceperunt christiani scriptores frequentare computum ab

* Pag. 707 suæ Britanniæ, Francofurti impressæ, anno 1590.

annis Christi, et primus qui post Dionisium usurpavit, videtur fuisse Beda, aut certè circa Bedæ tempora alii. Quis igitur credat S. Patritium apostolum Iberniæ fuisse auctorem illius epistolæ, in quâ fit computatio ab Incarnatione? Siquidem centum annis antè Patritius a Cœlestino papâ missus fuerat, quàm Dionisius Exiguus primus omnium hominum ceperit posteris præire exemplo in modo numerandi annos ab Incarnatione.

Secundus lapsus est in chronologiâ legationis S. Patritii, quem illa epistola ait, Româ missum anno salutis 430. At illud verum esse non potest. Nam vivente Cœlestino papâ et Patritio, vixerat S. Prosper, qui in chronico testatur disertè anno post obitum B. Augustini, doctoris ecclesiæ, missum fuisse Româ a Cœlestino ad Scotos,* Palladium, primum episcopum, paulòque post vitâ functum fuisse eumdem Cœlestinum, qui tamen auditâ priùs morte Palladii revertentis Romam a Scotis, qui illum audire recusârunt, confestim ad eosdem misit S. Patritium, ut perspicuè testantur tum scriptores antiquissimi vitæ Patritii,† tum Marianus Scotus, Sigebertus, Baronius ad annum Christi 432. Notum verò videtur plerisque S. Augustinum adhuc vixisse anno salutis 430, notum item Cœlestinum adhuc anno 432 sedisse Romæ, quo eodem 432 aiunt Sigebertus, Marianus, et Baronius, Cœlestinum obiisse, et Patritium in Iberniam missum, quamvis longè videatur verosimilius Cœlestinum fuisse mortuum anno 435, ut ostendit Arnoldus Pontanus in notis ad Prosperi Chronicum. Quandocumque autem obierit Cœlestinus, certum est, Patritium non fuisse missum nisi post Palladii mortem, quæ contigit post annum salutis 431.

Tertius lapsus epistolæ Pseudo-Patritii, est, quòd Romanum pontificem Cœlestinum non aliter compellat quàm vocabulo sanctissimi papæ. Neque Eleutherium, qui 150 annis ante Cœlestinum sedit Romæ, aliâ notâ quam "papæ" distinguat ab aliis episcopis, quæ tamen "papæ" appellatio tempore Eleutheri et Cœlestini multòque antè et post, usque ad annum salutis 850 communis erat tam Romano pontifici quàm quibuscumque aliis episcopis, etiam et alicujus nominis piis præsbyteris; ut præter alios demonstrat Baronius in Martyrologio ad 10 Januar. ubi etiam ait, inde, id est, ab anno 850, cæpisse ut Romanus pontifex papa audiret, cæteri verò rariùs, donec anno salutis 1073, Gregorius VII. sub anathemate vetuerit, ne quis nisi solum successorem S. Petri deinceps "Papam" appellaret. Quòd si S. Patritius Iberniæ apostolus fuisset auctor prædictæ epistolæ, propriâ notâ, epitethoque, Romanum pontificem sui temporis designaturus fuisset.

Quartus lapsus est, quòd missos ab Eleutherio papâ vocet Phaganus et Deruvianus, qui tamen, ut videre est in actis antiquis asser-

* Veteres intellige, qui iidem sunt cum Iberniæ indigenis.
† Quorum unus Probus extat apud Bedam, tom. 3.

vatis Romæ et in reliquis passim historiis a Baronio visis ac descriptis, dicebantur Fugatius et Damianus, quorum festum in Britanniâ celebratur. At Phaganus et Deruvianus, sive Faganus et Damianus, fuerunt discipuli S. Josephi ab Arimatheâ, qui evangelizavit in Britanniâ centum annis antequam B. Eleutherus creatus est pontifex Romanus; diesque festus S. Damiani in ecclesiâ Anglicanâ, ad 8 Apr.; Fagani autem, ad 8 Aug. celebratur; quæ omnia constant ex Anglorum historiis et martyrologiis, unde ita de Fagano et Damiano accepi.

Quintus et sextus lapsus sunt crassi in historiâ ecclesiasticâ et in theologorum receptis persuasionibus, auctoritate decretorum juris canonici comprobatis, errores, quos nesciverat anonimus, saltem velo probabilitatis tegere, ne statim ipsi se proderent cuivis etiamsi rudi theologo. Ait namque anonimus seu Pseudo-Patricius, Eleutherium papam (qui vivebat anno salutis circiter 183) concessisse "Phagano et Deruviano decem annos indulgentiæ," papam verò Cœlestinum (qui Romæ sedebat anno Christi 432) "indulgentiam duodecem annorum dedisse," Patritio Ibernorum apostolo. At theologi uno ore cum canonistis affirmant, in primis nullas in primitivâ vel priscâ ecclesiâ catholicâ solitas ullis concedi a papâ, aut episcopis indulgentias, præterquam iis qui post lapsus graves seriam atque severam, cum magno animi dolentis indicio, ac fervore postea cœperunt agere pœnitentiam ipsis impositam, a confessariis aut ecclesiæ canonibus, quos "penitentiales" appellabant Lapsis istis verò, sed rursum in se reversis atque deprecantibus redire in gratiam cum Deo et ecclesiâ, nunquam propter admissa scelera jungebatur severa penitentia peragenda ultra spatium septem annorum, nisi in eventu rarissimo, et ob flagitia nimium exorbitantia atque enormia, ut discere possumus ex decreto antiquo juris canonici in capitulo "Hoc ipsum," 33 causa, quæst. 2, in hæc verba: "Hoc ipsum, quòd canonum censura post septem annos reservare penitentem in pristinum statum præcipit, etc. non ex electione proprii arbitrii, sancti patres, sed potiùs ex sententiâ divini judicii sanxerunt." Et paulo post: "ecclesiasticâ consuetudine est usurpatum, ut majorum criminum penitentia septem annorum spatio concludatur, nisi vel excellentia vel criminum magnitudo vulgarem consuetudinem excedens, (quorum plura exempla citantur in decreto) præmissum spatium transcendere cogat." Hujus septennalis penitentiæ injunctæ, aut triennalis, etc. aut aliarum quas quadragenas carenas vocabant, relaxationem seu plenariam, seu partialem, ut loquuntur, sive indulgentiam consuevit ecclesia prisca, (tempore S. Patritii, Cœlestini papæ, et Eleutherii pontificis) concedere fervidis et seriò cum indiciis ingentis doloris penitentiam injunctam implere satagentibus. Idque plerumque concedebat non nisi interveniente intercessione martyrum, hoc est, eorum qui propter Christum detenti erant in carceribus expectantes martyrii

pœnam et palmam, ut testantur Tertullianus et Cyprianus, quos cum aliis de hoc argumento indulgentiarum concedi solitarum in ecclesiâ priscâ, disserentes videre potes apud Bellarminum.*

Cæterum supposititia illa epistola Glastoniensis affirmat tempore Eleutherii papæ, concessam indulgentiam non septem annorum, sed (quod prisca ecclesia non consuevit) decem annorum, et quidem Fagano et Damiano,† qui ūt in ipsorum actis Anglicanis habetur,‡ a die baptismatis ipsorum, ministrati ab Josepho Arimatheo, usque ad mortem vixerunt sanctissimè, vel si minus Fugatio et Damiano notis Eleutherio sed tamen viris vitæ apostolicæ, qui de gravibus nunquam fuerunt notati crimine, et minimè indigebant indulgentiis decem annorum. Affirmat eadem epistola S. Cœlestinum papam, non septem, non decem, sed duodecem annorum indulgentiam concessisse Patritio, de quo nihilominus constat, quòd baptismalem gratiam in infantiâ acceptam, nunquam amiserit. Sed ab ipso penè matris utero eum claruisse miraculis, et usque ad mortem, et aliis usque ad mortem illustribus indiciis propemodum innumeris, quæ illum semper spiritu Dei sancto repletum fuisse demonstrabant.

Septimus lapsus fuit quòd dicatur Patritius expressisse nomen indulgentiæ populis. Rem ipsam quam nostra, et patrum ætas appellat, papalem indulgentiam fuisse in usu, ab initio nascentis ecclesiæ christianæ, in hodiernum usque diem, nemo catholicus nisi temerè neget, ut nôrunt qui vel theologos scholasticos, vel Bellarminum aliosve doctores noverunt. At etiam sciunt, rem eamdem nomini subjectam sive remissionem pœnarum quæ peccatis debebantur, factam a pontifice aliisque olim non fuisse notam sub nomine "indulgentiæ," sed "veniæ," "pacis," "dimissionis," etc. ut videre est in S. Cypriano, Tertulliano, et priscis, quos invenies apud Bellarm. et alios. Nomen verò "Indulgentia ecclesiastica," data a papâ aut episcopis aliis, non fuit auditum in ecclesiâ catholicâ ante annos 500 aut 600. Hoc est, non nisi post millesimum a nato Christo annum. Et proinde mendax fuerit, et recens scriptor illius epistolæ Glastoniensis qui S. Patritio Ibernorum apostolo affinxerit vocabula, quæ sex circiter ad minimum seculis post illum fuerit primùm audita, et visa in bullis aut concessionibus Romanorum pontificum.

Octavus error esse, videtur, quòd epistola dicat, Patritium suo nomini præfixisse epitheton "frater." Fuit Patritius creatus a Cœlestino I. archiepiscopus. Neque ulli veterum archiepiscoporum in more erat in epistolis præfigere nomini proprio notam "fratris," sed appellationi personæ propriæ adjungere titulum dignitatis, quem non video in epistolâ. Sed et multis seculis post Patritium, cœpit

* Lib. 1 de Indulg. cap. 3, et lib. 2, cap. 18.

† Quos nunquam vidit aut audivit Eleutherius, qui centum ferè annis post illorum mortem fuit factus papa.

‡ Gulielmus Recengimius Centur. 2, part 3, distinct. 4.

inter viros profitentes vitam eremeticam aut cœnobiticam, mos præfigendi nomen "fratris," ipsorum propriis appellationibus, ut norunt qui in priscorum monachorum historiis sunt versati, et satis nos docet mos priscus, et regula ordinis S. Benedicti, ubi per 600 aut 700 annos priores ab ordinis institutione, nemo in scribendo præfigebat suo nomini, aut alium ejusdem, vel alterius religiosæ congregationis notabat epitheto fratris, sed aut nomni, aut domini, aut senioris aut junioris, aut abbatis, aut archimandritæ, aut aliis ejusmodi.

Nonus error est, in epistolâ indicari Patritium archiepiscopum et pastorem totius gentis Ibernorum, a Romano pontifice creatum atque specialiter designatum, tandem deseruisse eamdem gentem et exuisse curam pastoralem inconsultò, aut non impetratâ licentiâ a sede apostolicâ. Cùm tamen non solùm in vitâ Patritii, a variis ac vetustissimis auctoribus scripta, expressè habeatur ipsam in Iberniâ, in medio sui gregis extremum spiritum Deo reddidisse (ut etiam testantur martyrologia Romana cum aliis) sed etiam constat semper apud priscos episcopos in more fuisse positum, ut qui Romano pontifice assentiente, curam pastoralem suscepissent, sub nullo quictis privatæ, aut pietatis prætextu deponere, nisi unà cum vitâ mortali. Exempla moris istius sunt passim obvia in vitis et actis sanctorum multorum, ut videre est in vitâ Wironis apud Surium, ad 8 Maii, Bonifacii archiepiscopi Moguntini et martyris apud eumdem Surium ad 5 Junii, Rumoldi ad 1 Julii. Ex quibus, Bonifacius, ne vel instanter orans Romanum pontificem, potuit unquam obtinere, ut curam pastoralem committere posset alteri, ut ipse sibi soli et Deo senex vacare posset. Wiro autem et Rumoldus, episcopi Iberniæ, non nisi flexis genibus ad pedes Romani pontificis provoluti, et post crebras ad illum preces, oblatis tandem certis conditionibus, impetrârunt licentiam tradendi alteri episcopatum, ut ipsi ad conversionem infidelium, quorum salutis zelo urebantur, possent proficisci; prout factum est.

Decimus error est epistolam indicare, Patritium postquam converterit ad Christum gentem Ibernorum, venisse in Angliam, et in parvâ insulâ Anallonia (nunc Glastonia) fuisse abbatem seu pastorem factum, habuisseque sub se subditos duodecem eremitas, etc. Ipsa temporum ratio repugnat isti fabulæ, ut et locorum in Angliâ situs. Nam Anallonia sita est in provinciâ seu comitatu "Somersetshire," (ut nunc vocant) quem partem fuisse prisci regni Westsaxonum, nullus qui Anglicanas historias novit, ignorare potest. Quem eumdem comitatum unà cum ingenti aliâ portione Angliæ paulo post annum sal. 454 aut 460,* certum est fuisse manu armatâ occupatum

* Id est, vivente adhuc Patritio et plurimis annis antequam absolvisset conversionem Ibernorum, quem cœperat ab ultimo anno vitæ S. Cœlestini I. papæ et promoverat per 60 et ampliùs annos deinceps, ut testantur Marianus, Sigebertus, Antoninus, et reliquæ historiæ omnes, unà cum variis vitis Patritii.

et possessum ab idololatris Anglo-Saxonibus, qui, exturbatis et cæsis Britonibus indigenis, ferro et flammâ nullo prohibente persequebantur, cùm reliquias eorum tum maximè nomen christianum, ut disertè narrant Beda aliique. Igitur quis credat Patritium post conversam ad Christùm Iberniam universam, venisse in Angliam et ibidem quiete vixisse, præfuisseque abbatem eremiticum, non in alio Angliæ loco quam ubi tunc habitabat idololatri Anglo-Saxones, qui neque aspectum Britonis (ut erat Patritius) ferre poterant, nisi ut ipsum ferro perimerent, neque vocem aut vultum hominis christiani sine horrore videre volebant, odioque etiam singulari ferebantur in habitum et professionem hominis monachi, Deove dicati, ut abundè testatur Beda.

Undecimus error aut indicium fraudis est quòd dicatur Patritius usus illo stylo, "a piæ memoriæ Cœlestino" papâ; quem stylum cœpisse primùm usurpari plurimis seculis post S. Patritii tempora, qui inciderunt in annos Innocentii I., Damasi, Cœlestini, Xisti, Leonis I. et Gelasii. Certum est quòd priscorum, de Romanis pontificibus loquentium, stylum, observâsset Patritius.

Multos errores alios in illâ supposititiâ epistolâ notare possem, quos hoc loco præmitto refutare, maximè fabellam in titulo epistolæ indicatam de Patritio, quòd fuerit abbas Glastoniæ antequam crearetur episcopus Iberniæ. Quam fabulam loco historiæ venditat Guilielmus Camdenus pag 157, loquens de Glastoniâ: et ait, Patritium ibidem egisse monachum per 30 annos, et vice probationis nominat nescio quam aliquam ab istâ jam subjectâ, Patritii epistolam, cujus tamen nulla citat verba; neque indicat ubi, vel apud quem scriptorem, extat. Nihilominus idem Camdenus, pagin. 707, ex suo et communi sensu priscorum atque ætatis nostræ scriptorum, ait, ejus sepulchrùm in Iberniâ apud eamdem Dunum ostendi.

CAP. XIII.

Falli Cambrensem et alios aientes neque S. Patritium fuisse archiepiscopum, sed tantùm episcopum Iberniæ, neque ullos unquam fuisse in eâdem insulâ archiepiscopos ante adventum Joannis Paparonis, S. R. E. Cardinalis, missi cum palliis pontificalibus in Iberniam ab Eugenio III. papâ.

VERBA Gyraldi in 3 distinct. Topogr. cap. 17, sunt hæc: "Archiepiscopi verò in Iberniâ nulli fuerunt, sed tantùm se episcopi invicem consecrabant, donec Joannes Papyrio, (Paparona meliùs) Romanæ sedis legatus, nonnullis retrò annis advenit. Hic quatuor pallia in Iberniam portavit, quorum unum apud Ardamacham posuit, alterum apud Dublinium episcopatum Gregorio, tertium apud Cassiliam, quartum verò in Conatiâ in Tuamoniâ." Guilielmus Neubrigensis Anglus* Cambrensi favet, dum in præfatione suarum historiarum ita inter alia loquitur. "Denique Iberniences, cùm olim christianos fuisse, et episcopos habuisse noscantur, nostris temporibus archiepiscopos habere cœperunt." "Ex recentioribus autem scriptoribus Genebrardus, in Chronico ad annum Christi 1152, ait: "Quatuor archiepiscopatus instituuntur in Iberniâ; primus apud Ardamacham quæ sub se habet viginti quinque episcopos; secundus apud Dublinium urbem, quæ sub se habet quinque episcopos; tertius apud Caselliam, quæ sub se tredecem episcopos; quartus apud Tuamoniam, quæ decem sub se habet episcopos."

Richardus Stanihurstus, in appendice, quam adjecerat ad suam de Rebus in Iberniâ Gestis historiam (scatentem erroribus ex Gyraldo Cambrense excerptis) approbans sententiam Cambri dicentis archiepiscopos nullos fuisse in Iberniâ ante adventum cardinalis Paparonæ, ita infit, pag. 256: "Hinc apparet divum Patritium, quidquid alii scribant, archiepiscopum non fuisse sed solùm episcopum Armachanum. Gelasius, (qui successit S. Malachiæ, de quo multa B. Bernardus scribit) primus erat Armachiæ archiepiscopus."

Tria mihi sunt evidenter probanda adversus istos multarum antiquitatum (Cambrensem et Neubrigensem intelligo) ignaros, neque tantùm inscios tritarum per Europam historiarum de rebus ante

* Qui Gyraldi fuit synchronus, et annis circiter decem post editam primam ab eodem Topographiam Iberniæ, dederat in lucem suos quamque libros de Rebus Anglicis.

ipsorum ætatem gestis, fuisse, sed maximarum rerum quæ in ipsorum diebus agebantur et passim vulgabantur per varias provincias. Primum ostendam S. Patritium Iberniæ apostolum, fuisse archiepiscopum consecratum Romæ a Cœlestino I. papâ: secundum, contra Cambrum monstrabo (ut et adversus Genebrardum et Stanihurstum) ante annum sal. 1152 priusquam Cardinalis Joannes de Paparona missus ab Eugenio III. venisset cum palliis archiepiscopalibus in Iberniam, sedisse in ecclesiâ Ardamachanâ archiepiscopos plurimos, quin etim tot quot in eadem sede successerunt S. Patritio in hodiernum usque diem, non merè episcopos, sed etiam archiepiscopos fuisse, idque præter alios testari ipsos Romanos pontifices: tertium, falli Cambrensem innuentem verbis illis: "sed tantùm se episcopi invicem consecrabant;" episcopos Iberniæ, nunquam ab aliis aut alibi creatos fuisse episcopos.

Ad primum caput de S. Patritio archiepiscopo, fortasse videtur sufficere verba Stanihursti adversum se et Cambrensem testantis pagin. 246, dum ita scribit: "Patritius a Cœlestino papâ ordinatus, et Scotorum (veterum qui et Iberni) archiepiscopus." Cœterum quia, vice excusationis, video obtendi posse lapsum memoriæ, calami, aut topographi, fuisse in istis verbis, quibus sibi contradicit Stanihurstus, placet validiore manu prosternere adversarios errantes. Non videntur mihi vidisse Chronica Sigeberti (quæ trita erant manibus multorum, etiam ante ætatem Cambrensis et Neubrigensis) ad annum 432 ita scribentis: "Cœlestinus papa ad Scotos in Christum credentes, Palladium missit primum episcopum; postquem ad eosdem, ab eodem Cœlestino, missus est S. Patritius, genere Brito, filius sororis S. Martini Turonensis, qui (Patritius) in baptismo quidem dictus est a S. Germano (Antisidorensi cujus discipulus fuerat Patritius.) Magovius; a Cœlestino verò Patritius, a quo archiepiscopus Scotorum ordinatus, per 60 annos, signis, sanctitate, doctrinâ excellens, totam insulam Iberniam (quæ propria Scotorum patria est, inquit Beda, lib. 1. cap. 1.) convertit ad Christum. Et idem Sigebertus, ad annum 491: "S. Patritius, secundus Iberniæ archiepiscopus, ætatis suæ 122 in Christum quievit."

Num etiam viderint adversarii Chronica Mariani Scoti (Sigeberto senioris) qui ad annum sal. 432 ita inquit: "post quem (Palladium mortuum) sanctus Patritius fuit, et a Cœlestino papâ conservatus, et ad archiepiscopatum Iberniensem missus, etc., et totam insulam Iberniam convertit ad fidem." Et idem Marianus, ad annum 491: "Sanctus Patritius Iberniæ obiit, etc." Sed numquid legerint B. Bernardum (qui ipsis diebus Cambri et Neubrigensis adhuc juniorum vixit senex) in vitâ Malachiæ, ubi ita ait: "Et cognoscens* quia moreretur, fecit quasi testamentum, quatenus Malachias deberet

* S. Celsus, Iberniæ primas, cujus nomen illatum est in Romano martyrologio ad 6 Apr.

succedere sibi, (ut factum est anno sal. 1128) quòd nullus alius videretur dignior qui episcoparetur in sede primâ. Hoc præsentibus indixit, hoc mandavit absentibus, hæc specialiter ambobus Momoniæ regibus et majoribus terræ, sancti Patritii auctoritate præcepit. Cujus reverentiâ et honore, tanquem apostoli illius gentis qui totam patriam (id est, Iberniam) convertisset ad Christum, sedes illa Armachana, in quâ et vivens præfuit, et mortuus requiescit, in tantâ ab initio cunctis veneratione habetur, ut non modò episcopi et sacerdotes et qui de clero sunt, sed etiam regum ac principum universitas subjecta sit metropolitano in omni obedientiâ, et unus ipse omnibus præsit." Nonne audis et vides hìc Patritium fuisse metropolitanum, cui subdebantur reliqui universæ Iberniæ episcopi. Nonne archiepiscopus est, qui metropolita? qui præest unus omnibus (qui plurimi simul erant) vastissimi regni sive provinciæ episcopis? Et idem D. Bernardus, in sermone de transitu Malachiæ, ita scribit: "Magni illius Patritii Iberniensium apostoli sedem metropolitanam tyrannica sibi progenies successionis ordine creans archiepiscopos vindicabat, hæreditate possidens sanctuarium Dei. Rogatus itaque a fidelibus Malachias noster, ut tantis sese malis opponeret, animam suam in manibus suis ponens, accessit intrepidus, suscepit archiepiscopatum, tradens sese discrimini manifesto, ut tanto crimini finem daret." Aude aliquid, Camber, et adversante S. Bernardo, Sigeberto, Mariano, suade, tibi uni, et cæteris a te deceptis, fidem potiùs esse habendam quàm illis. Et Stanihurstus fidens fidei tuæ, nixusque auctoritate, dicat: "S. Patritium, quidquid alii dixerint," (id est, quidquid contradixerunt Bernardus, Marianus, Sigebertus, alii) "non fuisse archiepiscopum," nisi fortasse non alios a se rejectos intellexerit, quàm recentes aliquos scriptores, qui crediderunt Trithemio, non multùm antiquo, dum in suo de ecclesiasticis scriptoribus libro sic scripserit: "Palladius, Scotorum insulæ Iberniensis a Cœlestino papâ primus ordinatus episcopus, vir doctus et sanctus. Post quem S. Patritius, ab eodem consecratus in archiepiscopum Iberniensem, signis et miraculis coruscans, totam insulam convertit ad fidem."

Venio ad alterum caput, et demonstro post Patritium plurimos sedisse in sede Armachanâ archiepiscopos, antequam tempore Eugenii III. papæ, instituerentur alii aliquot in Ibernia archiepiscopi et archiepiscopatus. Imò planum facio, neminem qui in illâ sede præfuit post S. Patritium non fuisse archiepiscopum. Probationes ordior a testibus ac gestis et archiepiscopis Iberniæ, qui et seculo eodem quo Neubrigensis et Cambrensis vixerunt, et propter splendorem ipsorum sanctimoniæ, atque ingentium miraculorum, fuerunt celebres illâ ætate per universam Europam. Jam antè, universalem probationem audivimus ex recitatis verbis B. Bernardi, (testis non de trivio) qui expressit non Patritium tantùm, sed et quotquot ipsi in sede primâ, sive Ardmachanâ, Iberniæ legitimè successerunt usque

ad dies scriptionis vitæ S. Malachiæ,* fuisse metropolitanos, et præfuisse toti cætui cæterorum Iberniæ episcoporum, et sacerdotum, et clericorum, qui in omni obedientiâ metropolitano eidem erant subjecti ab initio; id est, ab annis Patritii usque ad adventum Cardinalis Joannis de Paparona, quem in Iberniam appulisse cum quatuor palliis archiepiscopalibus, non anno sal. 1148, ut Stanihurstus seductus a nescio quo Philippo Flattesburio, sed anno 1151, ut Baronius demonstrat, et ego alio loco latiùs, et expressit Rogerius Hovedenus, historicus Anglus, qui vixit quando Camber et Neubrigensis.

Videamus argumenta specialia, quorum primum et irrefragabile sunt verba alia S. Bernardi et Innocentii II. papæ, qui in primis testantur expressè, multis annis ante 1152 Christi, fuisse in Iberniâ duas sedes metropolitanas sive archiepiscopales; alteram Ardamachanam et antiquam, hoc est, a diebus S. Patritii et deinceps per 700 circiter annos, alteram (Cassiliensem aut Dubliniensem) novam et institutam circa annum sal. 1120. Deinde nominat Bernardus tres sanctos archiepiscopos, (quorum duos colit ecclesia Romana in suo martyrol.) Ardamachanos, qui vixerunt illo ipso seculo quo Cambrensis et Neubrigensis et archiepiscopi creati, multis annis ante adventum Joannis Paparonis aut etiam antequam Eugenius III. qui illum miserat, fieret papa.

Tres isti archiepiscopi nominantur a B. Bernardo, Gelasius quem archiepiscopum consecravit S. Malachias anno sal. 1135, qui eodem anno antè abdicavit a se dignitatem archiepiscopalem, quam coactus susceperat anno 1128, quo obiit S. Celsus, archiepiscopus et decessor Malachiæ. Habemus igitur a Bernardo expressos archiepiscopos tres Iberniæ, qui vivente eodem, et ante adventum Paparonis,† nimirum, Gelasium, Malachiam, Celsum. Cæterum præstat audire Bernardum ipsum, cum summo pontifice Innocentio II. loquentes in vitâ Malachiæ, cap. 7. in hæc verba: "Dum hæc aguntur, contigit infirmari archiepiscopum Celsum, et ipse est qui Malachiam in diaconum, præsbiterum, et episcopum (Conerethensem) ordinavit. Et cognoscens quia moreretur, fecit quasi testamentum, quatenus Malachias deberet succedere sibi, quòd nullus alius videretur dignior qui episcoparetur in sede primâ." Et cap. 8: "Anno ætatis suæ 38 (qui fuit Christi 1132,) pauper Malachias, pulso incubatore, intravit Ardamacham pontifex et metropolitanus totius Iberniæ." Et cap. 19: "Igitur Malachias, redditâ inter triennium retributione superbis, et libertate ecclesiæ restitutâ, reformatis ubique moribus christianæ religionis, videns omnia in pace esse, cœpit cogitare de suâ pace, et

* Qui fuerunt circa annum sal. 1151, quo tempore Neubrigensis, ut ipse de se scribit, egerat decimum sextum ætatis annum, et Cambrensis pene puer erat.

† De quo etiam cum summâ laude loquitur idem Bernardus in epistolâ.

memor propositi sui,* constituit pro se Gelasium, virum bonum et dignum tali honore, convenientibus populo et clero quin potiùs sustinentibus propter pactum;" quæ contigisse anno sal. 1135 liquidò apparet ex eodem Bernardo. Et cap. 10: "Malachias Romam proficisci deliberat, maximè quòd metropoliticæ sede, pro quâ tantum laboraverat," etc. "Erat et altera metropolitica sedes, quam de novo constituerat Celsus, primæ tamen sedi (Ardmachanæ) et illius archiepiscopo subdita tanquam primati, et huic quoque optabat Malachias pallium, confirmarique auctoritate sedis apostolicæ prærogativam, quam S. Celsi beneficio adipisci meruit." Et cap. 21: "Erat tunc temporis sede apostolicâ felicis memoriæ Innocentius II. papa, qui eum (Malachiam) benignè suscepit, humanè satis illi super longâ perigrinatione compassus. Et primò quidem Malachias, quod altiùs infixerat animo, cum multis lacrymis implorabat, licere sibi vivere et mori in Clarevalle, permissu et benedictione summi pontificis. Et petiit hoc, non oblitus ad quod venerat, sed affectûs quo venerat, desiderio Clarevallis. Non autem obtinuit, quod vir apostolicus lucris potiùs uberioribus aucupandum decerneret. Nec tamen omninò frustratus est desiderio cordis sui, cui mori ibi, etsi non vivere donatum est. Mensem igitur integram fecit in urbe, loca fausta perambulans, et frequentans causâ orationis. Cùmque per id temporis sæpè ac diligenter ab eo, et aliis qui cum eo erant, summus pontifex inquisiisset de patriâ, mores gentis, statum ecclesiarum, et quanta in terris per eum Deus operatus fuisset, paranti jam repatriari, commisit vices suas per universam Iberniam, legatum illum constituens. Significatum si quidem erat ei (papæ) ab episcopo Gilleberto, qui tunc legatus extiterat, quòd jam non posset præ senio et debilitate corporis villicare. Post hæc petit Malachias confirmari novæ metropolis confirmationem, et utriusque sedis (id est, antiquæ Armachanæ et novæ Cassellensis) pallia sibi dari: et confirmationis quidem privilegium mox accepit (non petiit neque accepit confirmationem sedis antiquæ) de palliis autem oportet," inquit summus pontifex, "solemnius agi. Convocatis episcopis et clericis et majoribus terræ, celebrabis generale concilium, et sic conniventiâ et communi voto, per honestas personas requiretis pallium, et dabitur vobis." Deinde mitram de capite suo (nam ut notat Baronius, mos erat non nisi mitratos Romanos pontifices ad audientiam admittere petentes audiri), imposuit capiti ejus, sed et stolam cum manipulo dedit illi, quibus uti, inter offerendum solebat. Et salutatum in osculo pacis dimisit cum apostolicâ ejus benedictione et auctoritate." Et idem Bernardus, inter varias suas epistolas ad diversos missas, tres ad Malachiam scripserat, nimirum 315, 316, et 317. Superscriptio, epistolæ 315. hæc est: "Ad sanctum Mala-

* Nempe a multo tempore voluit resignare archiepiscopatûs onus ac dignitatem, ut pluribus exponit B. Bernardus.

chiam, Iberniæ archiepiscopum." Titulus autem epistolæ iste: "Venerabili domino, et beatissimo patri Malachiæ, Dei gratiâ Iberniensium archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, frater Bernardus Clarevallis, abbas, invenire gratiam apud Dominum." Audi adversari quid S. Bernardus, oculatus omnium testis, quid Innocentius II. papa dixerint de tribus illis Iberniæ archiepiscopis, de duabus sedibus metropolitanis ejusdem insulæ ab apostolicâ sede confirmatis (quamvis Armachana fuerit a Cœlestino I. aut alio ipsi vicino papâ, vivente S. Patritio, Cassellensis ab Innocentio II. anno sal. 1137 confirmata) quæ cuncta paucis est complexus Baronius, tom. 12. in hæc verba: "Hoc eodem anno 1137, cùm jam Innocentius papa Romæ consisteret, contigit mirifici illius S. Malachiæ archiepiscopi Ardamachanæ totius Iberniæ metropolitani, Romam adventus ad ipsum Innocentium Romanum pontificem pro pallio, tum suæ, tum etiam alterius in eadem insulâ metropolitanâ ecclesiâ, etc., quam S. Celsus Malachiæ decessor constituerat," etc.

Nominemus et alios scriptores S. Bernardo antiquiores, qui de aliis Iberniæ archiepiscopis sanctis, multis seculis ante Cambrensem et adventum Cardinalis Paparonæ, notis in veterum martyrologiis disseruerint. Descripsit doctissimus atque piissimus vir Joannes Molanus, in suis Natalibus, et in indice Sanctorum Belgii, verbo: "Eloquius" ex priscis monumentis vitam S. Forannani archiepiscopi, inquit, Scotorum, (id est, Ibernorum) qui migravit ex Belgio in cœlum anno sal. 982, ut videre est apud Franciscum Haræum in suo Compendio Sanctorum, ad diem 30 Aprilis.

S. Forananno archiepiscopo longè antiquior fuit B. Bonifacius, archiepiscopus Moguntinus, et martyr, natione Anglus, coronatus anno sal. 755, qui inter alia scripsit vitam egregii martyris Livini (cujus mentio est in Romano martyrologio ad 12 Novembris) qui palmam martyrii in Belgio adeptus est, circa annum sal. ut quibusdam placet, 634, vel ut aliis rectiùs videtur 660 aut 670. Vita illa a B. Bonifacio scripta extat post epistolas ejusdem Bonifacii collectas, et anno sal. 1605 juris publici factas a Nicolao Serario. Cùmque sanctus scriptor paulò post principium vitæ dixisset beatissimum infantem Livinum adhuc in utero matris conclusum, fuisse a Deo sanctificatum, et matrem habuisse Agaliniam, filiam Ephigenii regis Scotorum, indigenarum Iberniæ; patrem verò Theagnium, principem et primum a rege alio ejusdem Iberniæ,* Colomagno nomine, postea subjungit hæc verba: "Quem (infantem Livinum) pius rex, Colomagnus et devotissima regina, cum venerandis pontificibus Augustino Anglorum episcopo,† et Menalchio archipræsule, de fonte sacro beatæ regenerationis susceperunt, indentes ei nomen, Livinus, ex

* Nam tot simul regnabant in insulâ, quot in eâ sunt provinciæ, quæ quinque aut sex numerantur.

† Quem obiter excurrisse in Iberniam et negotia expendisse cum Colomagno rege, ait Bonifacius.

nomine germani gloriosæ genitricis suæ Agaliniæ, Iberniensis ecclesiæ archiepiscopi, qui apud Verbanos,* pro nomine Christi palmam martyrii indeptus est," etc. Et longè post: "Interim contigit, Menalchium archipræsulem, germanum gloriosi ducis Theagnii, patris beatissimi sacerdotis Christi Livini, de hoc mundo feliciter migrâsse, de cujus transitu luctus erat omnibus et mœrentiâ inædicibili confundebantur universi. Illo quoque defuncto præfatus rex Colomagnus, et ejus palatinorum chorus, cum suis subaulicis, totiusque regionis illius consistentiâ, pari cordis affectu conclamaverunt, sanctum sacerdotem Livinum in honorem hujus ordinis dignissimè sublimandum fore. His rex omnibus devotior consentiens, ter quaterque beatum virum in cathedrâ archiepiscopatûs, debito honore, Domino jubente, collocavit," etc. Audis, adversarie! ut S. Bonifacius martyr testatur tres ordine successisse invicem archiepiscopos, Iberniæ sanctos, nimirum Livinum seniorem martyrem, et fratrem Agaliniæ, Menalchium fratrem Theagnii, Livinum juniorem, martyrem, et filium Theagnii, quorum duo postremi archiepiscopi migrârunt in cœlum post annum sal. 600, et ante 700, primus autem ante annum sal. 600.

B. Bonifacio scriptore, videtur fuisse antiquior quidam Ibernus nomine Cogitosus, nepos S. Brigidis virginis Iberniæ, (cujus festum in Romano martyrol. ponitur ad 1 Febr.) apud Henricum Canisium tom. 5. in vitâ Brigidæ, quam litteris mandavit idem Cogitosus, de quo mentionem facit Baronius. Sic autem scribit Cogitosus in prologo vitæ illius; "quam semper ecclesiam,† archiepiscopus Iberniensium episcoporum, et abbatissæ monasterii virginum S. Brigidæ;‡ felici successione, .et ritu perpetuo dominantur, etc." Constat verò Cogitosum loqui de archiepiscopis Iberniæ, qui successores erant S. Patritii. En igitur a tantis testibus nominatos octo archiepiscopos Iberniæ, metropolitanos et primates, qui ante adventum Cardinalis Joannis de Paparona, missi ab Eugenio III. anno 1151, sedebant in cathedrâ Ardmachanâ, nimirum, S. Patritius, apostolus Iberniæ, S. Livinus, senior et martyr, S. Menalchius, S. Livinus, junior et martyr, S. Forannanus, S. Celsus, S. Malachias, S. Gelasius. Et iidem testes, quamvis alios non nominent, universim nihilominus aiunt fuisse archiepiscopos quotquot legitimè in sede Armachanâ successere B. Patritio; id est, spatio 660 circiter annorum (nam totidem effluxerunt ab obitu Patritii, usque ad Cardinalis Paparonæ in Iberniam. Ex illis autem octo sanctis Ibernis archiepiscopis, quatuor reperio relatos in album sanctorum Romanæ ecclesiæ, et martyrolo-

* In Italiâ is locus est prope lacum hodie dictum, Lago di Garda, cujus olim vicini incolæ vocabantur Verbani.

† Sive celeberrimum cœnobium cum templo magnifico quod B. Brigida extruxit in Iberniâ.

‡ Quam omnes abbatissæ Scotorum venerantur. Synonimæ fuere, annis Cogitosi, voces Scotorum et Iberniensium, sive Ibernorum.

gium ejusdem, nempe Patritium, Livinum juniorem, Celsum, et Malachiam. Possem et ego multò plures quàm octo numerare et nominare archiepiscopos Armachanos qua præcesserunt tempora S. Malachiæ, ut S. Stephanum, qui etiam vocabatur Benignus, et immediatè successit B. Patritio; S. Luglianum, fratrem regis Iberniæ nomine Luglii, qui unâ die, unoque in loco apud Belgas passi sunt uterque martyrium, 23 Oct. circa ann. sal. 725. Sed istos aliosque hoc loco prætereo, quòd exempli causâ ad refutationem Cambrensis ac sequacium errantium sufficiant quæ ex S. Bernardo, Cogitoso, Innocentio II. papâ, attulimus.

Tertium caput probandum restat adversus Cambrum, qui volebat ante adventum Paparonis Cardinalis non solùm nullos unquam in Iberniâ fuisse archiepiscopos, sed episcopos ejusdem insulæ " semper," ex more " se invicem consecrâsse," etc. Falsum est utrumque assertum, quorum prius jam ante fuit explosum. Posterius rejiciamus inprimis ex fide S. Lanfranci, in Angliâ archiepiscopi Cantuariensis, creati anno salutis 1070, mortui verò anno Christi 1089. Extant istius viri sancti epistolæ, ex quibus duas descripserat, et in tom. 11 Annalium, intulerat Baronius ad annum salutis 1089, postquam egisset de felici obitu Lanfranci, qui in utrâque epistolâ datâ ad duos Iberniæ reges, palam testatur se in Angliâ consecrâsse episcopum Dubliniensem Iberniæ, nomine Patritium, (alium ab apostolo Ibernorum) monachum doctrinâ et pietate præstantem, quem Godericus, Lageniæ provinciæ in Iberniâ rex, inde consecrandum miserat in Angliam, quæ consecratio contigit anno salutis 1074, in templo S. Pauli, Londini, ut videre est in Annalibus Anglicanis. Idem Lanfrancus, anno salutis 1085, consecravit in episcopum Dublinensem Donatum nomine, virum doctum et pium, qui Patritio illo episcopo vitâ functo fuerat ab antè memorato rege Goderico missus ex Iberniâ, ut antistes crearetur a Lanfranco. Hujus utriusqe ordinationis episcopalis a Lanfranco factæ nominit Richardus Stanihurstus, pag. 256 et 257, ubi illam non ex Lanfranco, sed ex quodam Philippo Flattesburio Anglo, et ut Richardus ait, viro industrio et antiquitatis summè studioso descripsit, et contra errorem Cambrensis usurpavit. Quem Cambrensem latuisse plerosque Iberniorum episcoporum optimos priscos ritus, facilè cognoscet quisque qui vitam S. Wironis (cujus meminit martyrol. Roman. ad 8 Maii) episcopi Dubliniensis in Iberniâ, ab antiquissimo auctore scriptam, et a Laurentio Surio descriptam, et multùm laudatum a Baronio in Annal. ad annum salutis 631, legerit. Nam in illâ videbit Wironem ab episcopis, clero, et populo Iberniæ (sive quod idem, est veteris Scotiæ) electum in antistitem, non in patriâ, aut ab episcopis ejusdem consecratum, sed Romæ a Romano pontifice. " Siquidem," inquit antiquus auctor, " consuetudo est insulæ (Scotiæ veteris) ut qui ibidem a populo et clero eligeretur in episcopum, Romam (si per valetudinem posset) iret confirmandus et consecrandus a suc-

cessore S. Petri." Romæ item fuit a B. Conono papâ consecratus episcopus S. Kilianus martyr, filius regis Iberniæ, et apostolus Franconiæ in Germaniâ, primusque episcopus Herbipolensis, qui unà cum Colonato præsbitero, et Totnano diacono, Ibernis, fuit laureâ martyrii donatus anno salutis 687; quæ omnia fusiùs persequitur partim Baronius, partim Nicolaus Serarius, in notis ad Kiliani vitam, partim Surius, partim alii, ad 8 Julii, quo die festum ejus ponitur in Romano martyrologio.

Ab eodem Romano pontifice Romæ consecratus episcopus S. Plecthelmo, Bedæ, lib. 5, cap. ultimo, (quod minùs verè videtur negâsse Molanus, et cum eo nonnulli alii recentiores) Ibernus et socius S. Wironis, ut videre est in vitâ Wironis ejusdem, apud Surium. Ipse S. Gregorius Magnus Romæ ordinavit episcopum Iberniæ B. Silanum, (Silaum malè alii appellant) qui ex urbe in patriam rediens, miraculis et meritis clarus mortem in itinere incurrit apud urbem Luccam in Italiâ, ubi requiescit, ut constat ex vitâ Silani, quæ passim vulgata est per Italiam, et compendio recitat Philippus Ferrarius, in suo catalogo sanctorum Italiæ, ad 30 Maii.

CAP. XIV.

Referuntur et refelluntur varii errores Guilielmi Camdeni, circa archiepiscopales nonnullas Iberniæ sedes, earumque institutionem.

PESSIME meritus est Camdenus de sanctis Dei, de catholicâ Romanâ religione, de gente et patriâ Ibernorum, quòd mordaci et mendaci stylo, ut Calvinianum hominem decet, sæpè pungit, ut in alio loco dixi. Nunc contentus ero, quando sermo ante inciderat de sedibus metropolitanis insulæ Iberniæ, notare circa easdem, crassiora errata Camdeni, qui eò minùs mereretur veniam, quo audaciùs, nullo nixus teste prisco, se opponat tam iis quæ contra Cambrensem produximus paulo antè, quàm quæ ab ipso Cambro, quem legerat, dicta fuerunt.

Ait igitur Camdenus, pag 706 et 707, in descriptione provinciæ Ultoniæ in Iberniâ: "Melioris notæ inter urbes solummodo est Armach, sedes archiepiscopalis, et totius insulæ metropolis, sed mihi videtur eamdem esse quam Dearmach vocat Beda, (lib. 3 Hist. cap. 4,) et 'Roborum campum' ex linguâ Scoticâ sive Ibernicâ interpretatur, ubi, circa annum salutis 560, monasterium extruxit celeberrimum Columbanus:* quod tandem eodem quasi tempore tum in metropolitanam sedem a Viviano legato † erectum, et a Joanne Curcio in Anglorum potestatem redactum," etc.

In istis Camdeni quot passus, tot lapsus historicos video, ut et ipsum non intelligere, quæ legerit apud Bedam, et parum videri versatum sive in rebus a Viviano gestis, sive in annalibus Anglorum qui multa de Viviano memorant, quod et faciunt generales ecclesiæ annales, ut videre est apud Baronium, tom. 12, ab anno salutis 1167 usque ad 1183. Vult etiam Camdenus primam in Iberniâ sedem

* Non ille abbas Luxoviensis et Bobiensis alioquin Ibernus, cujus diem festum Romana ecclesia posuit ad 21 Novemb.; sed alius abbas Columbanus, qui et Columba, itidem Ibernus, quem colit eadem ecclesia ad 9 Junii.

† Is fuit cardinalis S. R. E. missus legatus in Iberniam, ab Alexandro 3 papâ, anno salutis 1176.

Armachanum primùm triginta quisque circiter annis post adventum Cardinalis Joannis de Paparona ab Eugenio III. missi cum quatuor palliis archiepiscopalibus, habuisse archiepiscopum et factam cathedram metropolitanam. Cæterum Calvinista qui sæpiùs se jactat scientem rerum et antiquitatum Iberniæ, isto loco prodit suam non in Ibernicis sed et in domesticis atque extraneis aliis vulgatis imperitiam puerilem. Sed neque secum consentit Camdenus. In primis cur confundit Armach, urbem amplissimam, quæ tempore S. Patritii constructâ est, (ut videre est in vitâ ejusdem ex Probo, inter opera Bedæ, tom. 3,) cum unico monasterio Dearmach (seu melius Dairmacher) quod Beda, lib. 3 Hist. cap. 4, ait primum constructum a S. Columbâ (qui multis annorum lustris post mortem Patritii natus fuerat) circa ann. sal. 560. Verba Bedæ sunt hæc: "Hic erat autem (Columba) priusquam in Britanniam veniret,* monasterium nobile in Iberniâ, quod a copiâ roborum, 'Dairmach' linguâ Scotorum, (veterum, videlicet, qui sunt Iberni) hoc est, 'Campus Roborum' cognominatur." Itaque, Camdene, non recte ais, Bedam pro eodem accepisse cœnobium illud et civitatem metropolim, nec rectè assecutus es interpretantem "Dairmach," quasi coincidentem cum Armach, sive, ut purè scribendum, Ardmach. Dair sive Dach Ibernis est quercus sive robur, et Macher campus; at "Ard" est altum, sublime, et urbs Ardmacha (sic scribunt prisci omnes et S. Bernardus in vitâ Malachiæ) est sita non in campo sed in colle excelso et amœno, propè quem est lacus Nedagh, latissimus et incolis valde commodus. Darmach, autem est in amplissimâ planitie situm, et lacum nullum respectat, sed circum undique densissimas quercus, unde et a S. Adamnano, in vitâ Columbæ, apud Henricum Canis. tom. 5, lib. 1, num. 5 et 31, et lib. 2, num. 2, et lib. 3, num. 19, nunc appellatur "Dairmach," nunc Roboretum, nunè Monasterium Campi Roboreti, nunc Cœnobium Roboris Campi.

Deinde cur dixit Cardinalem Vivianum in Iberniam missum ab Alexandro III. erexisse urbem Ardmach in metropolitanam, cum constet ex fide B. Bernardi, in vitâ Malachiæ, eumdem Malachiam metropolitanum et archiepiscopum Armachanum fuisse consecratum anno. sal. 1128, id est, quadraginta-octo annis antequam Alexander III. misisset Vivianum in Iberniam; et plurimis annis ante Malachiam fuisse S. Celsum archiepiscopum Armachanum et metropolitam totius Iberniæ? Imò et a tempore S. Patritii, qui 700 ferè annis anterior erat Alexandro III. et Viviano sedem Armachanam fuisse archiepiscopalem et metropolim universæ insulæ Iberniæ. Legistis, Camdene! domesticum tuum historicum antiquum Ro-

* Ad convertendos ex idololatriâ ad Christum Pictos Transmontanos, qui fuerunt majores gentis, quam ætas nostra et patrum appellat natio Scotorum Britanniæ.

gerium Hovedenum, (qui vivebat tempore Viviani et Alexandri III.) in Annalibus ita scribentem: "Anno gratiæ 1151, qui est annus decimus sextus regni regis Stephani, papa Eugenius quatuor pallia per legatum suum Joannem Papyron in Iberniam transmissit, quò nunquam antea pallium delatum fuerat, et in quatuor locis quatuor constituit archiepiscopos, unum apud Armach, alterum apud Cassel, tertium apud Dublin, quartum apud Tuomiam in Conact." At fuerunt duo archiepiscopatus, unus antiquissimus Armachanus, alter recens Cassellíensis fundatus a S. Celso, ut testantur B. Bernardus et Innocentius II. papa, quos citavi capite superiore. Cardinalis autem Paparonia duas alias, nomine Eugenii III. papæ, instituit metropoles de novo, quibus quatuor tamen metropolibus, quatuor pontificalia pallia dedit.

Vel saltem, Camdene, meminisse te oportebat quid ipse scripseris pagin. 692, in descriptione provinciæ Momoniæ, dicens: "Surius nobile flumen, etc., primùm Cassiliam urbem adit archiepiscopali dignitate ab Eugenio III. papâ exornatum, cui novem subsunt suffraganei episcopi." Hæc non consistunt cum tuis verbis de Armach urbe, primùm a Viviano erectâ ad archiepiscopalis sedis dignitatem atque metropolim totius Iberniæ. Nam Eugenius papa viginti quatuor ferè annis antequam Vivianus venisset in Iberniam, vitâ fuerat functus. Et Casselia urbs, non Armach metropolis insulæ totius magis dicenda esset, si illa ab Eugenio, priusquàm ista a Viviano, in archiepiscopalem cathedram erecta fuit.

Cæterum utrobique falleris: neutram ex duabus urbibus erexerat, sive Vivianus sive Eugenius, in metropolim. Sed utrique sedi, jam dudum ante Eugenium creatum papam erectæ in metropolim, contulerat idem papa pallia. Et alias duos novas metropoles erexit, ornavitque palliis.

Causam adventûs Cardinalis Viviani in Iberniam ignoras. Sed eam discere poteras ex tuo Rogerio Hovedeno, ad annum salutis 1176 dicente: "Eodem anno Alexander papa misit Vivianum, præsbiterum, cardinalem, apostolicæ sedis legatum, in Scotiâ et in insulis circumjacentibus, et in Iberniâ, et in Norwæâ (id est, Norwegiâ) ad causas ecclesiasticas audiendas et determinandas, secundum quod Deus ei administraret." Et ad annum 1177: "Eodem anno prædictus Vivianus, tituli S. Stephani in Cœlio monte, præsbiter, cardinalis, et apostolicæ sedis legatus, fuit die natalis Domini in insulâ Man,* cum Gothredo rege, et post Epiphaniam transfretavit in Iberniam, et applicuit apud Dunum urbem, in Uluestre

* Est parva insula sita in medio itinere sive mari oceano distinguente Iberniam a Britanniâ, et a Ptolomæo, Monœda; a Paulo Orosio Juenania, sic enim legendum, non Menania; a Gyldâ sapiente, et a Probo, in vitâ Patritii, Eubonia dicta; cujus longitudo vix triginta milliaria Italica superat, latitudo ubi maxima est quindecem Italicorum milliarium, ubi minima octo.

sive Ultoniâ," etc. Aliam adventûs Viviani causam in Iberniam scribit Neubrigensis, lib. 3, cap. 9, Gyraldus Cambrensis, lib. 2, suæ Vaticin. Hist. sive Expugnatæ Iberniæ, cap. 16 et 17. Sed neque Rogerius neque Neubrigensis aut Cambrensis, aut ullus veterum, neque ex recentioribus Baronius aut alius scriptor indicavit quod Camdenus, nimirum Vivianum erexisse Armach in sedem archiepiscopalem et metropolim totius Iberniæ.

CAP. XV.

Rejicitur gravis error Richardi Stanihursti, dicentis S. Lanfrancum archiepiscopum Cantuariensem in Angliâ, ejusque prædecessores, fuisse metropolitanos omnium Iberniæ episcoporum.

DICEBAM capite 13, Stanihurstum cum Gyraldo Cambrense consensisse in errore quem ex S. Bernardo, Sigeberto, Mariano, Bonifacio, Cogitoso, et aliis refellimus, demonstrando ante tempora cardinalis Joannis de Paparona missi ab Eugenio III. fuisse in Iberniam archiepiscopos metropolitanos. Rectè tamen et verè idem Richardus Stanihurstus, pagin. 256 et 257, reprobat alium errorem Gyraldi scribentis ante illa tempora Cardinalis de Paparona in Iberniâ, "tantùm se episcopos invicem consecrâsse." Cœterum istius reprobationis Gyraldi rationem non bonam, sed et falsam et multùm dignitati ac prærogativæ, ut vocant, priscæ metropolitanæ sedis Armachanæ detrahentem reddit Stranihurstus, istis verbis. "Non semper se invicem consecrabant, nam quandoque illud munus antistes Cantuariensis suscepit, quemadmodum Philippus Flattesburius, vir industrius et antiquitatis summæ studiosus, benè adnotavit. Verba ejus sunt hæc: "Anno Domini 1074, ad Dubliniensis regimen ecclesiæ, S. Lanfrancus archiepiscopus Cantuariensis, (in Angliâ) petente Goderico gege, et Dubliniensis ecclesiæ (in Iberniâ) populo et clero consentientibus et eligentibus, in ecclesiâ S. Pauli, Londinii, Patritium sacravit antistitem, acceptâ prius ab ipso examinato, professione de suâ obedientiâ, more antecessorem suorum, sibi suisque successoribus exhibendâ. Sacratum in patriam unde venerat remisit, dans ei litteras ferendas Goderico regulo, et Tordiluaco maximo regi Iberniæ. Idem etiam Lanfrancus hoc ipsum præstitit anno sal. 1085, Donatum, antistitem Dubliniensem, consecrando." Huc usque Richardus, ex Philippo Flattesburio,* qui multùm in eo errat, quòd dicat inprimis Patritium illum Dubliniensem in Iberniâ archiepiscopum, obedientiam fuisse professum Lanfranco, tanquam videlicet metropolitæ suo. Errat deinde dicens quòd moris erat, ut

* Quem quanti nominis esset scriptor, aut quando vixerit frustra diu sæpè quæsivi in Apparatu Sacro Possevini, in Balæo, et in multis aliis.

antecessores Patritii, antistites Dublinenses, exhiberent obedientiam antecessoribus Lanfranci Cantuariensibus episcopis, illam acceptantibus et exigentibus. Quos errores in injuriam juris antiqui metropolitatanæ sedis Armachanæ cedere, et in diminutionem dignitatis archiepiscopi ejusdem sedis, qui nullum unquam in terris agnovit superiorem, præter pontificem Romanum, quique per 600 annos ante S. Lanfrancum, superiorem egerat et metropolitam tot quot in Iberniâ fuerunt episcoporum, demonstrabo tum ex ipsis litteris Lanfranci, (quæ extant apud Baronium) datis consecrato illi Patritio, ad duos Iberniæ reges, tum etiam ex S. Bernardo et aliis a me citatis cap. 13, tum denique perpetuâ praxi episcoporum Iberniæ, et perpetuo silentio archiepiscoporum Cantuariæ, et ex aliis veterum monumentis. Nonne antè audivimus Bernardum in vitâ Malachiæ asserentem, sedem Armachanam a diebus S. Patritii Ibernorum apostoli, et deinceps semper usque ad adventum Cardinalis Joannis de Paparona, missi ab Eugenio III. anno sal. 1151, fuisse archiepiscopalem et metropolitanam, et omnes Iberniæ episcopos et clerum cum universo populo et regibus insulæ, eidem Armachano antistiti, tanquam legitimo suo metropolitano, subditos fuisse in omni obedientiâ. Quam igitur fingunt Flatterburius cum Stanihursto obedientiæ professionem a Dublinense episcopo, Patritio, factam Lanfranco metropolitano Angliæ, aut cujus nixi syncerâ fide, ausi sunt affirmare Iberniæ episcopos antecessores Dublinienses, solitos fuisse exhibere obedientiam atque profiteri subjectionem antistitibus Cantuariæ decessoribus Lanfranci? Cui qui Lanfranco successit, S. Anselmus aut cœteri qui Anselmum sunt secuti antistetes Cantuarienses, (si metropolitani jura in Iberniam habebant) nunquam ab episcopis Ibernis exceperint aut exegerint professionem obedientiæ? numquid S. Celsus (cujus mentio est in martyrol. ad 6 April.) qui, vivente S. Anselmo Cantuariense, fuit Iberniæ non episcopus tantùm, sed et archiepiscopus et universæ insulæ metropolitanus, (nisi nos fallat verax B. Bernardus) professionem obedientiæ fecerat Anselmo, aut successori Anselmo Radulpho, aut istius successori Gulielmo? Nam S. Anselmus obiit anno salutis 1110; et beatus Celsus, plenus dierum in senectute bonâ, post triginta circiter annos in archiepiscopatu Iberniæ exactos, migravit in cœlum anno salutis 1128. Num S. Malachias, Celsi successor, primas, archiepiscopus, et metropolitanus Iberniæ (ut audivimus ex S. Bernardo et Innocentio II. papâ) metropolitanum suum agnoverit, aut obedientiam exhibuerit archiepiscopo Cantuariensi? Quis unquam scripserit Celsum, Malachiam, aut alios sanctissimos Iberniæ episcopos, qui tunc temporis vivebant,* subjectionem professos fuisse metropolitano Anglorum, archiepiscopo Cantuariæ? Quòd si Cantuariensis scivisset

* Ut fuerunt de quibus Bernardus loquitur, S. S. Malchus episcopus Lismorensis, Christianus frater Malachiæ, Nœmias, Edanus, Gelasius, etc.

partem gregis jure sibi commissæ, fuisse etiam universam Iberniam, cum populo, clero, et episcopis ejusdem, nonne omnimodis restitisset (ut nunquam resistere, aut eâ de re loqui cogitabat) Theobaldus qui immediatè discesserat ante S. Thomam Cantuariensem, anno 1138 aut 1139, Romæ coram Innocentio II. existens, et Romanum pontificem monuisset ne pateretur imminui auctoritatem aut potestatem sedis Cantuariensis, neque permitteret ut S. Malachias, qui Romam ad eumdem Innocentium inerat petiturus pallia pontificalia pro duabus Iberniæ sedibus archiepiscopalibus aut metropolitanis, ut narrat B. Bernardus, impetraret quæ postulabat, neque ferret Innocentius sive eumdem Malachiam sive successores vocari archiepiscopos aut metropolitanos Iberniæ? Et tamen Theobaldus de hâc re tanquam ad se nihil attinente penitùs siluit! Quod etiam et postea fecit quando idem Malachias, mortuo Innocentio II. papâ, secundò ex Iberniâ, per Angliam tenens iter Romam, anno 1148, profectus fuerat ad Eugenium III. papam, pro accipiendis palliis promissis ab Innocentio, ut refert B. Bernardus. Sed et idem silentium tenuerat Theobaldus Cantuariensis, quando post mortem Malachiæ, Cardinalis Joannes Paparona venerat, ab Eugenio tertio missus cum quatuor palliis archiepiscopalibus ac metropolitanis in Iberniam, anno salutis 1151; neque vel tunc, vel antea, aut postea unquam episcopi Cantuarienses ægrè tulerunt aut conquæsti fuerunt, quòd ab ipsorum jurisdictione metropolitanâ in Ibernos (quam ut dicebam nunquam se habuisse in illos sciverunt) iidem essent exempti, sive ab Eugenio III. sive ab Innocentio II. sive ab alio Romano pontifice. Cumque satis constet a plurimis seculis clerum universum Iberniæ, nullum agnovisse in terris, cui canonicam exhiberent subjectionem, præter pontificem Romanum, et patrios metropolitanos, qui audet asserere, illum sive S. Lanfranco Cantuariensi, sive ejus successoribus aut antecessoribus, paruisse debere tanquam metropolitanis, debet ex priscâ probatâque fide probare et assignare, quando, quâ occasione, sub quo Romano antistite ceperint Iberniæ clerus et episcopi esse exempti a subjectione Cantuariensium antistitum: quæ certè scio non posse probari.

Nam quòd gratis affirmant Flattesburius cum Stanihursto, Patritium illum a S. Lanfranco ordinatum episcopum Dubliniensem in Iberniam, professum fuisse eidem obedientiam, more antecessorum suorum, facilè falsitatis arguitur, tum ex veteribus quæ a Laurentio Surio descripta fuerunt monumentis, tum ex fide, verbisque, quæ describam ipsius Lanfranci. Sic scribit antiquæ fidei quispiam, et ex eo, Surius tom. 3, ad 8 Maii, et Baronius, tom. 8, ad annum sal. 531: "Scotia, (de vetere loquitur quæ eadem est atque Ibernia) "fertilis sanctorum virorum, in multorum salutem produxit Wironem (cujus meminit Romanum martyrologium) non infimæ conditionis parentibus ortum, etc. Ecclesia regionis illius pastore orbata fuit; uno omnes animo Wironem sibi pastorem deposcunt, idem

clerus, idem populus postulat, etc.; erat verò insulæ ejus consuetudo ut primò incolæ elegerint episcopum, deinde clerus electum Romam mitterent, summi pontificis manibus consecrandum atque ita demum rediturum ad sedem suam. Itaque licèt multum refragaretur S. Wiro,* non tamen a suâ sententiâ discessit plebs fidelis, sed etiam invitum illum eligens, compulit tandem assentiri, etc. Abiit igitur Romam, etc. Comes illi itineris accedit Plechelmius, sacerdos virtute venerabilis, nec ætate major nec meritis multò minor, etc. Cùm autem per Angliam iter faceret adjunctus illis est Otgerus Levita, etc. Tandem Romam pervenerunt, etc., ubi Romanus pontifex Wironem diu reluctantem ordinat, eumdemque honorem etiam impertiens Plechelmo," etc. Hic adversarie, multa videre potes. Si archiepiscopus Cantuariensis jus metropolitani habuerit in episcopos Dublinienses aut cœteros Iberniæ, num verosimile foret illum passurum fuisse, ut in Iberniâ consuetudo illa mittendi Romam suos episcopos consecrandos vigeret, aut permitteret, ut Wiro per Angliam transiret Romam, ordinandus in Dubliniensem episcopum? Cur non potiùs ad metropolitanum suum Cantuariensem (si Ibernorum metropolitanus erat) ordinandum miserint? Cur Wiro Cantuariensi obedientiam non fuerit professus? et etiam S. Plechelmus Ibernus episcopus Wironis socius? Cur Cantuariensis de Ibernis et Wirone et Plechelmo non fuerit conquæstus apud pontificem Romanum?

Sed præstat audire ipsum S. Lanfrancum, cujus duas epistolas ad Iberniæ reges, missas per Patritium illum, quem consecraverat Dubliniensem episcopum, recitat Baronius, tom. 11. ad annum sal. 1089, postquam egisset de morte Lanfranci, quæ eo anno acciderat, quamvis litteræ datæ essent anno sal. 1074 aut 1075, quo Patritius ordinatus fuerat. Tenor epistolæ primæ sic habet: "Lanfrancus, non suis meritis sed gratiâ Dei archiepiscopus, glorioso regi Iberniæ Goderico salutem cum orationibus." Fuit Godericus rex Lageniæ provinciæ, cujus urbs primaria et regia est Dublinium. "Venerabilem fratrem, ac coepiscopum nostrum Patritium, quem, reverendissime fili, excellentia vestra ad nos consecrandum transmisit, honestè suscepimus, debitis officiis, secundum canonicam institutionem, Sancti Spiritus gratiâ cooperante, sacravimus; sacratum ad propriam sedem, cum testimonio litterarum nostrarum, more antecessorum nostrorum, remisimus. Qui quamvis de gloriâ vestrâ, multa nobis bona multisque laudibus digna retulit, non abs re tamen credimus esse, si prædicanda vestra studia, nostrâ adhortatione pulsemus. Sicut enim ignis, flante vento, clariùs lucet, et major efficitur, sic vera virtus veris præconiis pulchriùs enitescit, et in melius augmentatur. Rogamus igitur sicut rogari oportet pretiosum sanctæ ecclesiæ filium quatenus fidem rectam ab ipso Deo et apostolis ejus

* Quem constat fuisse episcopum Dubliniensem, ut inter alios videre est apud Thomam Bozium, de Signis Ecclesiæ, lib. 22, signo 93, cap. 3. num. 29.

sanctis atque orthodoxis patribus traditam, cum omni mentis sinceritate inviolatam teneatis; fidei congrua opera in quantum vires suppetunt exhibeatis; superbis austeram, humilibus placabilem vestram celsitudinem exhibeatis. In regno vestro non prohibentur homines seu de mortuarum uxorum parentelâ conjuges ducere, alii legitimè sibi copulatas pro arbitrio et voluntate relinquere, nonnulli suas aliis dare, et aliorum infandâ commutatione recipere. Hæc et si quæ sunt alia crimina, propter Deum et animam vestram in terrâ potestatis vestræ corrigi jubete? Talesque vos cum divino adjutorio vestris subditis exhibete, ut et amatores boni, bona amplius diligant, et appetitores mali pravas actiones nequaquam exercere præsumant. Hoc enim facientes, et diutiùs tum rerum temporalium felicitate in terrâ regnabitis. Plura et prolixiùs scripsissem. Sed habetis vobiscum prædictum antistitem vestrum, (Patritium) monasticis institutionibus a pueritiâ enutritum, scientiâ divinarum litterarum strenuissimè eruditum, bonorum operum ornamentis, in quantum, cognosci a nobis potuit, decentissimè ornatum, quem de animâ vestrâ sæpiùs loquentem si intento corde audieritis; audientes ut patri spirituali in his quæ ad Deum pertinent obedieritis; obedientes ea quæ vobis ab eo probata sunt, in arcâ pectoris vestri reposueritis; speramus per misericordiam Dei, quia neque vos perniciosè errabitis, neque subditos vobis in perversarum actionum pertinaciâ stare diu permiseritis. Omnipotens Dominus contra inimicos mentis et corporis baltheo virtutis suæ, excellentiam vestram defendat, et post longam hujus seculi vitam, ad eam quæ finem non habet, feliciter vos perducat."

Hucusque S. Lanfrancus ad Godericum regem, de Patritii Dubliniensis episcopi consecratione et virtutibus, et cum testimonio ordinationis remisso eodem Patritio in patriam. In quibus Lanfranci litteris, nulla syllaba aut indicium apparet, quòd ipse vel metropolitanus esset Iberniæ, aut quòd Patritius ille exhibuerit obedientiam Cantuariensi, tanquam suo proprio pastori ac antistiti metropolitæ, aut quod Lanfrancus ullam ab illo obedientiam exegerit, aut quòd Cantuarienses præsules antecessores in more habuerint acceptare, et suo jure requirere subjectionem ab episcopis Ibernis. Solum illud expressit S. Lanfrancus, se secundum præscripta sacrorum canonum consecrâsse missum a rege Godrico Patritium, "et consecratum ad propriam sedem cum testimonio litterarum," inquit, "nostrarum, more antecessorum nostrorum remisimus." Nonne istâ loquendi formulâ utuntur in suis litteris, qui consecrant alios non subjectos ipsis tanquam "propriis pastoribus," aut, "metropolitanis?" nonne mentionem in litteris fecisset, (ut ex officio debuisset) Lanfrancus de obedientiæ professione sibi tanquam Dubliniensium et Iberniæ reliquæ metropolitano, factâ ab illo Patritio monacho, si vera fuissent quæ finxere vel a fingentibus accepere Flattesburius et Stanihurstus.

Ut quid igitur extra Iberniam miserit rex Godricus consecrandum

Patritium illum ad Lanfrancum, nisi tanquam ad suum pastorem et metropolitam? nonne in Iberniâ ipsâ consecrari debebat idem Patritius ab antistibus Ibernis, si inter eos fuisset cui jure subjectionem debebat? Causam disces partim ex aliis Lanfranci litteris mox recitandis, partim ex S. Bernardo in vitâ Malachiæ, partim aliunde. Nempe prius rex Godericus et prudens ille Patritius sciebant ipso tempore accidisse in Iberniâ horrenda mala, et paucorum culpâ factum, ut et metropolitana sedes Armachana careret tunc legitimo antistite. Nam, violentiâ cujusdam principis, contigit eo tempore, et paucis annis antè viros nobiles sed laicos et uxoratos, sedem illam occupâsse et archiepiscopos se nominâsse; et passim tunc per Iberniam episcopi plerique erant simoniarii, et vix ordines ministrabant nisi pro pretio et pecuniâ, et non a tribus episcopis, ut sacri canones jubent, sed ab uno unus episcopus consecrabatur. Godericus rex proinde et Patritius, tum ne simoniæ labe inquinarentur, tum etiam defectu legitimi metropolitæ in Iberniâ, coacti fuerunt adire regionem exteram, et S. Lanfrancum, ut legitimè et canonicè consecraret Dubliniensem episcopum. Sed audiamus loquentem Lanfrancum ipsum:—

"Lanfrancus peccator, et indignus sanctæ Dorobernæ ecclesiæ* archiepiscopus, magnifico Iberniæ regi Terdelevaco benedictionem, cum servitio et orationibus.†

Nullam Deus majorem terris misericordiam impendit, quàm cùm pacis et justitiæ amatores ad animarum seu corporum gubernacula provehit, et maximè, cùm bonis regibus regna hujus mundi committit. Huic namque pax oritur, discordia rapitur, et ut breviter cuncta complectar, christianæ religionis observantia stabilitur; quod populis Iberniæ divinitus tunc collatum fuisse prudens inspector intelligit, quando Omnipotens Deus excellentiæ vestræ jus regiæ potestatis super illam terram concessit. Tot enim tantaque bona de magnitudinis vestræ erga bonos pia humilitate, contra pravos districtâ severitate, circa omne humanum genus discretissimâ æquitate, frater et coepiscopus noster Patritius narravit, ut quamvis vos nunquam viderimus, tanquam visos tamen vos diligamus, et tanquam visis ac benè cognitis vobis salubriter consulere, et sincerissimè servire cupiamus.

Verùm inter multa quæ placent, relata nobis sunt quædam quæ displicent; videlicet, quòd in regno vestro, quisque pro arbitrio suo, legitimè sibi copulatam uxorem, nullâ canonicâ causâ interveniente, relinquit, et aliam quamlibet seu sibi, vel relictæ uxori consanguinitate propinquam, sive quam alius simili improbitate deseruit, maritali seu fornicariâ lege, puniendâ sub temeritate, conjungit;

* Dorobernum et Cantuaria sunt synonima.

† Fuit iste Terdeluacus, (alias Terentius, cognomento Claudus) rex Iberniæ maximus, ut eum appellat Baronius, et præsidebat Ultoniæ aquilonari provinciæ.

quòd episcopi ab uno episcopo consecrantur; quòd in villis vel civitatibus plures ordinantur; quòd infantes baptismo, sive chrismate consecrato, baptizentur; quòd sacri ordines per pecuniam ab episcopis dentur. Hæc omnia et si quæ sunt similia contra evangelicam et apostolicam auctoritatem, contra sanctorum canonum prohibitionem, contra omnium orthodoxorum patrum, qui nos præcesserunt fieri institutionem, nullus qui sacras litteras vel mediocriter legit ignorat. Quæ quanta in conspectu Dei et sanctorum ejus ampliùs sunt horrenda, tanto studiosiùs vestris sunt sine aliquâ dilatione jussionibus prohibenda, et nisi prohibita corriguntur, districtissimâ terroris vestri severitate punienda. Nullum enim Deo vel majus vel gratius munus affere potestis, quàm si divina et humana debitis legibus gubernare studeatis. Memores igitur divini judicii, quod de vobis commisso regno rationem reddituri istis Deo, episcopos et religiosos quosque viros in unum convenire jubete. Sacro eorum conventui præsentiam vestram cum vestris optimatibus exhibete. Has pravas consuetudines omnesque alias, quæ a sacris legibus improbantur, a regno vestro exterminare studete, quatenus rex regum, et Dominus dominantium cum viderit regiam majestatem vestram præceptis suis in omnibus esse subjectam, servis quoque suis ac fidelibus pro timore et amore ejus mansuetam, inimicis divinæ religionis divino zelo infestam, ipse quoque vos vestrosque fideles clamantes ad se propitiatus exaudiat, hostes conterat, pacemque vobis in hoc seculo stabilem et in futuro vitam æternam concedat." Hactenus S. Lanfrancus Cantuariensis de pietate regis istius, de impietate tam cleri quàm populi, ipsi hoc tempore subjecti, deque occasione profectionis Patritii monachi extra patriam ad Lanfrancum ut ab ipso posset iste ordinari episcopus. Nimirum in patriâ periculum tunc erat ne ordinari posset nisi vel ab uno tantùm, eoque etiam simoniaco episcopo.

In istam horribilem miseriam a Lanfranco indicatam, quasi subitò incidit clerus et populus Iberniæ,* quo tempore Satanas ac si vinculis solutus esset, immanissimè sæviebat, et grassabatur per universas ferme Europæ provincias, nunc ingentia excitando schismata in ecclesiâ; nunc multos antipapas, et imperatores rebellantes adversus Romanum legitimum pontificem instigando; nunc persuadendo principibus laicis ut arrogarent sibi jus in personas et bona ecclesiasticorum; nunc istos et illos ad simoniam exercendam impellendo; nunc sectam sive hæresim Nicolaitorum, id est, nupturientium, atque Salarium sacerdotum, aliorumque clericorum introducendo

* Quæ per quinque aut plura secula priora observantissima fuerat legum canonicarum et christianarum, et viginti circiter annis ante Lanfrancum creatum archiepiscopum, referebat faciem florentissimæ, ut Baronius alicubi loquitur, ecclesiæ, fideique catholicæ tenacissimæ, ut idem scribit ad annum sal. 1053, ex Mariano Scoto teste oculato.

Quibus omnibus, aliisque maximis miseriis infectam fuisse longè majorem Europæ partem, præsertim Germaniam, Galliam, fusè persequitur Baronius, tom. 11; ubi etiam narrat, ut ad compescendam tunc latissimè vagantem licentiam Nicolaitarum, sparserit S. Petrus Damianus, cardinalis, librum quem inscripsit Gomorrheum; et alii, ad reprimendos simoniacos, quorum plena erant omnia penè loca, alios libros; atque Sathanas illis annis persuaserat Ibernis ecclesiasticis, ut aliis nationibus in simoniacis contractibus nihil cederent, et a laicis Ibernis impetravit, ut nunquam antè auditum in ecclesiâ christianâ conjugiorum legitimorum contemptum, et consuetudinem luxuriæ exercendæ ad libitum atque impunè cum quibuscumque ferè feminis tentarent introducere in orbem; quæ consuetudo tam diu ab ipsis annis in Iberniâ duravit donec S. Malachias illam extirpare ceperit, circa annum sal. 1124, ut pluribus narrat S. Bernardus, et ex eo, Baronius.

CAP. XVI.

Falli Cambrensem fingentem multiplex jus Henrici II. Anglorum regis in insulam Iberniam, quam per se et per suos invaserat.

NEGANDUM non est Joannem Anglorum regem et filium Henrici II. postquam, circa annum sal. 1210, novâ classe 500 fermè navium, adortus fuerat et compresserat Ibernos, qui illius imperium detractaverant, legitimum jus in Iberniam fuisse consecutum; præsertim quòd insulæ principes pactis cum Joanne initis, ipsi tanquam domino sese submiserint. Quamquam et probabile videatur nonnullis, legitimum jus Iberniæ translatum in Anglos, primùm cœpisse anno sal. circiter 1185, quo, post multas altercationes Henrici II. cum Romanis pontificibus circa Iberniam, quam armatâ manu invaserat, visum fuit Urbanum jus dominii in eamdem insulam conferre Joanni filio Henrici, adhuc in vivis agentis et regnantis, ut indicat Rogerius Hovedenus Anglus, ad annum 1185, ubi narrat Urbanum eodem anno "in argumentum suæ voluntatis misisse coronam de pennâ pavonis auro contextam, ut coronaretur de regno Iberniæ, quem vellet Henricus de filiis suis." Volunt autem hunc fuisse Joannem, natu minimum, ut ad annum 1187, Rogerius: "Post Natale Domini, Urbanus papa misit in Angliam Octavianum S. R. E. sub-diaconum, cardinalem, et cum eo Hugonem de Numant, quibus ipse commisit legationem in Iberniam ad coronandum ibi Joannem filium regis. Sed dominum rex coronationem illam distulit, et tamdiu, donec rex, jam moriturus anno 1189, cum certè intelligeret Joannem fuisse ex primis qui conspiraverant ad arma adversus suum eumdem Henricum patrem capienda, ipsum suâ irrevocabili maledictione ferierit, ut refert Rogerus, qui hisce istis diebus vixerat et aulicus erat Henrici et filiorum.

De jure igitur Joannis regis, aut posterorum ipsius in Iberniam absit ut multùm litigem aut loquar. Sed de injusto jure Henrici II. patris, cogit me manifesta et multiplex adulatio partim, partim mendacia, partim imperitia, aliique crassi errores Cambrensis, ut non sileam, sed æquis lectoribus absque convicio illum prodam quàm parum pensi habuerit, quid dixerit, scripserit, aut quàm verè

vel constanter, dummodo placere posset, quibus pro tempore voluit, et gentem Ibernorum ab Henrico spoliatam libertate priscâ, et exutam patriis sedibus, merito jureque ita punitam pronuntiaret, et jure spoliatam cuperet ab omnibus credi. Quam tamen Iberniam occupatam fuisse ab Henrico II. non alio jure quàm tyrannico, neque absimile ab illo quo Turcæ vel Tartari occupant, quos solo jure gladii et virium, vel prædonum, invasere provincias christianorum demonstrabo, cùm ex oculatis testibus, tum penè innumeris aliis argumentis perspicuis, etiam et ex ipsius Henricii regis confessione, factis, consilio, artibus, ex actis et responsis summorum pontificum, et legatorum cardinalium, ex ipsis Anglorum annalibus. Nunc universim nosse satis esse videtur, quod scribit auctor Auctarii Aquicinctini ad Chronica Sigeberti, emendata per Aubertum Miræum; qui auctor ait se coram spectâsse plurima ex iis, quæ accidisse narrat ab anno sal. 1163 usque ad annum 1200. Postquam ergo retulisset S. Thomam Cantuariensem, archiepiscopum et martyrem, neci fuisse datum culpâ Henrici, de eodem in hæc verba ait ad annum 1172: "Henricus rex Angliæ ultra se elatus, inconcessa captans, et affectans indebita, regnum Iberniæ subjugaturus, et regium diadema, ut putabat, capito suo impositurus, naves parat, militesque de suo regno congregat, et ingressus Iberniam." Et Guilielmus Neubrigensis, Anglus,* lib. 3 Rerum Anglic. cap. 9, ita scribit: "Henrico rege in Angliam (ex Iberniâ captâ) reverso, prefecti militum ad subactæ provinciæ regimen ibidem ab eo relicti, vel prædæ vel gloriæ avidi, commissos sibi fines paulatim dilatabant. E quibus unus, scilicet Joannes de Curci, sibi equitum peditumque manu validâ illam Iberniæ provinciam, quæ a regno Scotiæ angusto freto sejungitur, et Ultstiria† nuncupatur, hostiliter invadendum putavit. Forte illuc venerat Vivianus, vir eloquentissimus, apostolicæ sedis legatus (anno sal. ut ex Rogerio Anglo audivimus, 1177) susceptusque honorificè a rege et episcopis ejusdem provinciæ in civitate maritimâ quæ Dunum vocatur,‡ pro tempore morabatur. Hostium autem adventu præcognito Ibernienses consuluere legatum quidnam in tali articulo esset agendum: qui pugnandum pro patriâ dixit, et pugnaturis cum obsecrationibus benedixit. Hoc modo animati audaciter in prælium ruerunt, sed a loricatis sagittariis facile oppressi terga verterunt. Capta est ergo civitas Dunensis. Porrò legatus Romanus, cum suis, refugit in ecclesiam sanctorum reliquiis

* Qui ut ipse ait, egerat ætatis annum trigesimum sextum, quo tempore Iberniam invaserat Henricus II, cui multùm favebat, inquit, Thomas Stapeltonus adversus B. Thomam Cantuariensem.

† Sic enim legendum, non corrupte Uluestitia. Ultonia autem idem sonat atque terra Ultonum sive Ultoniensium, quam Ultoniam vulgò vocamus.

‡ Hæc fuit urbs natalis illius Scotistarum principis, et Franciscanæ familiæ religiosi hominis, quem vocant Joannem Duns, cognomento "Doctorem Subtilem," notum in scholis theologorum sub nomine Scoti.

inclytam. Providerat enim sibi homo prudens, et præ manibus habebat regis Anglorum litteras ad præfectos ejus Ibernicos, ut eorum tutus suffragiis legationis suæ munus impleret. Hâc auctoritate pacem et securitatem accipiens, Dublinium, (regia est urbs Iberniæ) migravit, et sub nomine vel domini papæ, vel regis Anglorum fiducialiter agens, convocatis Iberniæ præsulibus atque abbatibus generale concilium celebravit. Verùm cum in ecclesiis simplicitatis barbaræ, liberiùs agere morem vellet Romanum, denuntiantibus præfectis regiis ut vel absccederet vel secum militaret, auro Ibernico, quod multum sitierat, minimè onustus in Scotiam remeavit. Porrò Joannes de Curci cum suis, qui Dunum et fines ejus ceperat, a regibus Iberniæ frustra oppugnatus, expugnatâ Ardmachâ (ubi dicitur esse prima sedes Iberniæ propter honorem S. Patritii et aliorum indigenarum sanctorum, quorum ibidem sacræ reliquæ requiescunt) totam provinciam illam subegit." Hactenus Neubrigensis, qui tamen noscitur fuisse, ut eum vocat Stapeltonus, monachus aulicus adulator suorum regum, carptor summi pontificis, et cardinalium, infamator nationis Teutonicæ, Scotiæ, Britanniæ sive Walliæ, et homo minimè propitius genti Ibernorum, quam contemptui habebat; nihilominus in favorem juris Ibernorum, in defendendis sese, suamque libertatem et patriam adversus injuriam illis ab Henrico II. Anglorum rege suisque præfectis atque militibus illatam, vi veritatis cogente, necesse habuit idem Neubrigensis testari, Ibernos tunc auctoritate et consilio Cardinalis Viviani legati apostolici in Iberniam missi ab Alexandro III. papâ, sumpsisse arma in hostem regem Henricum, pugnâsse pro patriâ Iberniâ adversus eumdem, qui tyrannicè illam subjugare tentaverat, et jam magnam partem subegerat et regionem ante aliquot annos, armis vexare atque occupare ceperat.

Extat apud Laurentium Surium, vita S. Laurentii, archiepiscopi Dubliniensis in Iberniâ, (cujus festum in Romano martyrologio ponitur ad 14 Novembris) filii regis ejusdem Iberniæ, qui cum inter mortales viveret, oculis vidit quam tyrannidem et stragem in Ibernos exercuerint, qui ipsorum patriam Iberniam invaserunt Angli sub rege Henrico II.; quo graves molestias et injurias fuerat passa prædixit idem S. Laurentius, qui quater aut quinquies pro pace suæ gentis legatum egerat apud Henricum. In vitâ illâ B. Laurentii, præsertim cap. 17, 18, 31, legitur Anglos, qui sub Henrico Iberniam expugnârunt, illam invasisse per injuriam, prædonum et vastatorum more, et jure non absimili ab illo quo Chaldei tempore Jeremiæ expugnârunt Hierosolymam, regem verò Anglorum Henricum tanquam tyrannum et crudelem se gessisse erga Ibernos. Refert etiam Cambrensis, lib. 1. Vaticin. Historiæ, sive Iberniæ Expugn. cap. 22. et 24 ejusdem, S. Laurentium archiepiscopum per litteras et aliis multis modis excitâsse universam ferè Iberniam, et principes aliquot

vicinos amicos, ut unanimes arma expedirent, et meritas pœnas sumerent de "latrunculis,"* qui conabantur Ibernos et libertate et patriâ exuere.

Hæc isto loco universim dicta satis videntur, ut notitia aliqua habeatur de apertâ injuriâ, quâ Henricus II. Iberniam conquisierat. Specialia testimonia postea proferemus, cùm sigillatim refutaverimus quæ Camber de jure expugnationis ab Henrico factæ aut finxerit aut ab aliis conficta approbaverit. Quinque partito autem jure idem Cambrensis loquitur, jure Iberniam pertinere ad Henricum regem Anglorum, nimirum duplici vetere, et triplici novo jure, conatur suadere suo lectori in 3 distinct. cap. 8 et 9, et lib. 2 Vatic. Hist. cap. 6, 7, et 32, quæ omnia summatim his verbis perstringit: "Cessent invidi, cessent ampliùs obstrepere, Anglorum reges nullo Iberniam jure contingere, et discant, eos adhuc innitendo quinque partito pariter se jure tueri; qùippe Gurguntium Belini filium et Britanniæ regem a Daciâ cum triumpho redeuntem, Basclensium classem apud Orcades, inventam, viæ ducibus eis adhibitis primò in Iberniam indigenis vacuam transmisit, et eis ad inhabitandum concessit,† sicut Britannica testatur historia;‡ quæ etiam testatur famosum illum Britanniæ regem Arturum§ Iberniæ reges tributarios. Præterea, urbs Baionensis, quam hodie nostra continet Gasconia,¶ Blasclonise caput est, unde Ibernienses provenerant.‖ Item cum juri suo renuntiare liberum sit cuilibet, his tamen hodie nostris diebus Anglorum regi Henrico, omnes Iberniæ principes firmis fidei sacramentique vinculis, se sponte et ultrò submiserunt, et quod solum sufficere posset ad perfectionis cumulum, et absolutæ consummationis argumentum, summorum pontificum qui insulas omnes sibi speciali quodam jure vindicant, totiusque christianitatis principatum et primatum, accessit auctoritas. Ex quibus liquidò apparet, Anglorum regem et gentem non tantâ injuriâ insulam Iberniæ intrâsse quantum imperiti somniant."

Hucusque summatim Gyraldus, cujus pueriles illas nugas de Arturo, de Gurguntio, de Basclensibus, de nescio quibus juribus antiquis, et ante bis aut ter mille annos pactis a regibus Britanniæ adversus Iberniam, etc., non refellam pluribus, eo quòd refutationem non mereantur, sed risum, ut et reliquæ ridendæ, quas nominat Britonum historia; inter quisquilias recensitam non a Neubrigense

* Sic Anglos illos invasores appellavit B. Laurentius, teste Richardo Stanihursto, qui lib. 3. pag. 113. et 114, consentiens cum Cambrense ista pluribus persequitur.

† Circa annos, videlicet, 800 aut 1000 antequam Deus ex virgine nasceretur in terris.

‡ Nimirum illa quam vulgavit notissimus doctis omnibus fabulator Galfridus Monumethensis, cognomento Arturus et Assaphensis.

§ Quem nunquam natum fuisse nisi in fabulis demonstravit Neubrigensis et Genebrardus.

¶ Nempe annis Gyraldi Cambrensis, Henricus II. dominabatur Gasconiæ, Aquitaniæ.

‖ Videlicet, 800 aut 100 annis ante Incarnationem Christi.

et Genebrardo tantùm, sed a quibuscumque vel mediocriter doctis aut cordatis viris, ex quibus Alanus Copus Anglus illam vocat, "Lucianicas," aut "Ovidanas fabellas;" Aubertus Miræus, et alii "purgamenta," "quisquilias," "aniles narrationes." Refutabo proinde duo tantùm capita illa, quæ Cambrensis multùm exaggerat et urget. Alterum quòd Henricus bono jure aggressus sit Iberniam, et ab omnibus ejusdem insulæ principibus ultroneam atque spontaneam deditionem et fidelitatem sacramento firmatam accepit a Romano pontifice Adriano IV. natione Anglo. Diutius autem aliquanto in istis Gyraldi duobus figmentis refellendis immorari necesse habeo, quòd non ante multos annos, Richardus Stanihurstus, a quibusdam pro perito priscæ historiæ habitus, cùm junior esset, majore cum facundiâ et eloquentiâ, quàm veritate in suis tribus postremis libris, de Rebus in Iberniâ Gestis non aliud videatur ferè agere, quàm fabellas illas confirmare, et Cambrensem, (quem mirè a doctrinâ, a diligentiâ, a gravitate, ab historicâ sinceritate deprædicat, suspicit, et laudat,) elegantiore Latinâ veste ornare, et lectoribus omnibus tanquam absolutum egregii scriptoris historici speculum commendare.

CAP. XVII.

Infamem videri ac prorsus ipso jure irritum, juris primarium titulum quem Cambrensis asseverat Henricum II. habuisse in insulam Iberniæ, quam armis expugnârat. Hunc titulum ait fuisse spontaneam subjectionem Dermicii regis Lageniæ factam et exhibitam Henrico II. Anglorum regi.

Nulla veterum quæ videre licuit, monumenta prodiderunt magis sinceram, stabilem, diuturnam, sanctamque amicitiam viguisse inter diversarum regionem homines, quam olim per quinque et ampliùs continua secula vigebat inter christianos Ibernos et Anglos. Quos adeo arctis amoris mutui et officiorum assiduorum vinculis constrictos inter se fuisse testantur, cum venerabili Bedâ, historici alii, ut utrosque ex uno ventre fætus fuisse effusos, aut sacramento fovendæ fraternitatis firmissimæ vicissim utrinque ligatos, non absurdè conjectares. Semina tam sanctæ societatis in utramque gentem tum primum jacta fuerunt, quando circa annum sal. 617 sex filii regis Northumbrorum Anglorum Edilfridi,* cum ingenti numero nobilium et inferioris fortunæ hominum illis adhærentium refugium quæsierunt et invenere in Iberniâ, ubi per octodecem ferè annos pro dignitate habiti erant, et sacrâ christianorum religione atque baptismate initiati fuerant. Inter quos sex Elfridi filios, fuit S. Oswaldus, martyr et rex, (cujus ponitur dies natalis in Romano martyrol. ad 5 Aug.) successor Edwini: qui Oswaldus memor humanitatis et beneficiorum, quæ exul expertus erat apud Ibernos, cùm postea rediret ad paternum regnum, primam voluit suam esse curam, ut ex Iberniâ adscisceret episcopos et doctores, qui Northumbrorum nationem docerent idololatriam detestari, et christiana sacra amplexari: quod et feliciter factum fuit, misso ex Ibernia sanctissimo episcopo Aidano (quem Romanum sanctilogium colit ad 31 Aug.) primo Lindisfarnensi, Finano, Colmanno et aliis divinæ fidei præceptoribus plurimis, qui universam gentem Northumbrorum, Merciorum, et aliorum Anglo-Saxonum, ad Christi gregem ex ethnicâ superstitione aggregaverant.

Neque his pro salute Anglorum impensis assiduè laboribus contenti

* Occisi ab Eduino, qui postea factus fuit primus Northumbrorum christianus rex.

fuerunt Iberni, sed pro jam conversis ad christianam fidem Anglis, paraverant in Iberniâ multa cœnobia et collegia ubi gratis alerentur, et in optimis quibuscumque scientiis ac disciplinis unà cum pietate instituerentur, qui quotidie ex Angliâ, discendi gratiâ et majoris perfectionis in religione christianâ atque in monasticæ vitæ instituto consequendæ causâ, confluebant in Iberniam, ubi maximè temporibus illis florebant studia litterarum atque cœnobiticæ observantiæ; ex quibus Anglorum in Iberniâ collegiis prodiere examina sanctorum atque doctissimorum hominum, qui et suam et aliorum patriam plurium illustraverunt, inter quos fuere SS. Egbertus (cujus fit mentio in Romano martyrologio ad 24 Aprilis), Wilibrordus (ad 7 Novembris) Hunialdus albus martyr, et alii octo qui numerantur inter apostolos Belgii. Ipsi etiam Anglorum reges qui in juventute veniebant, et aliquot annis hærebant in Iberniâ, gratiâ discendarum litterarum atque pietatis majoris, quemadmodum de Alfrido Northumbrorum rege sancto refert Beda. Sed et Iberni plurimi istis et sequentibus seculis mittebantur in Angliam ad jacienda fundamenta monasticæ vitæ, et ad gymnasia, scholasque publicas passim instituendas. Inter quos fuere S. Maldulphus, præceptor B. Aldelmi, (quem Romana ecclesia colit) et fundator monasterii quod primum Maldulfberii deinde Malmesberiense dictum fuit. Joannes, item cognomento Erigena, qui præceptor fuerat filiorum regis Alfridi et martyrio tandem coronatus in eodem cœnobio Malmesberiense circa annum sal. 833. Viris præterea et feminis sanctissimis olim referta fuit Anglia ubi variis in locis erexerunt monachorum et monialium sacras ædes, et colere deserta docuerunt Anglos eremitas. Ex quibus Ibernis, qui Anglorum provincias vitâ, morte, meritis, et miraculis illustrarunt, et inter cæteros Angliæ singulares patronos recensentur, sunt nominatim isti; SS. Aidanus, Finnanus, Colmanus, Cutbertus, (Lindisfarnenses episcopi); Ceolach, Diuma, Asaph, Tuda (episcopi); Albinus, Columbanus, Piranus (eremitæ); Adamnanus, Coludius, Botulphus, Dicullus, Gobanus, Fursæus, Foilanus, Ultanus, Maldulphus, (abbates); Joannes Scotus, cognomento Erigena, martyr; Indractus et ejus soror Drusa cum aliis novem Ibernis martyribus; Bega, Buriena, Iva, Modwena (virgines abbatissæ): denique, ut alios taceam, Gulielmus Camdenus. Anglus, Calvinista, Ibernorum nomini infensus, non tacuit quot, quantis, et quanto tempore natio Ibernorum beneficiis atque sincerissimi et christiani amoris innumeris officiis obruerit, dicens: "Primis his temporibus,* viri sanctissimi hìc† Deo invigilârunt et præcipuè Iberni, qui adolescentes pietate artibusque ingenuis instruebant. Solitariam enim vitam amplexi sunt, ut majore cum tranquillitate sacris litteris vacarent, et severo vitæ genere ad crucem proferendam se exercerent." Et idem Cam-

* Id est, ab Anglorum conversione ad Christum, usque ad dies S. Dunstani Cantuariensis archiepiscopi, qui circa annum sal. 1000 migravit in cœlum.

† Sermo erat de celeberrimo totius Angliæ cœnobio, Glastoniense.

denus in descriptione Iberniæ sic scribit: "Anglo-Saxones etiam nostri illâ ætate in Iberniam tanquam ad bonarum litterarum mercaturam undique confluxerunt. Unde de viris sanctis sæpissimè in nostris scriptoribus legitur,

"Amandatus est ad disciplinam in Iberniam,"

et in Sulgeni vitâ, qui ante 600 annos floruit,

"Exemplo patrum commotus amore legendi,
Ivit ad Ibernos sophia mirabile claros."

Ab Ibernis Saxones rationem formandi litteras accepisse videntur, cùm eodem planè charactere usi fuerint qui hodie Ibernicis est in usu." Similia et majora refert Beda, lib. 3. cap. 1, 2, 3, 4, et sequentibus, præsertim cap. 27, et lib. 4. cap. 4, et lib. 5. cap. 23. Ista Ibernorum adversus Anglos amicitia et sincera fraternitas, cœpta circiter 600 sal. annum et producta per 550 annos deinceps, intemerata permanserat, donec Henricus II. rex Anglorum immanibus aliis sceleribus quæ adversus Alexandrum III. papam; adversus universum statum ecclesiasticum Angliæ; adversus S. Thomam Cantuariensem, archiepiscopum admiserat, ex malo in pejus proficiens, pacem pertubârit, amicitiam veterem utriusque gentis in odia, bella acerbissima, cædes, incendia, et penè implacabile dissidium converterit, et ex Ibernis liberis, servos, ex amicis, viles vermes ipsi sub tributo parentes facere voluerit; captâ occasione ex defensione cujusdam Iberni exulis hominis, qui noscitur pene a puero fuisse et vitâ Sardanapalicâ, et conversatione inhumanus et in regendis subditis (nam vir erat nobili sanguine et regulus unus ex multis Iberniæ) tyrannus, et propter horrenda fædissimaque flagitia, præsertim bestialia quæ assiduè patraret, violando, violentè rapiendo, et in domum suam secum ducendo, diuque retinendo reginam uxorem legitimam vicini regis, unanimi, universæ Iberniæ cæterorum regum, principum nobilium et populi consensu et suffragiis, primùm exutus omni jure regali, deinde spoliatus possessione regni, et manu armatâ cunctorum Iberniæ indigenarum, tanquam infamis homo actus est in exilium circa annum sal. 1167; quo se recepit miser ad Henricum II. regem Anglorum. Qui auditâ querelâ exulis,* fecerat ipsi spem et si credimus Cambrehsi et Stanihursto, promiserat subsidium militum, et omnem spem quòd rursum armatâ manu posset in regium paternum restitui, eâ lege tamen, ut exul, dominum suum, Henricum agnosceret, et sacramento subjectionis atque fidelitatis sese astringeret tanquam feudatarius regi Anglorum. Quod fecisse exulem aiunt,† ut et paucis post diebus, dum adhuc in exilio esset

* Quem nescire poterat jureque privatum publicè fuisse omni pristino jure regio in Iberniâ, et satis Henrico, ut et reliquis Iberniæ principibus notum fuit eamdem universam insulam, cum omnibus suis provinciis speciali jure pertinuisse etiam in temporalibus ad patrimonium S. Petri et successorum ejus Romanorum pontificum.

† Nam fides facti penes duos istos est Cambrum, videlicet, et Stanihurstum.

ille infamis, eumdem, inscio rege Henrico, jus paterni in Iberniâ regni transtulisse tanquam in successorem suum in quemdam Anglum Henrico infensum, nomine Richardum, comitem Pembrocensem famulum ejusdem Henrici. Cui comiti exul promiserat in conjugem dare unicam filiam suam et cum eâ dotem, jus regni amissi. Cùm comes nihilominus non ignoraret exulem habuisse alios hæredes legitimos masculos suos filios, quos nullo jure illi exhæredare licebat, ut neque licebat ex legibus Iberniæ, transferre jus regium in feminam. Aiunt iidem Camber et Stanihurstus dementissimum exulem eumdem (Dermicium nomine) insciis et Henrico et Comite,* denuo jus regni paterni, unà cum eâdem suâ filiâ in conjugem obtulisse aliis Anglis, qui pollicebantur misero opem. Quæ tandem cùm Henricus rex intelligeret, furore accensus, quòd et alii cum ipso, non inscio se tantùm sed invito, et adversus regia mandata,† cum manu armatâ in Iberniam comitarentur et reducerent exulem non in patriam tantùm, sed et pugnantibus cæteris Iberniæ principibus, restituerent in solium paternum (quo tamen redux exul vix paucis mensibus morte oppressus, frui licebat) in quo, non multò post comes, cum conjuge, filia Dermicii, sedere jam parârat. Minas novas Henricus rex intentat comiti et sociis, quos inprimis rebelles suo regi pronuntiat, et iniquos alieni regni invasores, et pacis publicæ turbatores. Deinde jubet publicari ipsorum in Angliâ possessiones aliave jura et bona. Demum capitalem in illos sententiam tanquam in reos lesæ majestatis ferri mandat, nisi quàm primùm et Iberniam deserant, et indigenas non ampliùs armis vexent, et quas illis urbes, villas, aliasve terras abstulerant, restituant, sinantque Ibernos frui et pace, et libertate, et possessionibus patriis pristinis. At comes et socii prædones Angli, misso ad Henricum‡ legato, submiserunt se suo imperio et mandato, unàque eidem tanquam domino resignârunt quas possessiones, urbes, oppida, aut dominia acquisierint in Iberniâ. Quæ cùm gratis auribus exciperet Henricus, trajecit nihilominus cum eâdem classe suâ in insulam, ubi acceptis in potestatem suam possessionibus predonum præfatorum, terrore armorum coegerat multos Ibernorum principes ad se venire, et ab armis abstinere, et sceptro Anglorum submittere sese. At iidem principes tametsi non audentes resistere adeo armatæ potentiæ tanti regis, qui ab alienis, "pacem pugione," ut est in proverbio, petebat, et obedientiam exigebat, responderunt, se regi reverentiam debere, et nolle repugnare tantæ ejus potentiæ, subjectionem

* Qui jam sponsalia cum filiâ Dermicii inierat, et promiserat idcirco se, etiam invito suo rege Henrico, si opus esset, cum milite et classe in Iberniam trajecturum ad restituendum Dermicium in sedem avitam.

† Quæ sub pœnis gravissimis eumdem comitem et socios prohibebant, ne vel se adjungerent, vel suam operam, opem aut militem promitterent præstarentve Dermicio.

‡ Jam cum classe 500 circiter navium veniente in Iberniam ad exturbandos inde, ut dicebat, vastatores et prædones prædictos.

verò et fidelitatem se nulli in terris domino debere, nisi Romano pontifici, et sedi apostolicæ, ad quam spectabat speciali jure dominium supremum temporale totius Iberniæ; absque cujus Romani pontificis jussu nemini Ibernorum principum licebat obedientiam præstare alienæ gentis et regni regi. Itaque se, inconsultâ sede apostolicâ, non posse, etiam si vellent, juri suo et libertati cedere, aut Henricum tanquam legitimum Iberniæ dominum agnoscere. Cæterum Henricus, qui volentibus imperare malebat quàm invitis, tametsi jam se dominum Iberniæ putabat, qui et jure gladii maximam insulæ partem in manu haberet, et plurimos insulæ reliquæ principes, metu incumbentis ipsorum cervicibus gladii ejusdem, coegerit sese ipsi sistere et venerari; quippe non minus juris in illam præsertim Iberniæ provinciam quam exul Dermicius habebat, et in comitem Richardum transtulerat, sub nomine dotis filiæ, illi in conjugem datæ, nihilominus ut fucum faceret, et crederetur per Europam, se non per injuriam imperare velle Ibernis, aut reliquam ipsorum patriæ partem magnam, quam terror armorum Henricii nondum exterruerat, armis velle debellare, cùm probè nosset se jus legitimum nullum in Ibernos consequi posse, nisi consentiret Romanus pontifex, omnia tentat Henricus ut sedes apostolica consensum præbeat, et pronuntiet jus dominii secundarii, et feudalis in universam Iberniam concedi, et deinceps competere eidem Henrico et successoribus in sceptro Anglorum. Quod jus a Romano antistite regi Henrico concessum fuisse mentitur Cambrensis, ut mox videbimus. Hæc sincera et summatim recitata causa est expugnationis Iberniæ ab Henrico II. rege Anglorum factæ et juris quod in Iberniæ imperium acquisierat, quod jus quàm inusitum fuerit, facilè quisque videt; nempe primarium jus non aliud habuit, quàm quod reliquum fuerat infami illi Dermicio exuli, legitimèque exuto omni jure regio (quod antè habuerat in partem Lageniæ unius ex pluribus provinciis Iberniæ) conspirantibus primùm in damnationem nefandi ejusdem Dermicii, qui honorem et uxorem vicinæ regis violârat, universis Ibernorum regum, dynastarum, et nobilium suffragiis, deinde eorumdem armis ad expulsionem bestialis hominis a patriâ, quam tanto dedecore affecerat. Jus porrò Dermicii jam jure privati sceptro paterno nullum revera restabat, quod in Henricum II. transferre poterat, et etiamsi exuto adhuc Dermicio non fuisset quidquam paterni juris detractum propter injuriam ab illo illatam vicino regi et violationem uxoris ejusdem, nihilominus titulo juris Dermicii nullum jus prætendere poterat Henricus, aut comes Richardus, Anglus in ullam Iberniæ partem aut angulum. Nam Dermicius fuerat feudatarius Romanæ ecclesiæ, sine cujus præside papâ conscio et consentiendo non licebat illi jus in Lageniam concedere extraneo illi principi, aut Henricum pro domino agnoscere. Quod autem egerat Dermicius in exilio, aut post reditum in patriam, factum fuerat sine consensu papæ, quem ille non consulerat, sed neque Henricus, nisi aliquot annis post

mortem Dermicii vitâ functi, antequam idem Henricus cum classe veniret, et invaderet Iberniam. Nullo etiam jure poterat Dermicius (si quid juris reliquum habebat) hæredem suum designare sive suam filiam, sive comitem Richardum conjugem ejusdem, sive Henricum regem, nam, ut ante monueram, feminæ jure antiquo Iberniæ non sunt capaces hæreditariæ successionis in imperio; et filiam Dermicius non poterat prætermisso filio uno legitimo Cornelio nomine sive Cnochurio (et alio etiam filio Donaldo, quem alii legitimum, alii naturalem Dermicii volunt) instituere hæredem, aut regnum ipsi ut dotem dare, jure successionis et regni, sine causâ privando promogenitum suum Cornelium adhuc viventem, postquam Richardus Comes sororem illius acceperit in uxorem.

Nihilominus Gyraldus Cambrensis multùm contendit, vel his maximè titulis jure optimo fuisse Iberniam occupatam ab Henrico II. videlicet quòd Dermicius exul eumdem agnoverit, et fidelitatem ei promisit tanquam domino, quòd Henricus jus acquisierat in illas urbes, regiones, et provinciam Lageniæ, partim armis Richardi comitis et sociorum expugnatam, partim donatione Dermicii ipsis concessam, partim ab eodem Dermicio comiti traditam titulo dotis, quòd idem Henricus sacramentum fidelitatis et spontaneæ subjectionis acceperit ab omnibus Iberniæ principibus, exceptis Ultoniæ provinciæ solius.

Verba ista Cambrensis, crebrò, prolixèque de jure Henrici in Iberniam loquentis hic compendio dabo (neque enim illius omnia verbatim describo) ut judicet æquus lector de exiguo inconstantis Cambri judicio, de nullo Henrici jure in Iberniam, quod tantopere Cambrensis urget, laudat, et modis omnibus stabilire conatur. Quæ verba ideo libentiùs pono, quòd ad evertendum Cambrensem et fabulas ejus vix video aptiora, quàm eadem illamet, absurditate, atque inconstantiâ aspersa. Sic in summa scribit, lib. 1, Vaticin. Hist. cap. 1: "Dermicius Laginiensium princeps ab ineunte ætate, regnique sui novitate, nobilitatis oppressor existens, in terræ suæ magnates gravi et intolerabili tyrannide sæviebat. Accessit et aliud incommodum. Roricii Medensium principis in remotas partes expeditionis causâ profecti et absentis, uxorem interea violârat, et in domum suum Dermicius rapuerat, ac diù detinuerat. Roricius reversus graviter perculsus dolore perpessi damni, sed longè magis dedecoris, totum se in vindictam comparavit. Convocans igitur tam proprias quàm vicinarum gentium vires, Conactensium quoque principem et totius Iberniæ tunc monarcham ad idem animavit Rodericum. Considerantes autem Laginienses principem suum Dermicium in arcto jam positum, et hostium cuneis omni ex latere circumseptum, dissimulatas diu injurias ad vindicem animum revocantes, cum hostibus unanimes effecti eumdem Dermicium, majores in hâc gente (Lageniensium) simul cum fortunâ reliquerunt. Videns Dermicius se a suis subditis omnibus desertum, et undique universis

Iberniæ viribus se peti, in fugâ et exilio præsidium ponit, navigioque quàmprimum desertâ patriâ, pervenit ad Henricum II. regem Anglorum. Qui auditâ tam exilii quàm adventûs causâ, susceptis a Dermicio tam subjectionis vinculo, quàm fidelitatis sacramento, litteras ei sub hoc tenore patentes indulsit. "Henricus rex Anglorum, dux Normanniæ et Aquitaniæ, et comes Andegaviæ universis fidelibus suis Anglis, Normannis, Wallensibus, Scotis, cunctisque nationibus suæ ditioni subditis, salutem. Cum præsentes ad vos litteræ pervenerint, noveritis nos Dermicium Laginensium principem in gratiæ nostræ et benevolentiæ sinum suscepisse. Unde et quisquis ei de amplitudinis nostræ finibus tanquam homini et fideli nostro restitutionis auxilium impendere voluerit, se nostram ad hoc tam gratiam noverit quàm licentiam obtinere."

Capite autem 2 et 12, refert Cambrensis, ut post hæc, inscio Henrico, Dermicius pepigerit fœdus cum Anglo comite Richardo, cùm filiam in uxorem spoponderat, et unà cum eâ in dotem regnum, et rursum, inscio Richardo, eamdem filiam in uxorem unà cum regno Laginensium in dotem promiserat alterutri, e duobus aliis Anglis sive Wallensibus, sociis Richardi Comitis.

Reliquis verò capitibus, lib. 1, suæ Vaticin. Hist. narrat, ut Dermicus ope comitis et sociorum restitutus fuerit in regnum paternum, et ut Dermicio successerit comes, et comes cum sociis prædonibus suum jus et possessiones in Iberniâ resignarint in Henricum, et ut idem Henricius cum ingenti classe appulerit in Iberniam anno sal. 1172, et ut in australium plagarum Iberniæ principes deditionem fecerint Henrico, etc. Tandem Cambrensis, lib. 2, Vaticin. Hist. cap. 32, in compendium redigens justa jura Henrici in Iberniam, ita scribit: "hìc mihi notandum videtur, quòd Stephanides et comes, Dermicium, ille fidelitatis, iste filii ratione justæ, restituendo,* ejusdem jure, a prædonum injuriâ quoad Lageniam,† longè distare noscuntur: quoad Waterfordiam verò,‡ et tam Desmoniæ,§ quàm etiam Mediæ (et hoc fuit regnum) partes insolenter occupatas, comitem non excuso. Comes autem quæsitæ portionis insulæ, quæ ipsum conjugis ex parte contingebat, in Anglorum regem jus et dominium plenè transfudit. Residui verò principes (Iberniæ) eidem Henrico se statim sponte subdentes, eidem jus irrefragabile contulerunt. Unde ex his liquidò patet Anglorum regem et gentem non tantâ injuriâ insulam intrâsse, quantum somniant imperiti." Hæc Camber multa mentiens, et non parum inconstans, et adversum se incogitatè scribens, indicabo. Imperitos appellat Gyraldus aientes, regem et gentem Anglorum non jure sed injustè invasisse Ibernos.

* Videlicet, ab exilio in regnum.
† Hæc sola provincia, quamvis non tota fuit quondam Dermicii regnum.
‡ Hæc est urbs Momoniæ provinciæ.
§ Ista est occidua ingens portio provinciæ Momoniæ australis.

Imò hæc censura arguit Gyraldum non imperitiæ tantùm, sed et adulationis ac impudentiæ. Impudentiæ, quòd imperitiæ arguat cui volebat adulari, Henrium regem, qui, teste ipso Gyraldo, lib. 1, Vaticin. Hist. cap. 19, 29, et 31, severè repræhenderet tanquam prædones, perturbatores pacis, invasores alieni, rebelles mandatis regiis, Comitem Richardum aliosque ejus socios, qui primi tulerunt opem infami Dermicio adversus Ibernos. Quod ipsum asserit penè oculatus illorum temporum testis Gulielmus Neubrigensis, lib. 2, cap. 26. Nec memor est Cambrensis quid scripserit in dicto suo, lib. 1, Vaticin. Hist. cap. 14 et 25, ubi ait, ipsosmet primos Anglos, qui Iberniam hostiliter invaserunt, disertè fassos in ipsorum perniciem meritò conspirâsse totius Iberniæ populos. Ipse etiam Camber, lib. 2, cap. 32, nonne fatetur, eosdem Anglos, nullo jure præterquam prædatorio occupâsse Mediam, Waterfordiam, Desmoniam quæ duplo aut ferè triplo Lageniam excedunt? Lageniam verò Anglus comes Richardus et socius Stephanides quonam bonò jure occupârint et spoliarint Ibernos? num titulo fidelitatis quam se Stephanides exuli Dermicio astrinxerat? aut titulo dotis ab eodem exule, datæ comiti unà cum filiâ?

At, oro te, Camber, quam fidelitatem debebat Stephanides Dermicio tentanti armis recuperare Lageniam, in quam nullum penitus jus habebat, postquam eodem jure quo, ante exilium, gaudebat, fuerat legitimè exutus, conspirantibus suffragiis et armis omnium principum, regum, aut superni tunc Iberniæ monarchæ Roderici? aut quem justum titulum ratione filiæ Dermicii poterat prætendere comes Richardus, qui sciebat filiam a Dermicio omni jure spoliato nullam potuisse jus legitimum in Lageniam accipere? ac præsertim prætermisso legitimo Dermicii filio, qui jure gentium et Iberniæ debebat præferri sorori suæ in regno, si quod erat Dermici juridicè deturbati a solio regali? Dic, Camber, annon justissimo jure Dermicius, propter violatum per summam injuriam honorem regis Medensis Roricii, et propter non solum admissum adulterium cum ejusdem Roricii uxore, quam etiam rapuerat, et fremente Roricio secum in Lageniam duxerat, diuque cum ipsâ in gravissimam indiesque magis ac magis auctam injuriam Roricii, consuetudinem meretriciam habuerit, annon, inquam, justissimo jure bestialis ille Dermicius fuerit propterea bello petitus a Roricio? annon ad justam vindictam de tanto crimine spurcissimi Dermicii sumendam Roricius opem imploravit? et impetravit ab universis Iberniæ principibus, regibus, et ipsorum monarchâ Roderico? annon sapienter, et secundum leges equitatis, suffragiis conspiravit cum eodem monarchâ totus senatus Iberniæ cum cunctis insulæ regibus et nobilitate ad exuendum regiâ dignitate et nomine et jure adeo immane monstrum Dermicium, qui non dedecus tantùm intulerit regi Roricio, sed et patriam universam inaudito fœdaverit opprobrio, et chris-

tianum nomen inter Ibernos tantâ ignominiâ et spurcitiis commacularit? Annon merito jure omnimodis conveniebat bono publico, et paci Iberniæ, ut insulæ monarcha, cum cæteris regionis magnatibus consentiens, exemplum statueret in tam scelerato homine, qui ut libidinibus suis satisfaceret, nihili faciebat violare jura, honorem, et uxorem alterius regis? Si negas, O Camber, jure fuisse adeo fœdum monstrum a tot regibus et monarchâ Iberniæ (cui monarchæ subjectionem debebat Dermicius, ut et stare tanquam judicis legitimi sententiæ) exutum regno regioque nomine, ejusque regnum Lageniam jure devolutum ad jura monarchæ, etc. tum statuat quisque lector de tuo judicio præpostero, qui negas, quod præter te alius nemo. Si non negas, quid igitur tuos lectores fallis, urgendo jura fidelitatis, et filiæ Dermicii exulis, quibus nixi tuus Stephanides et Comes Richardus, Angli invaserunt Iberniam? si Dermicius jure actus in exilium, nihil juris reliquum habuit in ullum Iberniæ angulum, tuus Stephanides et Comes, qui nihil juris in Iberniam, te teste, Gyralde, habuere, nisi nixum jure Dermicii, ut quid somnias, et asseveras imperitos esse, qui asserunt, tuos illos Anglos cum suo rege Henrico nihil juris præterquam prædatorii et violenti habuisse ad invadendam Iberniam, ejusque indigenas libertate et juribus spoliare? At inquis, saltem Henricus, etsi tunc quando invaserat, caruerit legitimo jure, postea tamen acquisivit jus, quando cum classe 500 circiter navium appulerat Waterfordiam in Iberniâ, et coram ipso ibidem sese steterint multi ex Iberniæ principibus, qui subjectionem spontaneam illi exhibuerint. Jam ante dicebam te, Gyralde, fallere bonos lectores, et veri legem minimè servare; spontaneam subjectionem scilicet exhibent, a quibus Henricus "pacem pugione stricto petebat," et subjectionem exigebat? nunquid jus nititur injuriâ? et sponte se subjicit, qui metu mortis jugulo propinquæ cogitur se subdere? et verum jus acquiro in alium, quem injuriâ afficio? quonam, quæso, jure appulerit cum classe Henricus in Iberniam? cum armis venerit, et perruerit insulam totam? num ut Dermicii exulis, qui se Henrico subjecerat, jura in Lageniam provinciam recuperaret? At ante monstravi, et Henricus ipse probe scivit Dermicium jure actum fuisse in exilium, et nudatum omni pristino jure regio et regni.

Nam et quæ armis obtinuerunt et in Iberniâ possederunt comes Richardus et socii, (qui jus omne suum in Henricum resignarunt,) et ipse Henricus edicto regio evulgavit, illos non alio jure possessisse aut occupâsse illa loca Iberniæ, nisi quod habent prædones et invasores alieni juris, et jam fuit ostensum, illos nihili juris prætexuisse in partes Iberniæ ullas, nisi quod nitebatur jure Dermicii, qui omni jure regio fuit spoliatus legitimè.

Sed quid multis? mentitur Camber aiens, principes Ibernos seu sponte seu coactè exhibuisse subjectionem Henrico, sed cum coacti

se sisterent Henrico mandanti, et ipsos ei petenti subjectionem, animosè respondisse, quod litteris mandârat, et testatur Rogerus Hovedenus Anglus, aulicus Henrici II. et filiorum, historicus, ad ann. sal. 1172, his verbis: "In crastino adventus regis Angliæ in Iberniam, scilicet 15 Kal. Novemb. feria 2 in festo S. Lucæ evangelistæ, ipse et omnis exercitus ejus profecti sunt usque Waterfordiam (urbem,) etc. ubi morabatur per quindecem dies, et ibi venerunt ad eum per mandatum ipsius, rex Corcensis, rex de Limerich, rex de Ossoria, rex de Media, etc. et omnes potentes Iberniæ præter regem Conaciæ," etc. Vides ut non ultronei, non sponte, sed coacti mandato venerint et se steterunt Henrico. Et Polydorus Virgilius (alioquin adulator regum Anglorum) in suæ Hist. lib. 13, his verbis: "Henricus II. arcitis undique militibus ac manibus simul in unum coactis, et ad certam diem classem instructam, quam 400 navium fuisse ferunt, ingens bellum comparat, et in Iberniam circa initium hiemis (anno sal. 1172) celeri cursu trajecit, statimque totam fere absque fuso sanguine, (nam incolæ metu tam immensi exercitûs jam in terram expositi, perculsi deditionem fecerunt) in suam potestatem accepit. Dublinium, quæ est insulæ princeps urbs, proficiscitur, ubi convocatis regulis ac episcopis Iberniæ, agitat de imperio insulæ sibi ac suis posteris perpetuando. Id Iberni posse fieri nisi auctoritate Romani pontificis negabant, quòd jam inde ab initio post christianam religionem acceptam, sese ac omnia sua in ejus ditionem dedissent, atque constanter affirmabant se non alium habere dominum præter ipsum pontificem. Id quod nunc etiam jactitant. His auditis rex per legatos quàmprimum Alexandrum III. oravit, ut Iberniam, quam ipse nuper domuerat, ad regnum Angliæ suâ auctoritate adjungeret." Sed ab Alexandro nihil impetravit Henricus, ut postea monstrabo. Vides, O Camber, ut tuus Henricus non solùm nullo, nisi prædatorio jure invaserit, sed neque post Iberniam armis expugnatam ab ipso, legitimo jure retinuerit, idque suo facto fassus fuerit Henricus, qui si vel jure invassisset, vel captam Iberniam retinuisset, sanè coram Ibernis principibus a quibus subjectionem petebat, exposuisset, et ad Romanum pontificem pro legitimo dominii in Ibernos jure impetrando nunquam legatos misisset. Sed nimirum Polydorus Virgilius veram causam titulumque invasionis Iberniæ ab Henrico factæ non siluit, dicens: "Post hæc (nimirum, post necem S. Thomæ Cantuariensis martyris, cujus reus fuit Henricus rex) destinavit animo domare Iberniam, tum quòd Angliæ propinqua est,* tum quia Gallis inde administrata sæpiùs auxilia intelligebat (sed omnino falso rumore) ideoque sibi maximè fore ducebat, si insulam nunquam ferè antea externis armis vexatam subigeret."

* Non veram causam, sed Machiavellisticam quæ movit Henricum ad inferenda arma Ibernis, eosque exuendos libertate et patriâ, et paternis possessionibus.

Atque hanc solam regnandi ambitionem, Henrico stimulos subdidisse ad involandum in aliena jura et ad Ibernos sibi iniquè subjiciendos testatur, qui rem coram se spectaverat, auctor ille quem capite 16 citavimus Auctarii Aquicinctini, ad emendata ab Auberto Miræo chronica Sigeberti, inquiens, anno 1172: "Henricus rex ultra se elatus, inconcessa captans, et affectans indebita, regnum Iberniæ subjugaturus, et regium diadema, ut putabat, capiti suo impositurus, naves parat, milites de suo regno congregat, et ingressus Iberniam," etc. Non alio præterea quàm ambitionis jure Henricum et suos infestâsse et occupâsse Iberniam, satis indicat Gulielmus Neubrigensis (qui istis ipsis diebus vixerat, et Henrico ejusque filio et hæredi Richardo regi assentari solitus erat, ut notat Thomas Stapletonus in Apologiâ pro S. Thoma Cantuariense, cujus innocentiæ parum favebat Neubrig.) lib. 2, cap. 26, dicens: "Iisdem temporibus Angli sub specie militantium Iberniæ insulæ irrepserunt, eamdem postea crescentibus viribus invasuri, et partem ejus non modicam armis subactam possessuri," etc. Et aliquanto post: "Cùmque jam transfretare pararet, (comes Richardus Anglus in Iberniam) affuerunt qui ex parte regis Henrici transfretationem inhiberent. Ille verò nullius rei, quam in Angliâ possidere videbatur, remoratus affectu, nihilominus transfretavit, etc. Junctis mox copiis aliquid audendum aggrediendumquæ ratus, quo imposterum barbaris foret terribilis, pervicaci impetu irruit super Dublinium urbem maritimam, totius Iberniæ metropolim, portuque celeberrimo, in commerciis commeatibusque nostrarum æmulam Londiniarum. Quâ fortiter celeriterque expugnatâ et captâ, plurimos etiam longe positos metu perculsos in fœdus venire coegit. Insistebat finitimis pertinaciùs priscam tueri nitentibus libertatem, munitiones locis opportunis construens, et dominationem paulatim prætendens, etc. cujus tam fausti successus, cùm regi innotuisset Anglorum, motus quòd eo non solùm inconsulto, sed etiam inhibente rem tantam fuisset aggressus, et præclaræ acquisitionis gloriam illi potiùs ut præcellenti adscribendam, in se convertisset, omne ejus in Angliâ patrimonium fisco addixit, et ne quod ex Angliâ in Iberniam subsidium inferretur, aut commeatus navium interdixit. Fortiora quoque comminans, in gratiam maturiùs redire compulit jam pene regnantem. Itaque extorsit ei civitatem Dublinium et cætera quæ in acquisitione potiora videbantur, etc. Rex autem Anglorum post modicum in Iberniam cum ingenti militiâ transfretavit. Reges insulæ, qui eatenus rebelles extiterant, adventu ejus tremefactos sive sanguine subjugavit," etc. Vides, O Camber adulator, Neubrigensem significare Henricum et suos Anglos invasisse Iberniam jure, quo solent Turcæ terras christianorum, aut quo olim Anglo-Saxones Britanniam, aut Gotthi Gallias, aut quo Vandali vastârunt Hispanias. Quâ justi juris ad invadendam aut possidendam Iber-

niam inopiâ laborâsse Henricum etiam quinto aut sexto anno postquam maximam insulæ partem occupâsset, testatur idem Neubrigensis, lib. 3, cap. 9, ubi recenset, quemadmodum Ibernos paratos armis propulsare quæ illis summam per injuriam inferebat Henricus, laudaverit "legatus sedis apostolicæ Cardinalis Vivianus, qui consilium Ibernis dederat, ut pugnarent pro patriâ et pugnaturis cum obsecrationibus benedixit." Huic nisi fallor, facilè cognoscet æquus quisque lector, nullius fidei nisi fallacis fuisse scriptorem Gyraldum Cambrensem, qui vel eo consilio vulgâsse videtur Henricum et suos Anglos optimo jure invasisse et possedisse Iberniam quòd primi omnium invasores, et qui extremam in Ibernos crudelitatem exercuerunt, essent ipsius Cambrensis partim fratres, partim patrui, partim cognati, affines, et cives; partim quòd idem Camber ne et se damnare et consilia sua et injuriam Ibernis inferre videatur, de se testetur, lib. 2, Vaticin. Hist. cap. 18, quòd istos suos consanguineos plurimos consilio juverit ad occupandas Iberniæ partes.

Ceterum, aut cæcus sit oportet, aut parum æquus rerum æstimator, qui vel ex ipsis duobus libris Vaticin. Hist. Gyraldi, non facilè colligere posset ducenta evidentissima argumenta iniquitatis et injuriæ Anglorum in invadendâ Iberniâ admissæ. Quam tamen multiplicem iniquitatem Camber amore sui et suorum, odioque adversus Ibernos (quos ubique immanibus proscindit conviciis et fœdissimis contumeliis) implacabili accensus, ut cæci sunt amor et odium, videre non potuit; ut neque ingratitudinem Henrici suorumque illorum Anglorum invasorum, adversus optimè olim per tot secula meritam de amore et officiis eorumdem, Iberniam. Cujus in Anglorum gentem beneficia aliqua in principio præsentis capitis ex Bedâ et variis aliis commemoravi; quæ Camber nusquam tamen in memoriam aut scriptionem vocârat, sed potiùs contraria omnia, et fœdissima de Ibernis, quos nunquam nisi pessimos et indignos, quos tellus sustineret, fuisse, passim cum verborum exaggeratione scripserat, quemadmodum superius admonui. Atque in hunc modum Henricus cum suis Anglis invasoribus compensavit tot tanta tantoque tempore præstita ab Ibernorum gente benefacta nationi Anglorum. Nempe retribuit mala pro bonis, et benefactores Anglorum insignes exutos libertate, patriisque sedibus, Anglus rex servos suos captivos fecit et inter utramque gentem per tot secula amicissimam concitavit implacabile dissidium et bella, quæ in hodiernam ferè diem durant. Verùm Deus ingratum regem et alieni juris invasorem non impune tulit. Nam illis ipsis diebus quibus Henricus in Iberniam appulsus, armis tenuerat indigenas et eos libertate exuere disponebat, permisit divina providentia ut adversus Henricum patrem regem arma caperent ipsius filii, qui et regnis et vitâ et honore parentem exuere aperto marte minabantur. Neque ab illâ fere horâ, quâ Henricus pedem primum posuerat in Iberniâ, usque ad diem mortis suæ, quæ

septemdecem pene annos post accidit, defuere capitalia odia, machinationes, dissidia, bella filiorum eorumdem (qui quatuor erant) in patrem. Qui cum moreretur, una cum regnis, quæ invitus cogebatur duobus filiis superstitibus Richardo et Joanni relinquere, volens et irrevocabiliter reliquerat eisdem suam maledictionem, ut verbis disertis qui vidit Rogerus Hovedenus Anglus et aulicus Henrici et filiorum, testatur in Annal. ad ann. sal. 1189. Quam lugubrem et horribilem tragediam, bellaque sanguinaria patrem regem inter et filios, non siluit Gyraldus, lib. 1 Vaticin. Hist. cap. 36, 43, 44 et 45, et lib. 2, cap. 26, 27, et 30. Idem porrò narravit, tunc temporis machinatos fuisse filios privare diademate et vitâ patrem Henricum quando iste minabatur Ibernis ruinam, et eosdem libertate privaverat.

CAP. XVIII.

Rejiciuntur crassa et multa mendacia Cambrensis de diplomate Pontificio, quod Henrico II. Anglorum regi tanquam legitimo Iberniæ domino, fingit fuisse concessum ab Adriano IV. papâ. Deteguntur errata Baronii, et aliorum circa idem diploma, quod demonstravimus fuisse supposititium aut surreptivum, et scatere apertis mendaciis et pugnare cum synceris scriptis, factis, et actis publicis Romanorum pontificum Eugenii III., Alexandri III., Lucii III. et cum fide scriptisque S. Bernardi Clarevallensis.

HIC de Ibernis triumphum agere sibi videtur Gyraldus, jactans et sæpè urgens jus irrefragabile Henrici II. ad invadendam Iberniam concessum ipsi ab Adriano IV. papâ et præside sedis apostolicæ, ad quam speciali jure dominii directi pertinet eadem insula universa. De hâc privilegiatâ, ut Camber loquitur,* summi pontificis confirmatione, juris dominii feudalis in Iberniam dati Henrico, ita idem Cambrensis, lib. 2, Vaticin. Hist. cap. 7,† concludit: "Nostris diebus Anglorum regi Henrico II. omnes Iberniæ principes firmis fidei sacramentique vinculis se sponte submiserunt. Quamquam enim innatæ levitatis vitio et inconstantiâ a fide quantociùs resilire non formidârunt, fidei tamen et fidelitatis vinculo non solvuntur; in contrahendo quippe liberi sunt contractus hujuscemodi, non in distrahendo. Et quod solum sufficere posset ad profectionis cumulum, et consummationis, argumentum, summorum pontificum qui insulas omnes sibi speciali quodam jure vindicant, totiusque christianitatis principum et primatum, confirmans concessit auctoritas. Cessent igitur invidi, cessent et incauti ampliùs obstrepere, Anglorum reges nullo Iberniam jure contingere, et discant eos ad hoc innitendo quinque partito pariter (duplici scilicet antiquo, triplicique novo) se jure tueri.‡ Pergit porrò Camber tenorem privilegii Adriani IV. de Iberniæ dominio donato Henrico, recitare, lib. 2, cap. 6, cui præfigit

* Tertia Distinct. Topogr. cap. 9.

† Postquam, cap. 6, privilegium Adriani IV. verbatim et fusè posuisset.

‡ Quatuor priora jura nulla fuisse, sed partim ridicula, partim manifestè mendacia demonstratum a nobis fuit superiùs, cap. 16 et 17.

illum titulun: "Privilegii Impetratio." Et loco præfationis ista subjungit: "Interea quamquam martiis plurimum intentus et detentus exercitiis Anglorum rex,* suæ tamen inter agendum Iberniæ (jam expugnatæ) non immemor, cum prænotatis spurcitiarum litteris in synodo Cassellensi,† per industriam quæsitis, directis ad curiam Romanam nuntiis, ab Adriano papâ de Angliâ oriundo, tunc præsidente privilegium impetravit, ejusdem auctoritate et assensu, Ibernico populo tam domandi, quàm ipsum in fidei rudimentis incultissimum ecclesiasticis normis ac disciplinis juxta Anglicanæ ecclesiæ mores informandi. In Iberniam itaque privilegio transmisso per Nicolaum Gualingfordensem, tunc priorem Malmesberiensem, quoque postmodum abbatem tam positum quàm depositum, necnon et Gulielmum Aldelmi filium, convocatâ statim apud Waterfordiam episcoporum synodo, in publicâ audientiâ ejusdem privilegii cum universitatis assensu solemnis recitatio facta fuit, per Joannem Salisburiensem, postmodum episcopum Carnotensem, (in Galliâ) Romam ad hoc destinatum, per quem etiam idem papa regi annulum aureum in investuræ signum præsentavit, qui statim simul cum privilegio in archivis Wintoniæ (in Angliâ) repositus fuerat. Unde et ejus privilegii tenorem hic interferre non superfluum putavi. Erat itaque tenor hic:

"Adrianus episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio illustri Anglorum regi, salutem et apostolicam benedictionem."

Laudabiliter et fructuosè de glorioso nomine propagando in terris, et æterno felicitatis premio cumulando in coelis tua magnificentia cogitat, cùm ad dilatandos ecclesiæ terminos, ad declarandam indoctis et rudibus populis christianæ fidei veritatem, et vitiorum plantaria de agro Domini extirpanda, sicut catholicus princeps intendis. Ad id convenientiùs exæquendum, consilium apostolicæ sedis exigis et favorem. In quo facto, quanto altiori consilio et majori discretione procedis, tanto in eo feliciorem progressum te, præstante Domino, confidimus habiturum, eo quod ampliùs ad bonum exitum semper et finem soleant attingere qui de ardore fidei et religionis amore principium acceperunt. Sane Iberniam, et omnes insulas, quibus sol justitiæ Christus illuxit, et quæ documenta fidei christianæ perceperunt ad jus beati Petri, et sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ (quod tua etiam nobilitas recognoscit) non est dubium pertinere. Unde tanto in eis libentiùs plantationem fidelem et germen gratum Deo inserimus, quanto id a nobis interno examine districtius perspicimus exigendum. Significâsti si quidem nobis, fili in Christo charissime, te Iberniæ insulam ad subdendum illum

* Qui cum filiis in Gallia gerebat bella.

† Quam Henricus voluit in Iberniâ celebrari anno salutis 1172, de quâ synodo Gyraldus pluribus agit, lib. 2 Vaticin. Hist. cap. 3 et 34.

populum legibus, et vitiorum plantaria inde extirpanda velle intrare, et de singulis domibus annuam unius denarii beato Petro velle solvere pensionem, et jura ecclesiarum illius terræ illibata et integra conservare. Nos itaque pium et laudabile desiderium tuum cum favore congruo prosequentes, et petitioni tuæ benignum impendentes assensum, gratum et acceptum habemus, ut pro dilatandis ecclesiæ terminis, pro vitiorum restringendo decursu, pro corrigendis moribus et virtutibus inserendis, pro christianæ religionis augmento insulam illam ingrediaris, et quæ ad honorem Dei et salutem illius terræ spectaverint exequaris, et illius terræ populus te honorificè recipiat et sicut dominum veneretur; jure nimirum ecclesiarum illibate et integro permanente et salvo Beato Petro et sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ de singulis domibus annuâ unius denarii pensione. Si ergo quod concepisti animo, effectu duxeris prosequente complendum, stude gentem illam bonis moribus informare, et agas tam per te quàm per illos quos ad hoc fide verbo et vitâ idoneos esse perspexeris, ut decoretur ibi ecclesia, plantetur et crescat fidei christianæ religio, et quæ ad honorem Dei et salutem pertinent animarum per te taliter ordinentur, ut a Deo sempiternæ mercedis cumulum consequi merearis, et in terris gloriosum nomen valeas in seculis obtinere."

Hucusque verbatim descripsi Gyraldum, qui et in proemio secundæ et correctæ suæ Vaticinalis Historiæ, sive Expugnatæ Iberniæ ad Joannem regem Anglorum, sic inter multa scribit de isto Adriani diplomate: "Hoc a nobis regiæ majestati consilium detur, quatenus ea duo quæ pater vester (Henricus II. rex) Adriano papæ pepigerat olim, propter licentiam impetrandam intrandi Iberniam et expugnandi, (prudenter et discretè sibi suisque providens, cùm supremam in terris tanti tamque cruenti in christianos aggressûs auctoritatem sibi comparavit) scilicet ecclesiam Dei in finibus illis exaltare, et denarium annuum de singulis domibus Beato Petro sicut in Angliâ fit, sic et in Iberniâ dare, juxta tenorem privilegii ejusdem papæ super hoc a patre vestro prudenter et circumspectè perquisiti, et in archivis Wintoniæ fideliter repositi."

Antequam aggredior, evidentibus testimoniis, aliisque argumentis, demonstrare diploma illud falsò adscribi sive Adriano IV. sive alio ulli Romanorum pontificum, illudque præterea scatere mendaciis manifestis, detrahere dignitati cùm Adriani, tum aliorum qui ipsum et præcesserunt et subsecuti fuerunt in sede S. Petri, arguere eosdem et ignorantiæ et imprudentiæ, et temeritatis et injustitiæ, repugnare decretis, responsis, publicis actis, statutisque stabilibus ab Eugenio III. Alexandro III. Lucio III. circa jura statumque regni Iberniæ, et ecclesiarum ejusdem insulæ, ipsis illis etiam diebus quibus vixerunt Henricus II. et Gyraldus Cambrensis; ex diametro præterea adver-

sari cum fidelissimâ et fusè scriptâ a S. Bernardo* historiâ vitæ B. Malachiæ,† circa statum optimum et felicissimum illius temporis per universam Iberniam in omnibus, quæ vel ad laudatissimos mores gentis, vel ad studia bonarum litterarum, vel ad virtutum, vigentisque in illâ insulâ pietatis fervorem, et christianæ religionis, monasticæ disciplinæ, ecclesiasticarum legum observantiæ ardorem, atque singularem erga sedem apostolicam, ejusque præsidem Romanum pontificem eximiam obedientiam pertinerent; antequam, inquam, ista aliaque absona, quæ ex ementito illo Adriani diplomate nascuntur, perspicuè demonstrem, priùs oportet ut paucis planum faciam, Gyraldum Cambrensem ut suis regibus adularetur, ut et lectoribus imperitis imponeret, ut quoquo modo per fas et nefas miseros oppressosque armis Henrici Ibernos subinde illi resistentes, magis magisque calumniis opprimeret, et adversante jure omnique æquitate illos restitisse et rebellasse eidem Henrico munito, si Diis placet privilegis pontificio, jureque apostolico in Iberniam provulgare; eumdemque Gyraldum in suis illis notis, præfationibus, et censuris ad pseudo-Adriani inane diploma, contra conscientiam suam scripsisse; qui sciebat Henricum II. nullum illo tempore (id est, post celebratum jussu Henrici in Iberniâ generale consilium Cassellense, anno sal. 1172) potuisse Romam misisse nuntium aut legatum ad Adrianum pro impetrandâ investiturâ et jure in Iberniam. Nam noverat Gyraldus, qui ipsis istis diebus erat in flore juventutis, et noverant universi qui tunc vixerant in Europâ, et noverunt quotquot historici et viri docti post illa tempora in hodiernum usque diem scripserunt annales generales aut gesta ecclesiastica Romanorum pontificum, Adrianum IV. papam, natione Anglum, creatum fuisse successorem S. Petri anno sal. 1154, e vitâ mortali decessisse anno 1159, eidemque in pontificatu successissè anno 1160, Alexandrum III. qui 21 annis sederat in cathedra B. Petri et mortuus tandem fuerat anno sal. 1181.

Neque incautus idem Gyraldus, dummodo jura Ibernorum in defendendis sese, libertatem, et patriam ab invasione Henrici II. obscurare aut deprimere posset, et nescio quod juris Henrico ad imperandum Ibernis adscriberet, dubitavit hoc loco larvam sibi trahere, et omni pudore, ut videtur postposito, laxare habenas ad multa mentiendum, ad sibi contradicendum, ad dicenda paucis lineis interpositis tot figmenta, quæ planè non alium videantur hominem decere quam vel somniantem in vigiliâ vel delirantem in somno.

* Qui vixit tum et vidit Adrianum IV. pauló antequam ipse crearetur Romanus pontifex.

† Qui quinquennio ante migravit in cœlum, quam Adrianus IV. papa esset annunciatus.

Quæ ita se habere, ne quis me suspicetur vel convicia in Cambrum jactare, vel ipsi me injuriam irrogare, demonstro ex verbis ejusdem. Et imprimis quædam describo ex eis, quæ scripserat lib. 1 Vaticin. Hist. cap. 33 et 34, quibus istum præfigit titulum: "Cassellense concilium et constitutiones ejusdem." Pergit narrare: "Anno igitur Dominicæ incarnationis 1172, primo autem anno quo illustrissimus Anglorum rex Henricus et Iberniæ triumphator ipsam insulam acquisivit, Christianus Lismorensis episcopus et apostolicæ sedis legatus, Donatus Cassellensis, Laurentius Dubliniensis et Catholicus Tuamensis archiepiscopi cum suffraganeis suis et coepiscopis, abbatibus quoque, archidiaconis, prioribus et decanis, et multis aliis Ibernensis ecclesiæ prælatis, ex ipsius triumphatoris mandato in civitate Cassellensi convenerunt, et de utilitate ecclesiæ et statu ejus in meliorem formam perducendo, ibidem concilium celebrarunt. Huic concilio interfuerunt isti a rege missi, venerabilis vir Radulphus, abbas de Buldewas, Radulphus archidiaconus de Landasf, Nicolaus Capellanus et alii clerici et nuntii domini regis. Concilii autem statuta subscripta sunt et regiæ sublimitatis auctoritate firmata, etc. Et cap. 36, cui titulus, "In regem Conjuratio," ita ait: "post medium verò quadragesimæ (cum in Iberniâ adhuc rex esset) naves adveniunt tam gravitatis nuntiæ quàm pravitatis. Venerant enim in Normanniæ (Gallicanæ) partes, a summo pontifice Alexandro III. transmissi, cardinales duo, quorum nomina Albertus et Theotinus, de morte martyris nostri Thomæ Cantuariensis scrutinium facturi. Viri ut putabantur justi et boni ad hoc fideliter electi, sed tamen Romani;* nisi citius eis rex occurrerit, toti regno (Angliæ) ceterisque terris universis suæ ditioni subditis interdicti sententiam acriter interminantes. Accessit et aliud incommodum longè gravius ac periculosius. Filii regis, primævus scilicet (Henricus junior dictus) quem tantâ diligentiâ regio diademate insigniri procuraverat, (anno sal. 1170,) aliique duo (Galfridus, secundo genitus, et dux Britanniæ minoris; Richardus item, tertio genitus et dux Aquitaniæ) fratrem puerili levitate secuti, pravissimo consilio multos habentes complices tam Anglicanos proceres quam transmarinos,† in regem (Henrico II. patrem) absentem (in Iberniâ) unanimi conspiratione conjuraverant. Quibus auditis, tantâque et tam inopinatâ malitiâ jam detectâ, multiplici rex anxietate desudat. Dolet

* Vides lector, quod et superiùs monueram, Cambrum istum nullis nisi quibus adulatur parcere posse, sed aculeos honori ceterorum, cujuscumque sunt conditionis, dignitatis, probitatis aut apud alios æstimationis, ex more figere. Non Ibernis parcit, non aliis quamvis cardinalibus, quamvis opinione omnium justis, bonis, fidelissimis, electis. "Sed tamen" inquit scorpio, "Romanis," quasi Romanum esse dedecus esset, quod omnem cujuscumque Romani hominis probitatem, sanctimoniam, bonam opinionem, aut omnino obscuraret aut suspectam redderet.

† Id est Aquitanos, Andegavenses, pietaviensis, Britannos, Armoricos, Normannos.

imprimis se tantâ, tam immeritò suspicione notari,* dolet perplurimum se regnum Ibernicum, quod æstate proximâ (id est annis 1173) tam incastellare, quàm firmâ stabilire pace statuerat, et in formam omninò redigere, tum relicturum. Inprimis itaque quibusdam suorum in Angliam transmissis tam de reditu suo, quàm de regni Ibernici securitate, primo secum, deinde cum suis cœpit diligenter deliberare, relictis ergo custodibus apud Dublinium, (inquit Gyraldus, cap. 37,) etc. paschali luce secundâ, sole recens orto, circio flante prospero navigio, appellit in Angliam circa meridiem ejusdem diei," etc.

Jam conferat lector et senteniam ferat de Cambro, qui lib. 2. cap. 6, orditur de suis ipsis dicere, inquiens: "Interea quamquam martiis plurimum intentus, et detentus exercitiis, Anglorum rex (Henricus II. reversus paulò ante ex Iberniâ et implicitus bello quod cum filiis gerebat) suæ tamen inter agendum Iberniæ non immemor, cum prænotatis spurcitiarum litteris in synodo Cassellensi (celebrato ut audivimus anno 1172) per industriam quæsitis, directis ad curiam Romanam nuntiis, ab Adriano papa, de Anglia oriundo, tum præsidente, privilegium impetravit," etc. Et tamen, O Camber, te ante in tuo lib. 1. cap. 36. vidimus dicentem, his ipsis diebus Romæ præsidem et papam egisse Alexandrum III. qui Anglus non fuit. Et probè nosti Adrianum mortuum fuisse tredecem ante annis, quàm vel ex Iberniâ discederet Henricus, vel cum filiis bellum gereret; et duodecem annis antequam vel synodus Cassellensis celebraretur, aut Henricus veniret et expugnaret Iberniam, Adrianum fuisse sepultum. Hic igitur imprimis, O Gyralde, te teneo constrictum, et contradictione tuâ, et manifesto, quod colorem excusationis nullum relinquit mendacio tuo, qui defendere conaris Henricum jus irrefragabile et legitimum in Iberniam habuisse sibi concessum ab Adriano papâ, duodecem aut tredecem annis post ipsius mortem, quam certò certiùs est te, et quotquot hoc tempore tecum vixerunt, novisse totidem annis præcessisse primum ingressum aut regressum Henrici ex Iberniâ. Cui mendacio alium addis maximum, nimirum quòd "Henricus requisitis auditis, publicè terræ illius (id est, Iberniæ,) et gentis tam enormitatibus quàm spurcitiis et in scriptum et sub sigillo Christiani Lismorensis episcopi et in Iberniâ apostolicâ sedis legati; de industriâ redactis, et litteris de eisdem spurcitiis a synodo Cassellense impetratis easdem Romam miserat ad prædictum Adrianum papam. Cum constet tamen Adrianum vitâ fuisse functum, duodecem fere annis antequam ulli hominum incidisset cogitatio de celebrandâ synodo illâ Cassellense. Spurcitias autem et enormitates illas gentis Iberniæ Romam scilicet missas ad Adrianum finxit Cambrensis, ad odium aut contemptum conflandum Ibernis in favorem Henrici et ceterorum Iberniæ vastatorum, quibus idem Camber

* Scilicet immeritò, quem perpetuum fuisse persecutorem S. Thomæ Cantuariensis omnes narrant, et ut reum mortis ejusdem. Sed Camber, more solito, aulicum adulatorem agere nimirum volebat, ista scribens.

cupiebat placere et adulari. His tertium adjunxit mendacium, dicens, Henricum eodem tempore, nimirum post concilium Cassellense, "ad Adrianum (jam duodecem ante annis mortuum) misisse nuntios Romam ad impetrandum privilegium et jus dominandi Ibernis expugnatis. Item eumdem "Adrianum tunc concessisse dominium Iberniæ" Henrico "ad gentes ejusdem insulæ eo tempore in fidei rudimentis incultissimas informandas ecclesiæ normis ac disciplinis juxta Anglicanæ ecclesiæ mores." Hoc mendacium est manifestum, ut postmodum demonstrabo. Nam hoc tempore notum erat universæ Europæ nusquam inter christianos deformiorem extitisse faciem ecclesiæ, quàm Anglicanæ, ubi, ut testatur, cum Thomâ Stapeltono et Neubrigense historicis Anglis, Baronius cum cæteris scriptoribus, non solùm rex Henricus cum nobilitate regni enormiter oppresserunt clerum universum, persequebantur S. Thomam Cantuariensem, apostasiam minabantur, et defectione a capite legitimo christianæ in terris ecclesiæ Alexandro III. a quo eodem per summam levitatem bis, terve palam defecerat idem rex, et toties eâdem incitatus levitate transibat ad partes antipaparum; sed etiam universus Angliæ clerus lapsus fuit, et cum suo rege cui adulabatur disciplinam et normam ecclesiasticam contempserit, adeo ut in totâ Angliâ præter unum S. Thomam Cantuariensem, per tot annos ne vel unus episcopus* repertus fuerit non schismaticus, et qui non fuerit pars et consultor et suffragator conciliabuli Clarendunensis, coacti adversus potestatem apostolicam Alexandri III. et contra libertatem immunitatemque status ecclesiastici non in Angliâ tantùm sed et in reliquâ catholicâ ecclesiâ. Ad hoc, eodem seculo, tempore, et multis annis ante, si omnes non fallit veracissimus S. Bernardus in vitâ Malachiæ, vix in reliquo orbe visebatur facies ecclesiæ formosior, aut observantiâ disciplinæ ecclesiasticæ exactior, aut mores magis christiani quàm vivente Adriano visebantur et vigebant in Iberniâ.

Istis sex mendaciis septimum Cambrensis adnectit, aiens: "Henricum accepto tunc ab Adriano diplomate, misisse ipsum in Iberniam per Nicolaum Gualingford et Gulielmum Aldelmi, convocatâ apud Waterfordiam synodo episcoporum, ubi in publicâ audientiâ lecto diplomate, et jure ab Adriano de dominio Iberniæ universæ concesso Henrico regi, universa synodus assensum præbuit." Sed quæso, quomodo potuit res ista se habere, cùm nemo episcopus in Europâ tunc vixerit, qui non sciverit et Adrianum desiisse vivere, et solum Alexandrum III. papam his ipsis diebus, ac duodecim annis ante atque octo annis post, sedisse Romæ successorem B. Petri? a quo Alexandro vivente tunc, non ab Adriano mortuo debebat Henricus, si vel jus in Iberniam accipere, vel nuntios Romam pro impetrando eodem mittere voluisset, petere privilegium sive

* Ne unus, inquam, aut ullus præter S. Thomam, si credimus Neubrigensi, qui interfuit et vidit, aut si fides sit habenda Stapletono et Baronio.

diploma. Errat ergo Camber, aiens, anno sal. circiter 1173, synodum episcoporum apud Waterfordiam urbem Iberniæ fuisse aut coactum causâ commentitii illius diplomatis, aut eamdem synodum assensum præbuisse, et fassos fuisse Henricum, jure ab apostolicâ sede accepto, legitimum esse Iberniæ dominum, præsertim verò error iste manifestior evadit ex responso et consilio Cardinalis Viviani, apostolicæ sedis in Iberniam legati, ab Alexandro III. anno sal. 1176 aut 1177, qui, teste Neubrigense Anglo, horum temporum et gestorum in Iberniâ scriptore pene præsente, cum benedictionibus et obsecrationibus et suasionibus regem Ultoniæ ejusque exercitum volentes resistere armisque Henrici II. regis Anglorum, animavit ad pugnam, et ad patriæ defensionem adversus invasionem illius iniquam et hostilem.

Octavum mendacium illud numero Cambri scribentis, legatum Romam ad Adrianum hoc tempore ab Henrico ad impetrandum diploma fuisse celebrem illum Joannem Salisberiensem, qui eumdem etiam ait fuisse, qui Româ reversus, et in Iberniam ab Henrico directus, publicè in synodo præfatâ episcoporum coactâ Waterfordiâ, privilegium pontificium, sive diploma illud, legerit. Ubique erras, mi Gyralde, qui nobis narras Salisberiensem anno sal. 1173 aut post Romam petiisse ad obtinendum diploma ab Adriano, quem noverat fuisse sepultum anno 1159. Non sum nescius Salisberiensem aliquando ex Angliâ Romam ivisse et salutâsse Adrianum viventem, sed etiam scio istam profectionem fuisse institutam sedecem annis antequam Henricus cum classe transierit in Iberniam; nempe Salisberiensis visitârat Adrianum anno 1156, ut expressit Baronius, eamdemque profectionem non susceperat Salisberiensis, tanquam missus ab Henrico ad imperandum Ibernis, sed ipse sui itineris causam apertè exponit, lib. 6 sui Polycratici, sive De Nugis Curialium, cap. 24. et lib. 8. cap. 23, ubi hæc inter alia ait: "Memini me causâ visitandi dominum Adrianum pontificem quartum, qui me in arctiorem familiaritatem admiserat, profectum in Apuliam, mansique cum eo Beneventi ferme tres menses. Cum itaque ut fieri solet inter amicos, sæpe super plurimos conferremus et ipse quod de se et ecclesiâ Romanâ sentirent homines, a me familiariùs et diligentiùs quæreret, ego, apud eum usus spiritûs libertate, mala quæ in diversis provinciis audieram patenter exposui, etc.;" et pergit bene longum et suavissimum cum Adriano habitum colloquium, atque doctum satis narrare, ubi tamen nulla fit mentio sive legationis sive diplomatis, sive petitionis ab Henrico factæ de jure dominii in Iberniam; neque uspiam de his verbum facit Salisberiensis, sed ut ipse indicavit, non causâ obeundæ legationis, sed causâ visitationis Adriani in Italiam ivit, ubi, ut audivimus, per tres menses fuit coactus cum pontifice familiariter conversari et manere, quod neutiquam factum fuisset, si legatus ad Adrianum pro impetrando dominio Iberniæ missus ab Henrico Romam ivisset, cum legati non soleant ad papam pro obtinendâ gratiâ et jure regni mitti, nisi ut citò do-

mum redeant, et quæ postulârant referant ad dominos qui se miserant. Neque verò Henricus anno 1156, aut alio antequam bello ceperit pulsare Iberniam (quod non fuit tentatum ante anno sal. 1168, aut 1170, aut 1171) unquam cogitaverat Romam mittere legatos pro jure dominii in eamdem insulam impetrando a summo pontifice. Non ignoro Henricum II. regem Anglorum litteras cum legato Romam semel misisse ad Adrianum IV. quas Petrus Blesensis dictaverat, et inter epistolas ejus Blesensis numerantur 165 in quâ nulla fit mentio seu Joannis Salisberiensis, seu petitionis privilegii aut juris in Iberniam, sed tantum rex Adriano tanquam Anglo ad summum pontificatum assumpto "gratulatur," quem etiam orat ut omnem "adhibeat curam de clero et ecclesiasticâ disciplinâ reformandâ, et ut ad ecclesiæ dignitates non promoveantur, nisi idonei ac digni tanto munere ministri, ut item curam cogitationemque adjiciat ad recuperandam terram sanctam, de ferendâ ope imperio Constantinopolitano valde periclitanti." Has autem litteras cum legatione destinârat Henricus ad Adrianum anno sal. 1154, ut vult Baronius vel 1155 ut alii, id est, octodecem aut ampliùs annis antequam Henricus, si credimus Cambrensis fidei, fictitiam illam per Joannem Salisberiensem legationem et petitionem de jure dominii in Iberniam ab eodem Henrico jam expugnatam impetrando ab Adriano institisset. Prædictus porrò Petrus Blesensis fuerat discipulus Joannis Salisberiensis, ad quem tam antè, quam post ejusdem assumptionem ad episcopatum Carnotensem in Galliâ, (quod factum est anno sal. circiter 1176) crebras quæ extant scripsit epistolas, ubi sui magistri laudes, honores, officia, virtutes deprædicat. Inter quæ tamen nulla est memoria, quòd suus magister aliquando egisset legatum Henrici apud Adrianum, aut quòd pro impetrando jure in regnum Iberniæ, Romam ab Henrico rege missus fuerit. Petrus, item abbas Cellensis,* sui præfati Salisberiensis discipulus, et tandem ejusdem successor in episcopali cathedrâ Carnotense. Inter omnes verò Cellensis epistolas ad Joannem, et de ipso, tam antè, quam post creatum præsulem Carnotensem, nulla fit mentio quòd Romam iverit missus ab Henrico legatus ad Adrianum pro privilegio et jure in Iberniam obtinendo, cùm alioqui Cellensis in tot suis de suo magistro epistolis, quæ numerantur supra viginta quatuor, vix faciat finem deprædicandi virtutes, præconia, laudes, famam, eruditionem, communem bonorum æstimationem, honores a viris principibus delatos, et oblatos suo quondam magistro Joanni, et discipulo, comitique exilii S. Thomæ Cantuariensis martyris et archiepiscopi.

Quapropter octavo, ut dicebamus, mendacio Cambrensis nonum ejusdem admonueramus. Idem ait, Adrianum papam post expugnatam ab Henrico Iberniam, anno 1173 aut alio sequente, per Joan-

* Cujus extant novem libri epistolarum nuper primum post 530 ferè annos, quibus latuerant, producti in lucem a P. Jacobo Sirmondo e societate Jesu.

nem Salisberiensem misisse unà cum privilegiò sive diplomate prædicto, "annulum aureum in signam investituræ," et juris dominii in Iberniam concessi Henrico Anglorum regi; scilicet, ut cetera taceam adversus Cambri commenta ista, si vera essent, tacuissent, ut fecerunt Blesensis et Cellensis, omisissentque illas recensere inter alias laudes honoresque delatos a regibus summisque pontificibus, suo magistro Joanni Salisberiensi? quis credat! quamquam autem videatur simile vero, Cambrum novem istorum mendaciorum: quibus decimum hyperbolicum addit, aiens: "Totius christianitatis principes et primates auctoritate suâ confirmâsse et concessisse Henrico Anglorum regi jus idem in Iberniam quòd antè concesserant summi pontifices." Rectè sciebat Gyraldus neminem, nedum omnes ex principibus christianis auctoritate suâ confirmâsse Henrico jus in regnum Iberniæ, in quod nemo christianorum principum præter solum pontificem Romanum, et patrios Iberniæ dynastas seu reges papæ tributarios, unquam ante Henricum habuit aut prætexuit quicquam juris, ut notum est. Quod in solâ præfatione suâ ad Adriani diploma patere probavimus, et de hòc eum fuisse sibi benè conscium. Vereor tamen et facile credo, ipsum minimè advertere potuisse (tanto fortasse tunc tenebatur odio Ibernorum, et studio placendi ipsorum hosti Henrico) ad crassas etiam contradictiones suas non paucas, neque item quemadmodum ex ipso tenore diplomatis pseudo-Adriani, quod tantopere urget, tantique facit Camber, idem incautus et Henricum omni jure in Iberniam spoliat, et sua dicta destruat quæcumque ad stabiliendam æquitatem invasionis in Ibernos ab Henrico et ejus Anglis factæ attulerat, sed et penitùs fictitiam fuisse illam bullam Adriani, ipse imprudens Camber cogitur ex suis scriptis fateri, ut jam demonstrare incipio.

Taceo antea a nobis tactam Gyraldi contradictionem dicentis, eodem anno quo Henricus post debellatam Iberniam, anno 1172 et 1173, ipsum fuisse inde revocatum a Cardinalibus Alberto et Theotino missis ab Alexandro III. ut Henricum examinarent, an ejusdem culpâ S. Thomas Cantuariensis fuerit occisus. Hoc verè narravit Camber, qui postea secum pugnans, falsò ait Adrianum IV. tunc præsidem egisse ecclesiæ Romanæ, ad quem paulò post reditum Henrici ex Iberniâ, missa fuit legatio pro diplomate de jure in Ibernim impetrando. Scilicet uno tempore Alexander et Adrianus sederint Romæ? qui ait tunc sedisse alterum, negat sedisse tunc alterum.

Venio ad aliam contradictionem, quam miror non incidisse quàmprimum in oculos Cambri, quem audivi nunc sæpiùs urgentem jus legitimum Henrici in Iberniam vel eo maximè titulo, quòd cùm ille cum classe appulisset ad portum ejusdem insulæ, statim ad ipsum venerint fere universi principes regionis, et ultrò spontèque obedientiam omnes Henrico exhibuerint, sacramentoque fidelitatem

eidem tanquam domino promiserint, quæ omnia pluribus persequitur Camber in Topogr. 3 distinct. cap. 9, et lib. 1. Vaticin. cap. 31, 32, 33, 34, et lib. 2. cap. 6. et 7. et alibi sæpe. Et tamen in ipso eodem cap. 6. statim post prædicta verba, ait, Henricum postea misisse Romam legatum ad impetrandum ab Adriano jus dominii Iberniæ, quam noverat idem Henricus pertinere ad jus B. Petri. Dic Camber, si, ut ais, Henricus jus dominii legitimi habuerit in Ibernos, et eo quòd isti se sponte subjecerint, et fidelitatem juraverint illi, cur aut quomodo statim derogas eidem juri, tanquam omnino nulli sive irrito, inquiens postea Henricum a Romano pontifice, ad quem "jus dominii directi in insulam et incolas pertinebat, petiisse jus dominii feudalis sive beneficiarii," in insulam eamdem paulò ante armis et classe a se expugnatam. Igitur, si, ut tu ais, Henricus post deditionem sibi factam ab Ibernis, quos armis terruerat, adiit Adrianum IV. pro jure in Ibernos eorumque patriam impetrando, consequens est, ut idem Henricus sibi fuerit conscius, quòd nullam legitimum jus ipsi competebat adhuc post deditionem Ibernorum, ante quam Adrianus papa consentiret sine cujus assensu, etiamsi sese dederint Henrico, non poterant ullum agnoscere pro principe et domino suo legitimo. Præterea, mi Camber, non attendebas ut verba ipsa tui diplomatis evertant totum tuum proemium et notas in illud, etiam testimonio tui Henrici negantis se ante acceptum ab Adriano papâ privilegium sive bullam illam, habuisse quicquam juris sive ad invadendam Iberniam, sive post invasionem ad eam possidendam, sive ad exigendam ab Ibernis subjectionem ullam. Ais, namque Gyralde, Adrianum in dato diplomate illo ita alloqui Henricum: " Significasti siquidem nobis, fili charissime, te Iberniæ insulam ad subdendum populum legibus, etc., velle intrare, etc., nos itaque, etc., petitioni tuæ benignum impendentes assensum, etc., acceptum habemus, ut pro dilatandis ecclesiæ terminis, etc. insulam illam ingrediaris, etc., et illius terræ populus te honorificè recipiat, et sicut dominum veneretur," etc. Nonne, O Camber, cæcus est qui non videt verba ista Adriani, quam Henrici apertè indicare, nondum fuisse Henricum ingressum Iberniam, aut ab Ibernis agnitum fuisse pro domino, antequam ab Adriano diploma istud tuum accepisset? Ut quid ergo et te et alios fallis, et ipse nesciens quod dicas, tibi crassè contradicis, aiens, et Henricum post reditum ex Iberniâ quam expugnârat, et post subjectionem ipsi tanquam domino ab Ibernis principibus exhibitam, misisse Romam ad Adrianum pro jure dominii in Ibernos, et ad intrandam in ipsorum regionem et ut iisdem liceret illum venerari tanquam dominum.

Hæc ista tua multa manifestaque mendacia et contradictiones tuas circa bullam Adriani, O Gyralde! adeo fusè coactus sum persequi et prodere, quòd illam non a te solum, sed ab aliis magnis viris bonâ fide deceptis videam absque idoneâ causâ aut debito exa-

mine prævio magni fieri, et urgeri, et tanquam sincerum Adriani diploma vulgò venditari, in quo errore, quem primus instillavit omnium noster Gyraldus Cambrensis, fuerunt, Richardus Stanihurstus, Baronius, et Bellarminus, in suo brevi chronico, cum Mattheo Westmonasteriense, et Hectore Boetio. Cæterum revera bulla illa attentiùs inspecta, et perpensis rationibus temporum, decretis pontificum, statu rerum Iberniæ temporibus Adriani et Henrici, examinatis præterea aliis prout æquum est circumstantiis historicis, bulla, inquam, illa deprehendetur esse non aliud quam bulla; id est, vana et inanis fictio otiosi cujusdam capitis, qui invidebat Ibernis, adulabatur regibus Anglis, et equitatem honoremque ac sapientiam Romani pontificis Adriani in discrimen afferre volebat, prout probatum est, et magis statim probandum erit.

CAP. XIX.

Fictitium aut surreptitium fuisse diploma Adriani IV. papæ de investiturâ Iberniæ concessa Henrico II. regi Angliæ, novis argumentis demonstratur, videlicet, ex S. Bernardo, ex fide et factis summorum pontificum illius temporis, scilicet Eugenii III., Lucii III., Urbani III., Alexandri III., ex factis etiam ipsius Henrici, ex ineptiis imperitiâque historicâ et absurdis verborum, tenoris et scriptoris bullæ illius, ex aliis notis nequioris aut magis suspectæ fidei ejusdem diplomatis.

INTER ceteras historiæ bonæ, sinceræ scriptionis leges non postrema consetur, quæ præcipit ut lector ad explorandam fidem rerum, quæ narrantur, minus attendat ad numerum scribentium, maximè verò ad fidem primi scriptoris, unde ceteri excripserunt. Ut etiam fides potior habeatur narrantibus ex visu, quàm ex auditu, quòd visus vix, auditus facilè crebròque fallat. Ut etiam major ratio, fidesque narrationis sincerior conseatur residere penes meliores, magis probas, minus suspectos, antiquiores auctores. Videamus an adversarii possint proferre notas probas, et tot quæ sufficiant ad persuadendum non leviter credulo lectori, præsertim vel mediocriter versato in annalibus aut historiis generalibus, rerum priscarum, quæ in ecclesiâ contigerunt? Ego planè non potui notare, illos qui diploma sub nomine Adriani IV. papæ datum Henrico II. arbitrantur esse sincerum, niti aliâ fide quàm vel in fide primi scriptoris bullæ, vel levitate credendi, vel lapsu memoriæ vel incuriâ examinandi, quod maximè debebant, ut jam ordior ostendere. Ante sumus experti fidem falsam Gyraldi Cambrensis, qui meritò suspectus est, etiam cùm loquitur vera, dummodo non adversum se aut suos loquatur. Gyraldum in universâ narratione de bullâ illâ, clausis oculis, fidenter secutus est Richardus Stanihurstus, lib. 3. pag. 154 et 155, Baronius, ut omnino mihi persuadeo, lapsû solius memoriæ, contradicens sibi ipsi in hâc re, ut ostendam, approbavit et descripsit ex codice quodam Vaticano,* bullam prædictam, et Bellarminus, Baronio fidens, eamdem pro sincerâ videtur habere. Verum justis momentis ponderemus, quæ isti adversum nos allegant; imprimis Baronius,† tom. 12. cum

* Quem meritò suspicor habere auctorem Sylvestrum Gyraldum Cambrensem, aut alium qui verbatim illum descripserat.

† Quem inscium, et immemorem diximus hausisse errorem ex impuro fonte codicis Cambrensis, in Vaticano collocati.

imposuisset finem actis Adriani IV. papæ, quem ex consensu historiorum omnium rectè ait creatum anno sal. 1154, 3 vel 4 nonas Decembris, Indict. 3; vitâ verò functum anno 1159 kal. Septem. aut mense Octobris, hæc addit: "ne quid excidat de tanti pontificis memoriâ, hic describemus, ex codice Vaticano, diploma datum ad Henricum regem Anglorum de rebus Iberniæ, in meliorem statum religionis restitutis. Sed quo anno sui pontificatûs incertum, quod hic habet, 'Adrianus episcopus, servus servorum Dei, carissimo in Christo filio, illustri Anglorum regi, salutem et apostolicam benedictionem.'" Laudabiliter, fructuosè, de glorioso nomine propagando in terris, etc.

Cæterum vel ex Baronii notâ, censurâque de bullâ illâ, facilè verum apparet, quòd antè dicebam, nimirum diploma esse suspectæ notæ, et Baronium memoriâ lapsum. Malæ notæ suspicionem quis non capiat, qui curiosiùs observat in diplomatis neque titulis neque tenore, neque, fine conspici, sive nomen proprium Henrici, (ad quem fingitur fuisse scripta bulla) sive locus unde fuit scriptum, sive mensis, annus Christi, annus pontificatûs Adriani, indictio, sive ceteræ circumstantiæ consuetæ et accessoriæ ad faciendam plenam fidem, publicamque, legitimorum instrumentorum aut diplomatum, quæ regibus aut aliis dantur ab apostolicâ sede. In tenore præterea diplomatis ejusdem tacentur nomina legatorum, (contra Romanæ curiæ stylum consuetum a plurimis seculis) quos rex Henricus dicitur Romam misisse ad tantum negotium expediendum, impetrandumque dominium regni non modici, sed vastissimæ insulæ Iberniæ, quæ totam Angliam, si non superat, certè magnitudine exæquat.

Memoriâ porro lapsum fuisse illustrissimum Baronium, vel inde conjicias, tum ex iis, quæ de statu felicissimo ecclesiæ Iberniæ fusiùs ex S. Bernardo et ex archivis Romanis recenset ad annum sal. 1124, 1137, 1148, 1151, quæ ferè et omnia et singula e diametro adversantur isti bullæ pseudo-Adriani, tum etiam ex aliis quæ idem Baronius ex Rogerio Hovedeno Anglo approbat, et describit ad annum sal. 1171, ubi ait hoc eodem anno; primum, id est, duodecem ferè annis post mortem Adriani IV., Henricum II. regem Angliæ, post expugnatam Iberniam, petiisse per legatos a pontifice Romano Alexandro III. ut jus dominii in insulam a se expugnatam concederetur.

Tandem verò et falsitatem diplomatis ejusdem, universim patefacit Alexander III. et Lucius III. qui Adriano IV. successerunt. Alexander quidem per missum a se legatum in Iberniam anno sal. 1177, per cardinalem, nimirum, Vivianum, de quo refert Gulielmus Neubrigensis, lib. 3. cap. 9: "quòd consilio juverit Ibernos, eosque obsecrationibus ac benedictionibus publicè datis animaverit, ut pro patriâ et libertate pugnarent contra Henricum II. qui per suos Anglos Ibernis cupiebat imperare, et eosdem patriis sedibus atque

jure avito et libertate exuere tentabat." At Lucius qui Alexandro successit quid contra Henricum avidum imperii in Ibernos, egerit, nobis dicet qui hoc tempore vixit Rogerus Hovedenus, in Annall. ad annum sal. 1185, his verbis: "Henricus rex Angliæ misit nuntios suos ad Urbanum III. papam (successorem Lucii III.) et multa ab eo impetravit, quibus papa Lucius fortiter resistebat, quorum unum hoc fuit, quod ab eo (Urbano) impetravit, quod unus quem vellet Henricus de filiis suis (quorum tres hoc tempore superstites erant, nimirum Galfridus, Richardus et Joannes) coronaretur de regno Iberniæ, et hoc confirmavit ei dominus papa bullâ suâ, et in argumentum voluntatis et confirmationis suæ, misit ei coronam de pennâ pavonis auro contextam." Itaque si credimus duobus istis Anglis historicis, (amicissimis suo regi Anglæ Henrico, cum quo et unà vixerant) tametsi Henricus a Romanis pontificibus petierit, nunquam tamen impetrare potuit, sive pro se, sive pro filiis jus legitimum in Ibernos (alioqui armis Henrici jamdudum ab anno salutis 1172 subactos) nisi primum ab Urbano III. papâ, anno sal. 1183, id est, 26 annis post mortem Adriani IV. ac proinde testimonio ac factis Romanorum potificum, qui immediatè secuti sunt Adrianum, testimonio præterea unius cardinalis, et duorum Anglorum historicorum tunc viventium, evincitur fictitium fuisse diploma Adriani, cujus acta non ignorârunt iidem testes, præsertim in re tanti momenti, quanti fuerat donatio regni et investitura Iberniæ, si ulla non ficta a quibusdam, sed facta ab Adriano fuisset Henrico II. Neque ista ignorare poterat ipse Henricus, qui cum temporibus Adriani IV. Alexandri III. Lucii III. Urbani III. imperaret legitimè Angliæ, Normanniæ, Andegaviæ, Aquitaniæ, atque in suis regalibus edictis et litteris publicis, (quarum plurimas recitant Rogerius, Baronius et alii) præfigere erat solitus suum titulum, Regis Angliæ, Ducis Normanniæ, Comitis Andegaviæ, Ducis Aquitaniæ, in nullis tamen edictis suis aut litteris ausus fuit, viventibus illis pontificibus Romanis, inserere titulum regis aut domini Iberniæ, quem titulum Iberniæ absque dubio inseruisset, nisi sibi metueret a papâ Alexandro et Lucio semper resistentibus petitioni Henrici ambientibus ab illis legitimum titulum et jus in Iberniam. Quod si Henricus ab Adriano papâ qui immediatè Alexandrum præcesserat, sicut et Alexander, Lucium, jam impetrârat jus imperandi et dominium Iberniæ, cur, quæso, idem Henricus, quando, anno sal. 1172, post expugnatam a se Iberniam et ad se vocatis ab eodem, in unumque coactis jam victis, ferè cunctis principibus insulæ, petierat ab eisdem, ut se regem Angliæ, agnoscerent pro domino etiam Iberniæ, et respondentibus intrepidè eisdem etiamsi victis, "se neminem ex Europæ principibus velle agnoscere pro legitimo suo domino, præter unum pontificem Romanum, aut quem ipse Ibernis principem præficere vellet," cur, inquam, Henricus, hoc responso Ibernorum audito, non statim expromserit, si quod habuit,

diploma Adriani papæ, qui putatur concessisse Henrico dominium Iberniæ? et tamen nullum expromsit, sed, ut ait Polydorus Vigilius, audito responso Ibernorum, misit legatos Romam ad Alexandrum pro impetrando jure dominii in Iberniam, quod ipsum testatur Rogerus ad annum sal. 1172. Et sanè, primus omnium regum Anglorum, qui tam in suis insignibus quàm in litterarum titulis inseruit ac nominavit se palam, annuente summo pontifice, Dominum Iberniæ, fuit Joannes, qui decimo a morte Henrici II. sui patris anno regnare cœpit.

Hæc videntur esse universalia argumenta, quæ, nisi fallor, persuadent fallacem scriptorem fuisse, qui primus bullam illam sub nomine Adriani IV. papæ litteris mandavit. Venio ad specialia, evidentissimaque indicia fraudis præcipuorum partium illius privilegii, sive diplomatis pseudo-Adriani. Inter quas partes sunt istæ:

Primò, Iberniam Adriani annis fuisse rudem, indoctam, legum expertem, christianæ fidei prædicationis ac plantationis indignam, bonis moribus penitus vacuam, vitiorum plantariis sylvescentem, extra terminos ecclesiæ, præsertim quod ad statum religionis catholicæ attinet, positam.

Secundò, Adrianum eâ lege Henrico concessisse dominium Iberniæ, ut in eâ per bonos prædicatores evangelium seminaret, virtutes plantaret, vitia gentis eradicaret, et ex Iberniæ domibus singulos denarios argenteos quotannis in signum et recognitionem tributi, penderet Henricus S. Petro et sedi apostolicæ. Ut item jura ecclesiarum Iberniæ inviolata, integraque Henricus conservaret.

Tertiò, Non Iberniam tantùm sed et omnes insulas, quibus sol justitiæ Christus illuxit, et quæ documenta fidei christianæ ceperunt, ad jus B. Petri et sacrosanctæ ecclesiæ Romanæ absque omni dubio pertinere. Atque hoc Henricum fassum fuisse unà cum Adriano papâ.

Verùm hæc tria capita expressa in bullâ prædicta, demonstrant scriptorem illius fuisse egregiè imperitum ac impostorem, ut optimo pontifici Adriano irrogâsse insignem injuriam, quem Adrianum rudem facit et ignarum rerum sui temporis vulgò notarum, accusat et temeritatis et injustitiæ, ut jam clarum faciam.

Ad primum caput, quod attinet, ut fraus et falsitas detegatur eorum, quæ in illo affirmantur de pessimo statu rerum, religionis, morum, disciplinæ ecclesiasticæ in Iberniâ illis ipsis diebus Adriani pontificatûs, sciendum est Adrianum fuisse creatum cardinalem ab Eugenio III. qui obiit anno sal. 1153, quo eodem anno mortuus est S. Bernardus Clarevallensis; anno autem sequenti, qui fuit 1154, præfatum Adrianum fuisse creatum summum pontificem; sexennio verò antequam Adrianus fieret papa, migrâsse in cœlum S. Malachiam, Iberniæ archiepiscopum et legatum sedis apostolicæ: Eugenium papam, qui creatus fuit anno 1145, successisse Lucio II. qui antecessorem habebat Innocentium II. creatum anno sal. 1130, et

mortuum anno 1143. Ut proinde stultus sit qui credat Adrianum papam vel ignorâsse quæ publicè decreta fuerunt aut scripta aut provulgata a suis proximè præcessoribus pontificibus, Eugenio, Lucio, Innocentio, vel etiam contraria decretis, scriptis aut responsis istorum sensisse aut concessisse Henrico II. Anglorum regi, vel item ignorâsse, quæ universæ ferè Europæ tunc constabant de S. Malachiâ, cujus res gestas S. Bernardus fusè letteris mandârat anno sal. circiter 1152.

Ergo audiamus quid S. Bernardus in vitâ Malachiæ scripserit de rebus quæ in ipsos penè oculos Adriani, cùm cardinalis esset, et post pontifex, incurrerunt: id est de statu rerum et religionis christianæ ac disciplinæ ecclesiasticæ in Iberniâ ab anno sal. 1119 usque ad 1153, quo S. Bernardus obiit, post quem, paucis diebus fuerat Henricus II. viginti-septimo circiter ætatis suæ anno creatus rex Angliæ: "Malachias factus sacerdos (anno sal. 1119,) deinde episcopus Conertensis, (anno 1124) tandem archiepiscopus Armachanæ, (anno 1128) cœpit instar ignis urentis in consumendo criminum vepres; in dejiciendis plantationibus malis, in extirpandis barbaris ritibus, in plantandis ecclesiasticis, et tamdiu perseveravit, pulsans, donec ipsi aliquando pulsanti apertum sit. Cessavit duritia, quievit barbaries, et domus exasperans paulatim leniri cœpit, paulatim correptionem admittere, recipere disciplinam, fiunt de medio barbaricæ leges, Romanæ introducuntur, recipiuntur ubique ecclesiasticæ consuetudines, contrariæ rejiciuntur, ædificantur basilicæ, ordinatur clerus in illis, sacramentorum ritè solemnia celebrantur, confessiones fiunt, ad ecclesiam conveniunt plebes, concubinatus honestat celebritas nuptiarum. Postremò, sic omnia in melius mutata, ut hodie* illi genti conveniat, quod Dominus per prophetam dicit! qui antè non populus meus, nunc populus meus." Hæc isto loco Bernardus de Malachiâ reformante Iberniam; de quo eodem alibi in sermone quem habuit Bernardus in die depositionis Malachiæ, quem propriis manibus intulerat in sepulchrum, hæc scribit: "Posuit sine sumptu evangelium, replevit evangelio patriam suam, etc. Sancte Malachia serva domum istam (Clarevallensem) in sanctitate et justitiâ, misertus nostri, qui inter tot et tantas miserias memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructamus. Magna est super te divinæ dispensatio pietatis, qui te parvum fecit in oculis tuis, magnum in suis, qui magna fecit per te, salvans patriam tuam, (Iberniam) magna fecit tibi, introducens te in gloriam suam," etc.

Sed pergit Bernardus, in vitâ Malachiæ, inquiens: "Malachias ex Iberniâ Romam venit,† ad Innocentium papam, qui eum benignè ac humanè suscepit, compassus illi super longâ peregrinatione.

* Jam monui ista scripsisse de Ibernis Bernardum anno sal. circiter 1152, id est, biennio ante Adrianum creatum pontificem, sed spectatorem tamen fere rerum istarum, cùm cardinalis esset.

† Anno sal. 1137, ut vult Baronius, quamvis veriùs videatur anno 1141.

Cùmque per id temporis sæpè ac diligenter ab eo, et ab eis qui cum eo (Malachiâ) erant, summus pontifex inquisiisset de patriâ, mores gentis, statum ecclesiarum (quem felicissimum tunc fuisse ait S. Bernardus alibi,) et quanta in terrâ illâ Deus per eum operatus fuisset,* paranti jam redire in patriam, commisit vices suos per universam Iberniam, legatum illum constituens. Petiit verò Malachias jam legatus factus confirmari novæ metropolis Cassellensis,† constitutionem, et utriusque sedis sibi pallia dari, et confirmationis quidem privilegium mox accepit. 'De palliis autem oportet,' inquit summus pontifex, 'solemniùs agi. Convocatis clericis et episcopis, et majoribus terræ Iberniæ, celebrabis generale concilium, et sic conniventiâ et communi voto universorum per honestas personas requiretis pallium, et dabitur.' Deinde tollens papa mitram de capite suo, imposuit capiti ejus (Malachiæ) sed et stolam cum manipulo dedit illi, quibus uti inter offerendum solebat, et salutatum in osculo pacis, dimisit eum, apostolicâ fultum benedictione et auctoritate, etc. Malachiâ in patriam reverso, de civitatibus, et castellis, et vicis occurrunt, et quocumque diverterat suscipitur exultatione universæ terræ. Verumtamen non cupit honorem, opus exercetur legationis. Multis in locis celebrantur conventus multi, ne qua regio seu portio regionis legationis fructu et utilitate fraudetur. In conciliis quæ passim celebrantur, repetuntur antiquæ traditiones, quas tamem bonas fuisse constiterat, abolitas verò negligentiâ sacerdotum. Non modò vetera restaurantur, cuduntur et nova, et quæcumque provulgavit, tanquam cœlitùs edita acceptantur, tenentur, scripto mandantur ad memoriam posterorum. Quid ni cœlitùs missa crederentur, quæ tot cœlestia confirmârunt miracula, et ut fidem dictis faciam, perstringam nonnulla paucis; quis enim cuncta enumeret." Denique, Eugenius III. anno sal. 1151, cum quatuor palliis archiepiscopalibus in Iberniam misit Cardinalem Joannem de Paparona legatum (meritò laudatum a S. Bernardo et Baronio de legatione cardinalis) ubi celeberrimum celebravit concilium, cui interfuerunt ‡ "omnes Iberniæ episcopi, abbates, reges, (sex) duces, et majores terræ natu; in quo concilio auctoritate apostolicâ, et concilio cardinalium, consensu episcoporum, abbatum, et aliorum ibidem consistentium, quatuor archiepiscopalibus Iberniæ sedibus data fuerunt quatuor pallia, hoc ordine, ut ex codice Vaticano (recenset Baronius) primum collatum fuit metropoli Armachanæ in Ultoniâ, secundum metropoli Cassellensi in Momoniâ, tertium

* Nimirum supra sexaginta maxima miracula, et signa quodammodo Mosaica, patrata a Malachiâ, inter quæ et suscitatio mortuorum, ut pluribus persequitur Bernardus.

† Nam antiquissima metropolis Armachana jamdudum ante plurima secula fuit confirmata a Romano pontifice.

‡ Teste Philippo Flattesburio, apud Stanihurstum, pag. 217.

metropoli Dubliniensi in Lageniâ, quartum metropoli Tuamensi in Conaciâ." Mansit autem in Iberniâ tamdiu Cardinalis Paparona legatus, donec insulam universam obiret, et accuratum diœceseos ejusdem insulæ atque episcopatum* descriptionem, unà cum relatione de optimo statu, moribus, disciplinâ, pietate gentis deferret Romam ad Eugenium III. qui antequam legatum Paparonam mitteret, noverat acta, vitam, gesta, miracula Malachiæ, petitiones ejusdem quando venerat Romam ad Innocentium II. et responsa Innocentii ejusdem. Et ut antè monueram Adrianus cardinalis et pontifex nihil horum ignorare potuit. Hic vides, optime lector, vix in Europâ fuisse faciem ecclesiæ pulchriorem, aut leges ecclesiasticas, bonosve mores christianâ natione magis dignos visos temporibus Innocentii, Eugenii, Bernardi, Adriani, quàm in insulâ Iberniâ, nisi nos fallant S. Bernardus, et alii penè oculati testes citati. Quapropter non injuriâ dicebam et impostorem et imperitum, et calumniatorem fuisse, qui primus populo obtruserat sub nomine Adriani papæ bullam illam de dominio Iberniæ concesso Henrico II. regi Anglorum, in quâ finguntur tot fœda et infamia mendacia de gente Ibernorum, viventibus Adriano papâ et antecessoribus ejusdem, in quâ etiam finxerat scriptor Adrianum ipsum et Henricum II. testes fuisse turpitudinum et horrendorum criminum illorum. Debebant proinde erubescere de imperitiâ suâ (qui non legerint aut dissimulaverint se legisse S. Bernardum, actaque temporum Adriani et prædecessorum) et mendaciis, non solùm Gyraldus Cambrensis, sed et Polydorus Virgilius, quibus inscius assensum accommodavit Stanihurstus, lib. 3, pag. 130 et 155, dicentes temporibus illis, Iberniam in eo rerum miserando statu fuisse, ut quisque indigenarum pro libito et opibus tot sibi copularet, quot concupisceret uxores; religionem christianam, ecclesiasticas leges, bonos mores non inclinatos tantum, sed penè prostratos extinctosque, Iberniam præterea immersam fuisse in profundo inscitiæ, superstitionum, barbariei, omniumque pene scelerum ac licentiæ cœno. Cæterum istas calumnias partim confictas fuisse odio Ibernorum, partim studio adulandi Henrico et regibus Anglorum, certè odio veri dicendi, facilè ex iis quæ ex bonæ notæ testibus descripsimus elucet, unde et evanescunt tanquam vana, quæ secundo loco impostor ille, faber diplomatis affirmat.

Nimirum eâ lege Adrianum "Henrico investituram Iberniæ concessisse, ut ibidem evangelium prædicari curaret, religio christiana plantaretur, vitiorum plantaria eradicarentur, et cetera gentis enormia scelera," etc. Scilicet si Adrianus Iberniam adeo fœdis sceleribus deformatam (finge ita fuisse) et religionis christianæ expertem voluit reformare, et ecclesiasticis legibus ac disciplinis

* Qui 42 numerabantur, nunc redacti ad 28 præter quatuor archiepiscopatus.

instruere, neminem christianorum principum magis ad hæc exequenda idoneum inveniret, quàm Henricum II. Anglorum regem, quem non ignorabant Adrianus et successores fuisse unum ex præcipuis perturbatoribus pacis ac disciplinæ, et legum ecclesiasticarum in Europâ, et persecutorem cleri, libertatisque et immunitatis sacerdotum, episcoporum, aliarumque sacrarum personarum? Quasi verò Adrianus nesciverit, Henricum II. fuisse qualem describit Thomas Stapletonus Anglus in suo apologetico pro S. Thomâ Cantuariense, cujus mortis nefariæ reum fuisse Henricum quis neget? "Vetus fuit," inquit Stapletonus, "regum Anglorum morbus, maximè ab annis 500, ut cleri immunitates, privilegia et exemptiones, quibus videlicet jus suum regale violari existimabant, omnibus modis vel abrogarent, vel certè magis ac magis imminuerent. Rex Henricus ejus nominis secundus, prædecessorum suorum, utriusque Gulielmi, Henrici primi et Stephani (qui obiit anno sal. 1154, quo et creatus est Henricus II. rex,) qui cleri immunitates sicut et populi multis modis violare conati sunt, in concilio regio sanxerat, ut cuncti, etiam sacris initiati, qui cervos aut damas intra septa regia seu saltus occidissent, a profano judice mulctarentur." Et alia horrenda sanxerat, ac fecerat pro more, idem rex contra ecclesiasticos, etc. ut videre est apud Neubrig. lib. 2, cap. 16, et lib. 3, cap. 26, et Baronium, innumeris penè locis.

Si quæras quâ in re insistebat vestigiis Stephani regis, Henricus successor, tibi dicet oculatus testis Joannes Salisberiensis, lib. 6, Policratici sive De Nugis Curialium, cap. 18, ubi inter alia hæc lege de impio illo Stephano rege: "et non tam regnante, quàm concutiente et collidente clerum et populum, provocabantur omnes ad omnia. Mensura namque juris vis erat, et cum multa malè, pauca benè, illud quidem pessimè egit, quòd in contemptum Dei, in Christos ejus, manus injecit. Non tamen solos, etsi primos, ad perniciem sui, cæpit episcopos, sed omnibus quos suspectos habuit, proditionis suæ tetendit insidias. At in captione episcoporum, initium malorum fuit, et facta sunt semper novissima hominis pejora prioribus. Quid multa? in diebus ejus (novem decem annis regnavit) multiplicata sunt mala in terrâ, ut si quis ea summatim recenseat, historiam Josephi (Judæi, de bello Judaico et antiquitatibus) possint excedere." Hæc Salisberiensis aliquando carus Henrico, comes et discipulus S. Thomæ Cantuariensis, cùm exularet ex Angliâ occasione tyrannidis Henrici.

Neque ista Stephani acta latuere Adrianum papam, qui ipso ferè mense, quo mortuus est Stephanus, fuit ipse creatus Romanus pontifex.

Quis autem ignorat Henricum II. "ut defenderet," quemadmodum ipse dicebat, leges avitas, id est leges libertati ecclesiasticæ e diametro oppositas, persecutum fuisse usque ad mortem S. Tho-

mam Cantuariensem, et universum clerum Angliæ coegisse ad excitandum schisma, contra Romanum pontificem? et quis neget vera scripsisse Alexandrum III. papam in diebus Henrici de nefandis ejusdem actis adversus clerum ac disciplinam ecclesiasticam, deque schismate ejusdem, simul et totius cleri Anglicani adversus sedem apostolicam, ita dicentem et alloquentem caput schismatorum, Rogerium Eboracensem archiepiscopum, ut refert Rogerius Hovedenus, Anglus historicus, ad annum sal. 1170, "Quòd si ad excusationem tantæ prævaricationis,* quisquam objiciat in aliis quoque regnis gravia plurima et enormia patrari, in veritate possumus respondere, quod nullum adhuc regnum in tantum divinæ legis contemptum invenimus corruisse," etc.

Hæc Alexander III. papa: et Adrianus tamen papa tales prædicatores evangelii in Ibernià, stabiliendâque in eadem disciplinâ ecclesiasticâ, quales fuerant rex Stephanus, Henricus II. eligebat? Vide, qui plura et pessima de oppressionibus ecclesiarum, atque ecclesiasticorum factis ab Henrico II. tam antè, quàm post persecutionem immanem illam ab ipso excitatam adversus universum Anglorum clerum, et ipsorum primatem S. Thomam Cantuariensem, nosse cupit; adeat oculatos testes eorumdem temporum, et familiares Henrico Anglos et Gallos scriptores, præsertim Joannem Sarisberiensem, epist. 112, 159, 179, et Petrum abbatem Cellensem (discipulum Sarisberiensis) post factum episcopum Carnotensem, lib. 3, epist. 10; lib. 4, epist. 13; lib. 7, epist. 2 et 3; ubi inter alia hæc spargit, quæ hìc colligo: "Solent homines terræ tuæ (Angliæ) potiùs sapere ad ebrietatem quàm ad sobrietatem, vitium ignobile et inter cetera vitia ignobilius. De gente terrâ (Anglicanâ) et moribus satis mihi notum est, quia utres, imo ventres suos solent implere, quinimo superfundere tam de vino, quàm de multe sine reprehensione. Secunda de plagis Egypti maximè debacchatur in partibus vestris transmarinis, ubi rex Angliæ (Henricus II.) omnes penè canes sic elingues reddidit, ut mussire non valeant, ne dicam latrare. In vestrâ patriâ (Angliâ) non monachi, ut pace illorum dicam, sed ex monachis, super numerum multiplicati, nomini sancto, quod invocatum est super eos, contumeliam afficiunt, dum turpiter vivunt. Dum ventris, gulæ et luxuriæ desideriis se exponunt, dum corpus suum, quod dici nefas est et negatio contra Deum, contumeliis afficiunt. Nomen itaque Dei per eos blasphematur inter gentes; utinam Phineas resurgeret. Utinam Elias zelo zelatus pro domo Israël recumbentes in idolio igne celesti consumeret! utinam saltem Jeremias captivitatem Sion filiæ, triplici luctu, scilicet orationis, prædicationis, exempli doceret, moneret, deflecteret. Verus nempe Pharao, qui omnia dissipat, et cum Deo non congregat,

* Anglorum adversantium libertati cleri, et cleri turpiter assentientis Henrico.

lapides sanctuarii per platearum compita disseminat, vasa templi Domini in delubris juxta Dagonis portat, filium virginis cum filio Veneris collocat, et in phialis et schyphis cum concubinis suis usque mane potare non cessat. Usquequo, Domine, non est qui pennam moveat? medium silentium tenent omnia," etc.

Hæc et his plura scriptores isti universim dictitabant de rege Henrico, statu, moribus, vitiis populi, prælatorum, monachorum Angliæ sub eodem rege, vivente Adriano et Alexandro III. summo pontifice. Quæ cuncta silentio involvens calumniator Ibernorum Cambrensis, ut gratiam majorem iniret apud Henricum II. et ipsum suspicione tyrannicæ invasionis Iberniæ apud imperitos liberaret, fingit, aut ab alio figulo acceptum dissipat diploma pontificium ab Adriano papâ datum Henrico, quem a pontifice introducit laudatum ob conceptum zelum divinum de reformandis moribus et clero Iberniæ per prædicatores Anglos, reducendo ad normam cleri Anglicani, tunc inquit, satis ordinati, atque ad decreta, sanctionesque sacrorum ecclesiæ Romanæ canonum reformati, ut narrat Camber, lib. 1, Vaticin. Hist. cap. 33 et 34, et lib. 2, cap. 6. Sanè si pontifex curam componendi mores gentis, reformandi clerum, dilatandi terminos ecclesiæ, restringendi vitia, plantandi virtutes commendasset Henrico II., imprimis ipsum monuisset, ut antequam cogitaret de reformandis externis, regnis aut gentibus Iberniæ, convertisset priùs curas ad quærendum medelam malis domesticis tam propriis suis quàm sui populi et cleri Anglicani, adeo infecti vitiis ebrietatis, luxuriæ, dissolutionis, inertiæ et incuriæ erga sacra, et Dei obsequium, ut antè audivimus recensentem Petrum Cellensem, Alexandrum III. papam, alios, præsertim Neubrigensem Anglum testem præsentem et occulatum, lib. 2, cap. 16, ubi de statu cleri illius imprimis ait, ipsum universum, uno excepto Thoma Cantuariense, consensisse in schisma adversus Romanum pontificem et ejus potestatem, condendo et subscribendo iniquissimis legibus Henrici adversus ecclesiæ prærogativas, immunitates, libertatem, et adversus personam Alexandri III. papæ, ut testatur Rogerius Hovedenus, qui ista accidisse ait vix biennio exacto a morte Adriani IV. papæ. Deinde ait Neubrigensis, clerum Angliæ illis et anterioribus diebus, tot enormibus criminibus fuisse fœdatum, præsertim furtorum, rapinarum, homicidiorum aliorumque facinorum, "ut ipso," inquit, "rege audiente, declaratum sit, plusquam centum homicidia intra fines Angliæ a clericis sub regno ejus commissa." Et quidem impunè, nemine nimirum episcoporum Angliæ corripiente vel cohibente ejuscemodi flagitiosos clericos a tantâ licentiâ peccandi. Pergat proinde Cambrensis fallere incautos, et spargat Henricum II. ab Adriano petiisse atque impetrâsse dominium Iberniæ, eâ inter alias lege, ut illam in abyssum malorum atque vitiorum jam delapsam, restituat atque reformet ad mores populi et ad normam ecclesiasticæ disciplinæ vigentis in clero Anglicano, qui prædicatoribus evangelicis sat

idoneis tunc abundabat, per quos enormissima Ibernorum flagitia et fœditates penitùs extirpari possent, et virtutum plantaria inseri in illorum animis. Pergat publicare, quod istis ipsis annis nulla fuerit, nisi fœda facies ecclesiæ in Ibernià; nulli idonei divini verbi prædicatores, aut animarum pastores; nulli mores præterquam pessimi, nulla legum observantia nisi barbaricarum, nullus pudor in indigenis, nullus metus Dei, nullus sacrorum cultus, et ut paucis multa absolvat, evulget de gente et statu et moribus Ibernorum illius temporis, quod scribit in suæ Topographiæ tertià distinctione cap. 10, dicens, "gentem illam esse gentem ex bestiis solùm, et bestialiter viventem, in quâ quod est naturæ optimum, quidquid fere industriæ, illud pessimum est; quorum mores omnes barbarissimi sunt," etc. Et cap. 35, inquiens: "Gens hæc, gens adultera, gens incœsta, gens illegitimè nata et copulata, gens exlex," etc. Ad quam corrigendam, et de cœno fœditatum extrahendam, et ad Romanæ ecclesiæ mores, leges, disciplinam, atque obedientiam reducendam, Henricus rex ab Adriano missus fuit, scilicet, domare proposito ipsi, collatoque conatûs tanti permagno præmio, non in cœlis tantummodo, verum etiam in terris, terram universam, sive regnum Iberniæ, cum jure dominii in incolas ejusdem, quos, si aliter non posset ferro et fortitudine, manuque armatâ ad imperata obsequiumque cogere posset.

Cœterum inconsideratus Camber, cui ludus erat lædere famam, et infame reddere nomen quos oderat Ibernorum, non cogitavit quanta debebat ipse ludibria lectoribus cordatis, atque in S. Bernardi Clarevallensis* opere de B. Malachiâ† versatis. In quâ vitâ Malachiæ, ut superiùs sparsim monuimus, Bernardus cunctas criminationes, mendacia, calumnias Cambri explodit, atque imprimis de gente, moribus, statu et facie ecclesiæ Ibernorum, temporibus Henrici II. et Adriani IV. (quorum uterque ferè una thronum ascenderunt, ille regni, iste Romani pontificatûs) qui non multis mensibus antequam Bernardus vitam viri sancti Malachiæ scribere desiisset, sedere cœperunt, ita loquitur. Per Malachiam in Iberniam "Romanæ leges introducuntur, recipiuntur ubique ecclesiasticæ consuetudines, contrariæ rejiciuntur, reædificantur basilicæ, ordinatur clerus in illis, sacramentorum ritè solemnia celebrantur, confessiones fiunt, ad ecclesiam conveniunt plebes, concubinatus honestat celebritas nuptiarum, postremò sic in meliùs omnia mutata, ut hodie (vivebat hisce diebus Camber) illi genti conveniat quòd Dominus per prophetam dicit; qui ante non populus meus, nunc populus meus." Cur dissimulâsti ista, O Camber? ut et alia plurima ex eodem Bernardo adversus vestras vanitates descripta a nobis superiùs. Cur tacuisti eumdem Bernardum scripsisse, Malachiam vel unum in Iberniâ fundâsse quadraginta bene ampla monasteria, referta viris religiosis et

* Qui Adriano antè cardinali notus erat ex vultu, verbis, scriptis.
† Itidem Adriano, cum Nicolaus cardinalis nominaretur, non ignoto.

egregiis evangelii prædicatoribus? Quæ et ipsa cœnobia, cum non modico numero sanctorum Dei præconum, qui illa incolebant, adhuc perstabant regnante Henrico II. Cur siluisti nominare et numerare tot in Iberniâ isto seculo florentes insignes Dei servos, quos vivente Henrico II. antecessore et Stephano rege Angliæ, vidisti recensitos a S. Bernardo, et aliis ejusdem ævi scriptoribus, quos tu procul dubio legisti? Nimirum SS. archiepiscopos, Celsum, Malachiam, Laurentium, (quos colit ecclesia Romana in suo martyrologio) Gelasium, Gillebertum, et episcopos SS. Malchum, Christianum, Malachiæ fratrem, et Christianum alium Malachiæ discipulum, (postea legatum sedis apostolicæ) Edanum, Neamiam, Catholicum: Matrem præterea, patruum, sororem Malachiæ, Imarum magistrum ejusdem; alios non paucos sanctos Malachiæ familiares aut discipulos, quorum omnium longè maxima pars plurimis annis etiam postquam Henricus II. regnare, et Adrianus IV. papæ sedere cœperat, adhuc in vivis erant, et signis ac miraculis in Iberniâ claruerunt. Ut proinde satis jam appareat, impostorem egisse, qui in diplomate illo sparserat cum Cambro, Adriani diebus Iberniam maximè in bonis moribus, et rebus religionis christianæ rudem fuisse, immersam in abysso vitiorum jacuisse, prædicatoribus evangelii caruisse, jus ac dominium Iberniæ Adrianum Henrico II. dedisse, eâ inter cæteras lege, ut christianam fidem in illâ seminaret, plantaret, conservaret, ipsamque ad regulam Romanæ disciplinæ ecclesiasticæ reformaret.

Venio ad refutationem tertii capitis fraudum diplomatis pseudo-Adriani papæ, quo dicebatur, Henricum II. unà cum Adriano fassos fuisse, "quòd non Ibernia modò, verùm et omnes insulæ quibus sol justitiæ, Christus illuxit, et quæ documenta fidei christianæ cœperunt, ad jus B. Petri, et sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, absque omni dubio pertineant." Sanè fatendum est, si ita res haberet, et omnes orbis universi sive insulæ sive regna, tributa vellent pendere S. Petro et Romanæ sedi apostolicæ, nihil inde vel damni vel dedecoris, sed non parum honoris atque veræ laudis, quin etiam et lucri acciperent. At res se et veritas aliter habet; et "Camber" aiens "omnes insulas christianas absque dubio pertinere ad jus Romanæ ecclesiæ," fallit et fallitur. Plurima, quod negandum non est, spectant ad patrimonium S. Petri et ad jus speciale sedis apostolicæ. Sed etiam multa non spectant, quantum nosse potui vel colligere ex accuratis scriptoribus, qui summâ cum diligentiâ tractabant de hoc ipso argumento. Inter quos sunt Augustinus Stevehius dictus Eugubinus, Genebrardus, Baronius, et novissimè R. P. Jacobus Gretserus e societate Jesu, in suo libello, "de Munificentiâ regum ac principum et imperatorum in sedem apostolicam." Num omnes insulæ maris Mediterranei, Adriatici, Ægei pontis, (ut Cyprus, Cretia, Lemnos, Balearicæ, etc. quas constat christianas fuisse vivente Adriano et plurimis ante illum seculis) pertinebant ad jus illud Romanæ ecclesiæ? quis scriptorum id prodit? num, ut taceam de ceteris insulis oceani, vastissima aqui-

lonaris illa, quam Islandiam appellant, unquam noscitur aut legitur pertinuisse ad jus speciale sive ad patrimonium Romanæ sedis? Et tamen noscitur temporibus Adriani, et plurimis annis ante ipsum lustris fuisse fide christianâ illustratam, et ad Deum conversam, per Adalbertum archiepiscopum Hambrugensem, (si fidem damus Alberto Krantzio, in præfatione suæ Norwegiæ) anno sal. 1070; id est, octoginta quatuor annis antequam Adrianus IV. fieret Romanus pontifex. Vel si verum volumus, Islandia illa cœpit Christum cognoscere circa annum sal. 900, et fidem divinam amplecti, operâ piorum quorumdam evangelii præconum, qui ex Iberniâ insulâ illò profecti fuerunt, uti scriptum reperio apud Anagrium Jonam, natione Islandum, in suâ Grimogeâ sive tribus libris de origine gentis et regione Islandiæ, quos anno sal. 1610 dedicârat Anagrias suo regi Daniæ Christiano IV.

Is auctor, ex priscis suæ patriæ historiis, loquens de initio religionis christianæ insulæ illius, hæc inter alia ait lib. 1. cap. 6. pag. 54: "Helgo cognomento Biola, homo ethnicus, ex baronibus Norwegiis oriundus, ethnicæ religioni suæ Islandiæ parum favit. Irlandum namque hominem (id est, Ibernum) christianum, exulem in vicinum recepit, Enrulphum nomine, cum suis familiis, nec recepit solum, sed et ædem divo Columbæ* sacram extruere permisit; in villâ Eisenberg, ejusdem quoque provinciæ (Iberniæ) juvenis quidam Buo dictus, sacratissimum illud humanarum victimarum fanum, et Deos universos ejusdem celeberrimi fani incendio delevit."

Hæc acta circa annum sal. 900; narrat præterea Anagrias, ut per varias Islandiæ, præsertim maritimas plagas, iidem et alii Irlandi posteriores distribuerint ac finxerint lignea crucis Christi trophæa, et alia erexerint monumenta, et signa christiana. Verùm de his hactenus, et de diplomate illo Adriani quod evidenter ostensum est fuisse fictitium aut surreptitium, certè scatens erroribus historicis, calumniis, aliisque multis mendaciis, et notis suspectæ fidei. Unde facilè conjici potest, falli Matthæum Westmonasteriensem in Floribus ad annum sal. 1155 ita scribentem: "Per idem tempus rex Anglorum Henricus nuntios solemnes Romam mittens, rogavit papam Adrianum, adhuc novum, cujus gratiam confidenter obtinere sperabat, utpote Anglum, liceret ei Iberniam hostiliter intrare et eum sibi subjugare, atque homines illos bestiales ad fidem Christi decentius revocare, ecclesiæque Romanæ fideliter inclinare. Quod papa regi gratanter annuit, et eidem super hoc privilegium destinavit." Hæc Florilegus, vel ut veriùs videtur falsilogus in hâc re. Fuit iste Matthæus fidei non sanæ in nonnullis narrationibus gravissimis, ut notavit Baronius; fuit 200 ferme annis post mortem Adriani IV. natus, ut proindè non potuerit certò scire, quæ scribebat, sed ab incertæ vel falsæ fidei teste acceperat. Nuntios illos

* Iste fuit Ibernus, cujus laus est apud Bedam, lib. 3. Histor. cap. 4. et cap. 25, et lib. 5. cap. 10, et in Romano martyrol. ad diem 3 Junii.

solemnes fuisse nullos, jam ostensum fuit superiùs. Henricum II. petiisse et impetrâsse ab Adriano IV. privilegium hostiliter intrandi et subjugandi Iberniam non videtur verosimile, nam ut cetera argumenta taceam, privilegium illud non potuit fuisse aliud quàm ex Cambrense et Baronio descripsimus superiùs. In quo tamen privilegio (quamvis falsæ fidei) non indicatur quicquam de hostili invasione vel subjugatione, sed de ingressu pacifico et ut, inquit scriptor privilegii, "populus illius terræ (Iberniæ) te (Henricum) honorificę recipiat, et sicut dominum veneretur." Quod autem ait Florilegus, homines illos (Iberniæ indigenas) bestiales ad fidem Christi decentiùs revocare, et ecclesiæ Romanæ fideliter inclinare, calumnia est, quam S. Bernardus ut vidimus, refutat, et satis apparet ex historiis probatis, fidem christianam, mores bonos, fidelitatem et observantiam erga Romanam ecclesiam longè illustriùs claruisse, et exactiùs servatam fuisse in Ibernià clero et populo temporum istorum, quàm in clero et populo Anglicano diu rebellante et schisma serente in perniciem ecclesiæ, et fœdato tot flagitiis, aliisque facinoribus enormibus, quod ex parte descripsimus ex Sarisberiense, Cellense, Neubrigense, Alexandro III. et aliis.

CAP. XX.

Falli Rogerum Hovedenum aliosque aientes, successorem Adriani, Alexandrum III. creâsse in regem Iberniæ, Henricum II. Angliæ regem.

ANGLI scriptores aliqui ut suum Henricum II. liberent suspicione iniquitatis et tyrannidis in invasione et expugnatione insulæ Iberniæ, quam noverant jure speciali spectâsse ad patrimonium S. Petri, et ad dominium supremum sedis apostolicæ atque Romanæ, vias omnes investigare voluerunt quibus apparet Henricum jure sibi a pontifice Romano concesso, expugnatam a se Iberniam retinuisse, Ibernis tributa imperâsse, et eosdem in perpetuum deinceps sceptro Anglicano sese subjicere coegisse. Verùm isti scriptores, ut pace eorum dixerim, frustra quærunt nodos in scirpis, et suâ in scribendo, partim inconstantiâ, partim improbabilibus assertionibus, partim inter se discordiis circa personam summi pontificis, tempus, causam, locum legationum aliasque circumstantias concessionis apostolicæ Henrico, ut fingunt, factæ, satis produnt, se non nisi variis et variantibus rumoribus motos, sparsisse de Romano pontifice, quæ ipsi in mentem non venerunt, sed potiùs contraria, et multum adversantia conatibus Henrici II. invadentis, expugnantis et possidentis Iberniam, ut jam planum efficiam.

Si perconteris, quis Romanorum pontificum jus in Iberniam dederit Henrico, et quâ de causâ et quando? respondet Gyraldus Cambrensis fuisse Adrianum IV. qui anno sal. 1172 post expugnatam Iberniam, dederit Henrico jus dominii in illam. Solus quod sciam Richardus Stanihurstus, Cambrensis imperitam narrationem approbat, quam nos satis ex testibus aliisque evidentibus argumentis universam reprobavimus superiùs. Notum est, Adrianum mortuum fuisse anno sal. 1165, Alexandrum verò tertium sedisse Romæ anno 1172, ut duodecem annis antè et novem post. Scripserunt circa annum sal. 1370 Matthæus Westmonasteriensis, dictus Florilegus, et Matthæus Paris Albanensis monachus (uterque Anglus, uterque ob virulentiam in summos pontifices et fabellas in catholicos et clericos gratus hæreticis) qui nescio unde acceperint, aiunt Adrianum, anno sal. 1155 concessisse Henrico illud jus non post expugnationem Iberniæ, sed ut hostiliter subjugaret eam. Quam fabellam antè

refutavimus, Nicolaus Sanderus in suâ historiâ de schismate Anglicano, scripsit circa annum sal. 1160, donâsse Iberniam Henrico multis de causis. Prima fuit, ut Henricus in illâ insulâ christianam religionem lapsam, et bonos mores inde exterminatos, et leges ecclesiasticas passim ubique per Iberniam rejectos reformaret ad regulas et decreta Romanæ ecclesiæ. Secunda, quòd Henricus, in Iberniam illis diebus cum ingenti classe appulsus, Ibernos subegerit. Tertia, quòd antequam appelleret, jam per suos aliquot milites, præsertim per Richardum comitem a Chepstow sive Strigwil, aut Strongbow, et per Robertum Stephanidem, partem aliquam Iberniæ non modicam manu armatâ occupaverit. Quarta, quòd ipsi Iberni fermè omnes voluerint habere et elegerint in suum dominum Henricum, quem etiam ab Adriano unanimes postulârunt sibi in dominum præfici. Quod idem et Henricus pro se postulaverat ab Adriano. Unde ista descripserit aut acceperit Sanderus, non possum divinare. Improbabilia esse certè scio, Adrianum Henrico nullum jus in Iberniam concessisse demonstravimus satis, ut et diploma sub Adriani nomine vulgatum fuisse ementitum aut surreptitium. Lapsam religionem christianam bonosque mores in Iberniâ annis Adriani, incredibile docuimus ex B. Bernardo. Cætera quæ subjungit Sanderus colore veri carent, cùm constet, Henricum non cœpisse expugnationem Iberniæ aut eò cum classe appulisse, nisi undecimo vel duodecimo anno post mortuum Adrianum; id est, anno sal. 1171 aut 1172, ut videre est tum in actis Alexandri III. (apud Laurentium Surium, tom. 3. conciliorum) ubi fit mentio, quòd idem papa per legatos cardinales missos ad examinandum Henricum II. de nece S. Thomæ Cantuariensis (quæ contigit anno 1170 aut 1171) eumdem Henricum revocaverit in Angliam aut Normanniam Galliæ, ex Iberniâ, quam paucis antè mensibus cum classe aggressus cœperat debellare; tum etiam quòd omnes veteres scriptores ad unum affirmant, Henricum non nisi post patratam cædem Thomæ martyris, et post annum sal. 1170, navigâsse in Iberniam, ut scribunt oculati testes Neubrigensis, Cambrensis, Robertus a Monte, alias dictus continuator Sigeberti, et qui triginta aut quadraginta annis post istos scripsit Rogerius Hovedenus, quem laudat et probat Baronius cum aliis; et licet Sanderus non descripserit, mentionem tamen facit diplomatis dati ab Adriano de jure Iberniæ concesso Henrico, quod diploma non potuit fuisse aliud ab illo fictitio Cambrensis, quod refellimus satis. In ipso nihilominus illo diplomate, nulla penitus est memoria trium illorum posteriorum causarum, quarum meminit Sanderus; et verò, si ita se res haberet quemadmodum arbitratur Sanderus, nimirum, Henricum per se et per suos invasisse atque expugnâsse Iberniam, antequam ipse peteret ab Adriano jus dominii in illam, potiùs credendum esset petitionem ejusmodi passuram repulsam, et Henricum petentem justam reprehensionem a Romano pontifice accepturum fore. Nempe qui, non tantùm inscio inconsulto-

que Romano antistite, invaserit occupâritque Iberniam regnum, juris Romani ad patrimonium B. Petri pertinens, sed etiam post insulam pontificiam iniquè occupatam, ausus sit ab eodem pontifice Romano petere jus dominii legitimi in illam. Itaque plusquam probabile putandum videtur, Adriano IV. tam parum venisse in mentem donare Henrico II. Iberniæ dominium, quàm venerit pontifici nondum nato. De quâ donatione Adriani altum video silentium apud Neubrigensem, Robertum a Monte, Rogerium Hovedenum, qui viderunt et multum faverunt suo regi Henrico, de cujus actis et de Adriani scripserunt plurima. De eâdem donatione nulla est mentio in actis Adriani memoriæ mandatis a scriptoribus priscis qui vitas Romanorum pontificum vulgârunt, nullâ recordatione factâ a chronologis eorumdem temporum, qui res Adriani maximè insignes, et memorabilia de Henrico II. ad posteros transmiserunt, inter quos chronologas, numero auctores Auctârii, Affligemensis, et Aquicinctini, quæ loco appendicis ad Chronicon Sigeberti Gemblacensis emendatum annexuit Aubertus Miræus, Belga doctissimus.

Alium igitur Romanum ab Adriano pontificem, qui dominium Iberniæ tradiderit Henrico II. scriptores Angli demonstrant. Quod fecisse sibi videtur primus omnium quod sciam Rogerius Hovedenus, aiens Henricum, post necem S. Thomæ Cantuariensis, cum classe appulisse et subegisse Iberniam, anno sal. 1172, ubi statim omnes universæ insulæ archiepiscopi (qui quatuor numerantur) et episcopi (qui viginti octo) cum principibus ferè omnibus regni, uno excepto principe Conaciæ, Henricum et posteros hæredes suos receperunt in suum regem ac dominum perpetuum, quod et juramento singuli et sigillis et subscriptione propriâ, instrumento publico in eum finem facto, confirmaverunt: quo facto, rex Henricus transcriptum chartarum universorum archiepiscoporum, episcoporum, et principum prædictorum misit Romam ad Alexandrum papam, qui auctoritate apostolicâ confirmavit Henrico et hæredibus regnum Iberniæ secundum formam chartarum illarum. Cumque interea Henricus moram egisset in Iberniâ usque ad pascha, (nam illuc appulerat proximo præcedente mense Octobri, ipso die S. Lucæ evangelistæ) misit Alexander papa duos cardinales legatos a Latere ad illum, ut redderet rationem de nece S. Thomæ Cantuariensis, cujus reum fuisse eumdem Henricum ferebat fama per Europam sparsa. Rex verò celeriter ex Iberniâ navigavit in Angliam, et inde ad Galliam ad occurrendum legatis, quorum censuræ se subjecerat ob injurias illatas beato martyri, etc. Hucusque in hanc sententiam Rogerus, cui per omnia solus quod sciam subscribit Baronius, nescio quantâ constantiâ memoriæ; nam Baronius ad annum sal. 1159, ait Adrianum IV. papam (eodem anno vitâ functum) fuisse pontificem a quo petiit et impetravit Henricus dominium Iberniæ; jam verò idem Baronius, in Annal. ad annum 1171, scribit Alexandrum III. dedisse dominium. Cæterum, si placet, numeremus et rejiciamus

errata plurima istius parum probabilis fabulæ Rogerii, qui illam litteris commiserat quinquaginta circiter annis postquam Henricus expugnarât Ibernos; (nam suos Annales scripserat circa finem vitæ Joannis regis Anglorum, qui obiit anno sal. 1217 aut 1218) unde illam acceperat nescio. Ignotam fuisse Gyraldo Cambrensi, Neubrigensi, Roberto a Monte (qui ut ante monueram, nullam intermiserunt occasionem gratificandi Henrico, deprædicandi ejus laudes, victorias, honores, favores, jura a summis pontificibus accepta, etc.,) sat scio, cùm tamen isti tum maximè essent in flore ætatis, quando Henricus expugnarât Ibernos, quorum subjectionis iidem penè oculati testes fuerunt. Deinde, quis priscorum scriptorum, præter Rogerum, meminerit donationis Iberniæ Henrico factæ sub Alexandro? aut in actis Alexandri, diplomatis plurimis ejusdem ad diversos, litteris ipsius creberrimis ad reges, principes, præsertim ad Henricum II. num extet memoria illius donationis, vel etiam mentio ulla de chartis episcoporum et principum Iberniæ ad Alexandrum pro obtinendo et præficiendo ipsis Henrico in regem? Nulla prorsus uspiam quod sciam, extat harum rerum recordatio apud priscos; cum Rogerius prolixè et verbatim recitet supra sexaginta epistolas, privilegia, et similia, quæ Alexander miserat ad varios, et maximè ad Henricum.

Taceo quòd omnibus Anglis, et aliis in eorum historiis versatis compertum sit, Henricum II. (qui, ut dicebam, Iberniam expugnaverat anno sal. 1172, et expugnatam in potestate suâ tenuerat usque ad diem óbitûs sui, qui contigit anno 1189, 6 Julii) nunquam in suis titulis, quos suis edictis, litteris, aliisque publicis instrumentis præfigebat, usurpavit titulum "regis," aut "domini Iberniæ," quo sanè titulo regis tanti regni ut est Iberniâ, usus fuisset, si scivisset sibi ab Alexandro donatum fuisse jus titulumque regis Iberniæ. Quo titulo regis ejusdem insulæ gloriantur quotquot in Angliâ regnarunt ab Henrico VIII. in hunc diem.

Compertum præterea est Anglis, primum omnium, qui, inter alios suos titulos, inseruerat illum de dominio Iberniæ accepto a Romano pontifice, fuisse Joannem regem Anglorum, qui successerat regi Richardo, filio Henrici II.

Et quamvis Joannes fuerit primus, qui, permissione sedis apostolicæ, sese dominum Iberniæ feudatarium sive secundarium (nam supremum dominium Iberniæ directum spectat ad S. Petrum ejusque sedem Romanum) nominârit, nunquam tamen vel ipse vel alius ex posteris Anglorum regibus ausus aut permissus fuit nominare se regem Iberniæ, sed ut contenti essent titulo domini illius insulæ, donec Henricus VIII. quo tempore cornua erexit contra Romanum pontificem et ecclesiam catholicam, in contemptum sedis apostolicæ abjecto tanquam inferioris notæ titulo Iberniæ domini, mandavit Anglis et Ibernis, ut deinceps ipsum et posteros, non dominos sed reges Iberniæ appellarent, quæ omnia diligenter notavit Sanderus,

libro de Schismate Anglicano, pag. 220, et sequentibus. Unde inter cetera detegimus vanitatem fabellæ Rogerii scribentis Alexandrum III. creâsse Henricum II. et hæredes non dominos tantùm, sed et reges Iberniæ. Sed neque bonus iste scriptor cogitavit quàm parum constanter sua referat et prædictam fabellam evertat. Ita namque lego apud eumdem inter alia, quæ recenset ad annum sal. 1185: "Henricus rex Angliæ misit nuntios suos ad Urbanum III. papam, et multa ab ipso impetravit, quibus papa Lucius (præcessor Urbani, et proximus successor Alexandri III. qui obiit anno 1181) fortiter resistebat; quorum unum hoc fuit, quòd ab eo impetravit, quod unus quem vellet de filiis suis coronaretur de regno Iberniæ, et hoc confirmavit ei dominus papa bullâ suâ, et in argumentum voluntatis et confirmationis suæ misit ei coronam de pennâ pavonis auro contextam." Si Lucius III. qui Alexandro III. successit, semper resistebat precibus ac repetitis petitionibus Henrici II. cupientis ab apostolicâ sede sibi ac posteris concedi jus et dominium Iberniæ, quam alioquin pugnârat et in potestate tenuerat, vis, Rogere, credam Alexandrum jam antè concessisse Henrico et posteris jus illud atque dominium? Vis Lucium resistendo retractâsse et revocâsse donationem a suo prædecessore factam Henrico? vel vis suspicere tam simplicem fuisse Henricum, ut postularet a Lucio sibi donari, quam jam antè multis annis dono acceperat ab Alexandro? quid? Alexandrum Henrico donâsse? Imò nisi nos fallat oculatus testis Anglus Neubrigensis (qui ante Rogerum ex rumore plerumque scribentem, suam historiam evulgarat,) Alexander per suum legatum cardinalem Vivianum, quam maximè resistebat reprobabatque conatus Henrici II. Iberniam armis infestantis et occupantis. Sic scribit ille, lib. 3, cap. 9: Henrico ex Iberniâ "in Angliam reverso, præfecti militum ad subactæ provinciæ regimen ibidem ab eo relicti, vel prædæ vel gloriæ avidi, commissos sibi fines paulatim dilatabant, e quibus unus Joannes de Curci, junctâ sibi equitum peditumque manu validâ, illam Iberniæ provinciam quæ a regno Scotiæ angusto freto sejungitur, et Ulstiria* nuncupatur, hostiliter invadendam putavit. Fortè illuc venerat (anno sal. 1177) a Scotiâ Vivianus, vir eloquentissimus, apostolicæ sedis legatus, (missus in Iberniam) susceptusque honorificè a rege (Ultoniæ) et episcopis ejusdem provinciæ, in civitate maritimâ quæ Dunum vocatur, pro tempore morabatur. Hostium autem adventu cognito Ibernienses consulere legatum quidnam in tali articulo esset agendum? qui pugnandum pro patriâ esse dixit, et pugnaturis cum obsecrationibus benedixit. Hoc modo animati audaciter in prælium ruerunt," etc. Vides, Rogere, apostolicæ sedis et Alexandri III. legatum cardinalem, consilio, prece, et benedictionibus impertitis, solemni ritu animos et arma Ibernorum in Henricum II. qui per milites suos infestarât

* Id est Ultorum terra, sive ut nunc vocamus Ultonia.

illos, et patriâ expere cogitârat, excitaverit. Et cardinalem ausum fuisse ista attentare, si ab Alexandro jus dominiumque Iberniæ concessum fuisset, credemus? absit imò credendum, non nisi potestate sibi factâ ab Alexandro illa fecisse, quæ fecit, consuluit, rogavit facienda. Sed et illud parum cogitâsse recensuit Rogerum cùm putavit inventum adeo facilis fidei lectorem paulò attentiorem, qui crederet Henricum simulatque per summam injuriam invaserat et occupaverat ditionem sedis apostolicæ, statim misisse legatos ad eamdem sedem pro impetrando legitimo jure ac dominio in ditionem illam; aut qui crederet missos ab Henrico ad præsidem prædictæ sedis, non potiùs reprehensionem ob impudentiam petitionis, quàm gratam audientiam ab eodem præside habituros fore? Nam quod minùs decorum, aut magis ridiculum, vel fortasse magis idoneum ad bilem pontifici Romani ciendam, quàm si quis illum supplex per legatum adiret et in hanc sententiam petitionem exponeret: "Sanctissime pater, ditionem tuam, et sedi apostolicæ speciali jure subjectam, nuper, te inscio, armis subegi, et adhuc in meâ potestate teneo, oro ut patiaris et jubeas me deinceps dominio illius legitimo frui, et mihi meisque posteris jus imperandi perpetuum in illâ concedas." Et quæso te, Rogere, quid aliud quàm istud, si rectè tuæ fabellæ sensum assequor, narrare conaris? Iberniam fateris jure pertinuisse ad Alexandrum III. papam; illam, papa inscio, invasisse et expugnâsse armis Henricum II. ultrò concedis. Statim ab expugnatione ditionis Romanæ sedis, id est, Iberniæ, ais iniquum expugnatorem Romam ad Alexandrum misisse nuntios, qui peterent pro Henrico jus in Romanam insulam per injuriam expugnatam, et non priùs resignatam in manus atque potestatem Romani pontificis. Hujusmodi narratio nonne risum, aut iram priùs quam fidem a cordato auditore impetrabit? Vide verò et novum tuæ narrationis errorem; ais, et rectè, Henricum aliquot mensibus post necem S. Thomæ Cantuariensis, profectionem cum classe maximâ adornâsse, et paucis post hebdomadis expugnâsse Ibernos, pavefactos metu tam immensi exercitus. Inde verò nimirum ex Iberniâ misisse Romam nuntios ad Alexandrum, qui quod pro ipsorum rege petebant, concessit dominium, videlicet et perpetuum jus regium ipsi ac posteris in Iberniam. Atque hæc omnia fuisse impetrata ab Alexandro antequam Henricus vel discederet ex Iberniâ, (ubi sex circiter mensibus moram fecerat) vel cardinalibus a summo pontifice missis redderet rationem de nece S. Thomæ Cantuariensis, cujus reus erat; nam Rogerus inquit Henricum, in Iberniâ monitum de adventu cardinalium in Galliam, statim ex Iberniâ, accepto priùs diplomate Alexandri de donatione ejusdem insulæ, discessisse ad occurrendum prædictis legatis papæ. Hic sanè video insignem errorem historicum, cum improbabili relatione conjunctum. Describit Baronius, tom. 12, ad annum sal. 1171, ex testibus oculatis ac domesticis prædicti regis Henrici II. adeo execrandum atque abominabile fuisse nomen ipsius per uni-

versam christianam orbem, sed præsertim in curiâ Romanâ, ubi fetebat, ut loquitur Baronius ob causam ab illo rege datam neci B. Thomæ Cantuariensis, ut a tempore ejusdem necis usque ad absolutionem per cardinales, nomine Alexandri III. datam Henrico penitenti (fuit autem spatium illius temporis septemdecem circiter mensium) noluerit papa vel videre vel audere ullos ex crebris legatis Romam ab Henrico ad sui excusationem missis. Sed et curia Romana tota, inquit Baronius, tunc acclamavit legatis: "Sustinete, sustinete!" tanquam domino papæ abominabile esset audire nomen Henrici qui eos legaverat. Nihilominus ista omnia alto silentio involvens Rogerus, cupit credamus quòd legati quos Henricus, post necem martyris Cantuariensis, miserit Romam ad Alexandrum, antequam ab infamiâ tanti sceleris ab eodem pontifice absolveretur, fuerunt ab ipso benignè auditi, exauditi, et in Iberniam remissi ad Henricum, cum jure, dominio, imperio, sceptro regni Iberniæ, illi et hæredibus in perpetuum donatæ. Ad populum phaleras istas!

Pluribus supercedo refellere Rogerum, hoc loco contentus fide Polydori Virgilii, quem magni faciunt plerique Anglorum tanquam fidum rerum gestarum ejus gentis historicum, qui lib. 13 Histor. Anglic. ab annum sal. 1171 usque ad 1175, ita loquitur: Henricus II. "accitis undique militibus, ac navibus simul in unum coactis, et ad certum diem classem instructam quam 400 navium fuisse ferunt, ingens bellum comparat, et in Iberniam circa hiemis initium celeri cursu trajecit, statimque totam ferè absque fuso sanguine (nam incolæ metu tam immensi exercitus jam in terram expositi, perculsi deditionem fecerunt,) in suam potestatem accepit. Dublinium, quæ est insulæ princeps urbs, proficiscitur, ubi, convocatis regulis ac episcopis Iberniæ, agitat de imperio insulæ sibi ac suis posteris regibus perpetuando. Id Iberni posse fieri nisi auctoritate Romani pontificis negabant,* quod jam inde ab initio post christianam religionem acceptam (sub Cœlestimo I. papa circa annum sal. 436) sese ac omnia sua in ejus ditionem, atque constanter affirmabant se non alium habere dominum præter ipsum pontificem Romanum." Ceterùm non probo quæ Polydorus subjungit, aiens: "his auditis,† rex per legatos quamprimum Alexandrum oravit, ut Iberniam, quam ipse nuper domuerat, ad regnum Angliæ suâ auctoritate adjungerat, quod haud gravatè fecit pontifex, etc. His peractis feliciter rebus, rex ineunte vere in Angliam reversus, properè in Normanniam profectus est, obvium legatis ab Alexandro III.

* Hâc solâ de causâ utor fide Polydori adversus Rogerum, qui dicebat subactos Ibernos principes et episcopos universæ ferè insulæ, sponte elegisse, et sacramento fidelitatis adhibito, sese Henrico et hæredibus tanquam domino et regi subjecisse.

† Nimirum libero constantique responso Ibernorum, alioquin jam subactorum, qui renuerunt pro rege vel domino legitimo suo agnoscere Henricum instantiùs apud illos agentem, ut se deinceps vellent tanquam suum principem et dominum venerari et audire.

missis,* quos eo jam acceperat ad se venire." Jam antè hasce fabellas a Rogerio primùm proditas satis refutavimus.

Illud probo quod Polydorus affirmat, causam cur Henricus cogitârit de debellandâ Iberniâ, non fuisse fictas illas a Gyraldo Cambrense in suo diplomate pseudo-Adriano, neque alias excogitatas a Rogero, sed aliam quam his verbis Polydorus Virgilius indicat: "post hæc (nimirum, post necem S. Thomæ Cantuariensis) Henricus rex destinavit animo domare Iberniam, quod Angliæ propinqua esset, ideoque e re suâ maximè fore ducebat, si insulam nunquam fere antea externis armis vexatam subjiceret," etc. Quam eamdem fuisse causam Henrico satis innuit Neubrigensis, tametsi non improbem aliam causam indicatam a Roberto, abbate Montis Navalis, quem antè diximus fuisse carissimum Henrico, cujus gratiam multùm ambiebat. Sic ille scribit ad annum sal. 1150: "Circa festum S. Michaelis, Henricus, rex Anglorum, habito consilio apud Winchester de conquirendo regno Iberniæ, et Gulielmo fratri suo dando, cum optimatibus suis tractavit. Quod quia matri ejus (Mathildi) imperatrici non placuit, intermissa est ad tempus illa expeditio." Quæ eadem ferè repetit auctor (spectator gestarum Henrici II.) Auctarii Affligemensis, apud Aubertum Miræum, in appendice ad Sigebertum. Quo jure Henricus Ibernis hoc tempore tentavit arma inferre, quâve injuriâ ab Ibernis fuerit lacessitus Henricus ad illos debellandos, subjiciendosque imperio sui fratris Gulielmi, (quem Deus mox e medio sustulit frustratis, Henrici consiliis) nusquam invenio, nisi jus quoddam Machiavellicum sive Turcicum a Polydoro Virgilio antea indicatum, ut etiam satis expressit auctor Auctarii Aquicinctini (qui vivebat unâ cum Henrico II.) his verbis, anno 1172: "Henricus rex Angliæ ultra se elatus, inconcessa captans, et affectans indebita, regnum Iberniæ subjugaturus et regium diadema, ut putabat, suo capiti impositurus, naves parat, militesque de suo regno congregat, et ingressus Iberniam," etc.

Quamvis autem ad hanc expeditionem in Ibernos ob causam a Polydoro expressam non defuerint pessimi optimates, qui pravo consilio urgebant Henricum, Deus fortasse tamen in parte præmii consiliorum numeravit, quod rependit Benedictino Anglo monacho, nomine Nonno Nicolao, qui "libro oblato regi suo Henrico de Iberniâ invadendâ, invasus erat et ipse a muscâ, quæ per os ejus intrans et obstruens guttur, miserum miserrimè suffocavit, anno sal. 1159," quam historiam cum fide suâ remitto ad Conrardum Gesnerum in suâ Bibliothecâ, et ad Antonium Possevinum in suo Apparatu, verbo, Nicolaus a S. Albano; et verbo, Nonnus Nicolaus.

* Ad examinandam causam ferendamque sententiam de Henrico, reo mortis S. Thomæ Cantuariensis martyris.

CAP. XXI.

Refertur et refellitur cumulus errorum, contradictionum, atque inscitiæ historicæ Gyraldi Cambrensis circa ecclesiasticum Cassellense concilium provinciale celebratum in Iberniâ, anno sal. 1172, cogente Henrico II. rege Anglorum.

NULLAM videtur Gyraldus præterire voluisse occasionem non conciliandi malam famam genti quam oderat Ibernorum, et parum pensi habebat (dummodo quod optabat perficeret) quo modo quæ volebat præstaret, seu per fas seu per nefas mentiendo sibi, contradicendo, falsando etiam acta concilii provincialis, cui in contumeliam præfatæ nationis videtur multa pro libito addere, malè interpretari, ut apparebit ex iis quæ subjungo ac describo ex ipso Gyraldo; qui, cùm in lib. 2 Vaticin. Hist. cap. 20, 30, 31, scripsisset, martyrium S. Thomæ Cantuariensis contigisse in fine annis salutis 1171, Romæ sedente Alexandro III. Octobri autem sequente Henricum II. cum copiosâ classe appulisse et paucis diebus universam ferè subjecisse sibi Iberniam, sic infit, cap. 32: "his ita gestis, rex cum exercitu versus Dublinium (ubi est regia ac metropolis Iberniæ) iter arripuit, ibique morâ aliquandiu factâ, advèniunt quoque partium illorum principes sub fidelitatis et subjectionis obtentu a rege piissimo pacem obnixè petentes et impetrantes," etc. Et cap. 33, "Silente igitur insulâ in conspectu regis, tranquillâ pace gaudente, ecclesiæ Dei decus, Christique cultum in partibus illis magnificandi ampliori desiderio rex accensus, totius cleri Iberniæ concilium apud Cassellíam (nobilis est urbs provinciæ Momoniæ) convocavit, ubi requisitis et auditis publicè terræ illius spurcitiis atque enormitatibus, et in scriptum sub sigillo legati sedis apostolicæ Lismoriensis (in Iberniâ episcopi) qui ceteris ibidem dignitate tunc præerat, ex industriâ redactis, constitutiones sacras quæ adhuc extant, de matrimoniis contrahendis, de decimis dandis, de ecclesiis debitâ devotione venerandis et frequentandis quamplures emisit, ecclesiæ illius statum ad Anglicanæ ecclesiæ formam redigere modis omnibus elaborando. Quas constitutiones sub eisdem verbis, quibus et provulgatæ sunt, hic inserere non superfluum putavi. Anno igitur (inquit, cap. 34,) dominicæ incarnationis 1172, primo autem anno quo illustrissimus Anglorum rex et

Iberniæ triumphator ipsam insulam acquisivit, Christianus Lismoriensis episcopus, et apostolicæ sedis legatus, Donatus Cassellensis, Laurentius Dubliniensis, et Catholicus Tuamensis archiepiscopi, cum suffraganeis suis et coepiscopis et abbatibus quoque et archidiaconis, et multis aliis Iberniensis ecclesiæ prælatis, ex ipsius triumphatoris mandato, in civitate Cassellense convenerunt, et de utilitate ecclesiæ et statu ejus in meliorem formam perducendo, ibidem concilium celebrarunt. Huic concilio interfuerunt isti a rege missi, venerabilis vir Radulphus abbas de Buldewas, Radulphus archidiaconus de Landaff, Nicolaus Capellanus et alii clerici et nuntii domini regis. Concilii autem statuta subscripta sunt, et regiæ sublimitatis auctoritate firmata. Primò statutum est, quòd universi per Iberniam constituti, repudiato cognatorum et affinium contubernio, legitimè contrahant matrimonia et observent; secundò, quòd infantes ante fores ecclesiæ cathechizentur, et in sacro fonte in ipsis baptismalibus ecclesiis baptizentur; tertiò, quòd universi fideles Christi decimas animalium, frugum, ceterarumque proventionum ecclesiæ, cujus fuerint parochiam persolvant; quartò, quòd omnes terræ ecclesiasticæ, et earum possessiones ab omnium secularium hominum exactione sint immunes, et specialiter, quòd nec reguli, nec comites, nec aliqui potentes viri Iberniæ, nec eorum filii cum familiis suis, cibaria et hospitalitates in territoriis ecclesiasticis secundum consuetudinem exigant, nec amodò violenter extorquere præsumant, et quòd de villis ecclesiarum, cibus ille detestabilis, qui quater in anno a vicinis comitibus exigetur, de cetero nullatenus exigatur; quintò, quòd pro homicidio a laicis perpetrato, quoties inde cum suis inimicis componunt, clerici videlicet eorum cognati nihil inde persolvant, sed sicut in homicidii perpetratione, sic in pecuniæ solutione, sint immunes; sextò, quòd universi fideles in infirmitate positi, confessore suo et vicinis astantibus, cum debitâ solemnitate testamentum condant; bona sua mobilia dummodo uxores et liberos habeant (ære alieno et servientium mercede exceptis) in tres partes dividant, unam liberis, alteram uxori legitimæ, tertiam propriis exequiis relinquentes, et si fortè prolem legitimam non habuerint, bona ipsa inter ipsam et uxorem in duo media dividantur. Et si legitima uxor decesserit, inter ipsum et liberos bipartiri debent; septimò, ut cum bonâ confessione decedentibus, et missarum et vigiliarum exhibitione, et more sepeliendi obsequium debitum persolvatur. Itaque omnia divina ad instar sacrosanctæ ecclesiæ juxta quod Anglicana observat ecclesia, in omnibus partibus Iberniæ ecclesiæ, a modo tractentur. Dignum etenim et justissimum est, ut sicut dominum et regem ex Angliâ, sortita est divinitùs Ibernia, sic etiam exinde vivendi formam accipiant meliorem. Ipsi namque regi magnifico tam ecclesia quàm regnum Iberniæ debent, quicquid de bono pacis, et incrementi religionis hactenus est assecuta. Nam ante ipsius adventum in Iber-

niam, multimoda malorum genera a multis retrò temporibus ibidem emerserant, quæ ipsius potentiâ et munere in desuetudinem abiere." Hactenus concilii Cassellensis verba, si credimus Cambro, qui statim, cap. 36, narrat, ut rex Henricus, aliquot mensibus post absolutum idem concilium, nimirum, ipso secundo die paschatis, navigio solverit ex Iberniâ in Angliam, indeque in Normanniam Galliæ, ubi illum expectabant duo cardinales legati ab Alexandro III. facturi scrutinium de morte S. Thomæ Cantuariensis, imputatâ sævitiæ et peccatis ejusdem regis in virum sanctum. Deinde in cæteris cap. lib. 1 Vaticin. loquens de variis rebus et de bello novo quod per biennium aut triennium insequens fuerat Henricus rex coactus gerere adversus tres legitimos filios uteri sui, quos contra patrem juvabat rex Galliæ, sic infit Cambrensis, lib. 2 Vaticin. Hist. cap. 6: "Interea, quàmquam martiis plurimùm intentus et detentus exercitiis Anglorum rex, suæ tamen inter agendum Iberniæ non immemor, cum prænotatis spurcitiarum litteris in synodo Cassellensi per industriam quæsitis, directis ad curiam Romanam nuntiis, ab Adriano papâ de Angliâ oriundo, tunc præsidente, privilegium impetravit, ejusdem auctoritate et assensu, Ibernico populo tam dominandi, quàm ipsum in fidei rudimentis incultissimum, ecclesiasticis normis ac disciplinis juxta Anglicanæ ecclesiæ mores informandi." Privilegium fusè recitat Camber, quod ipsum est, quod superiùs prolixè et evidentibus argumentis monstravimus non aliud fuisse quàm fictionem improbabilem ejusdem Cambrensis, aut alterius figmentum ab ipso descriptum, aut surreptitias litteras et diploma mille refertum absurdis, aliisque erroribus juris ut vocant et facti, et crebrâ inscitiâ historiarum, cùm illius tum anteriorum temporum.

Sed redeo ad examen narrationis Gyraldi de concilio Cassellense, decretis ejusdem, tempore quo celebratum fuit, sub quo pontifice Romano, et ad quem postea Romam sint missa acta prædicti concilii, etc.

Dicebam Gyraldum dummodo malè, non multùm curâsse, quid, quomodo, quâ dictorum constantiâ vel consequentiâ loqueretur de Ibernis. Ecce vel in hâc unâ narratione editum ab illo satis luculentum specimen. Videamus imprimis hominis sive peritiem sive constantiam in scriptione chronologicâ et supputatione temporum, sive in notitiâ eorum, quæ ante pedes ipsius erant positæ, nimirum, res gestæ et tempus, quo Romæ sederunt Adrianus IV. et Alexander III. eisdem diebus, quo illi, vivente Gyraldo. Quæso te, quì cohereant ista tua, Gyralde? ais, Henricum II. anno 1172, sedente Romæ Alexandro III. appulisse et subjugâsse Iberniam, ubi, eodem anno, cogente Henrico victore, celebratum fuit Cassellense concilium, cujus acta unà cum nuntiis idem Henricus biennio post misit ad Adrianum IV. papam, tunc Romæ sedentem, et interea inquis (id est, anno salutis 1180 aut 1179,) lib. 2 Vaticin. Hist. cap. 18: "Sedet Romæ famosum illud Lateranense Concilium, præsidente

Alexandro III. et Allemanorum ecclesia ad unitatem reversa, vicennali schismate jam cessante." Itaque, Gyralde, vis credamus Alexandrum III. fuisse prædecessorem Adriani IV. quo defuncto iterum vivus apparuit Alexander et successit Adriano? et quidem ista se habuisse, te si non vidente, certè vivente, audacter ais, et addis acta consilii Cassellensis celebrati, vivo et præsidente Romæ Alexandro anno 1172, fuisse postea Romam missa ab Henrico ad Adrianum papam, cùm constet confessione omnium scriptorum tui temporis, et sequentium ætatum, Adrianum desiise in vivis esse anno sal. 1159, et fuisse prædecessorem Alexandri III. qui cœpit Romæ sedere anno sal. 1160; imò, Gyralde, et confessione tuâ, qui parum memor es dictorum tuorum; nam verè scribis Alexandrum III. sedisse Romæ anno sal. 1171, 1172, 1180, qui fuit vicesimus annus (a morte Adriani) et a primo quo pontificiam sedem adiit Alexander, qui constat rexisse ecclesiam toto tempore schismatis vicennalis, adversus illum excitatum per Fredericum Imperatorem, qui tres antipapas contra unum Alexandrum legitimum pontificem creaverat.

Quomodo cohereant, quòd rex Henricus postquam debellavit Iberniam, et, ut tu vis, postquam fuerat, unanimi consensu et spontaneâ submissione procerum ac principum universæ ferè Iberniæ, creatus atque assumptus in regem ac dominum tam ipsorum quàm totius insulæ, postquam etiam tanquam rex convocavit ad se clerum, et jussit celebrare concilium, et ut supremus dominus regni, per concilium emisit decreta, constitutiones, leges quibus et ipse pro auctoritate regiâ subscripsit; quomodo, inquam, ista cohereant cum reliquis quæ adjungis, nimirum, eumdem regem postea Romam cum nuntiis misisse acta ejusdem concilii ad Adrianum papam, a quo petebat ut sibi jus concederet atque dominium in Ibernos et ipsorum patriam? quid opus ipsi fuit Romam mittere pro jure regni et facultate imperandi Ibernis, qui jam antè jus regni et regium titulum obtinuit ab universis et conspirantibus? Et qui antè pro domino et rege Ibernorum sese gesserat, et tanquam rex concilia cogere, leges condere, de rebus regni pro placito suo disponere jamdudum ceperat, et qui modis omnibus elaborabat inquirere in Ibernorum vitia, publicè pro auctoritate regiâ audire, ferre sententias, præcipere, prohibere, spurcitias atque enormitates gentis de industriâ in scriptum publicum redigere, corrigere, totis viribus satagebat? Nonne Adrianus aut quivis antistes universalis ecclesiæ meritò objiceret Henrico, petenti jus regium in Ibernos, "Ut quid a me jam postulas jus regium ac regis titulum dominiumque Iberniæ, cujus imperium regium ac possessionem antea jure obtinuisti? vel si per injuriam possides, cur tibi jus regium in illam hactenus arrogasti? cur te tanquam regem Ibernorum gessisti, condendo leges, cogendo concilia, vetando, mandando, omnia regendo pro tuo placito? vel si a sede apostolicâ jam postulas imperium justum

dominiumque in Ibernos, agnoscis utique tam istos quàm ipsorum patriam Iberniam sedi apostolicæ speciali jure subditos esse. Ergo, quo ausu vel jure tu, non priùs assentiente aut sciente sedis illius præside, armis infestâsti, invasisti, occupâsti Iberniam, atque dominum ejusdem regni te gessisti? Et cum dominia Romanæ sedis per injuriam, illâ insciâ, inconsultâque vastaveris, ac etiamnum adhuc per injuriam possideas, nulla prius tantæ audaciæ injuriæque petitâ veniâ, nullâ priùs factâ in manus Romani pontificis resignatione ditionis ipsius a te contra jus possessæ, audes tamen ab illo postulare ut tuo capiti imponat coronam regni et regem legitimum ejusdem te palam pronuntiet? Sed et illud, O Gyralde, ceteris tuis mendaciis annumerandum videtur, cùm ais, in Cassellensi concilio descripto, Romamque misso atque approbato per Adrianum, Henricum II. fuisse habitum aut nominatum regem Iberniæ. Jam superiùs satis ostensum fuit, testibus non solùm Polydoro Virgilio, et ceteris rerum Anglicarum scriptoribus, verum etiam universâ Angliâ, et reliquâ ferè Europâ christianâ, primum omnium regum Anglorum, qui titulum regis Iberniæ usurpavit fuisse Henricum VIII. qui 300 et amplius annis post mortem Henrici II. invasoris Iberniæ cœpit regnare.

Quàm verò risu aut indignatione dignum sit, quòd tam crebrò inculcas, exaggeras, repetis, nescio quas Ibernicæ gentis totius enormitates, spurcitias, etc., de industriâ ab Henrico collectas, in scriptum redactas, et Romam ad Adrianum missas insertasque in actis synodi Cassellensis. Cùmque venitur ad lectionem synodi a te, ut ais, ad verbum descriptæ, et lector suspensus expectatione audiendarum enormitatum, fœditatum, etc., quæ si non superent, certe exæquent illas, quæ diluvium Noeticum intulerant mundo, vel quæ sulphureas flammas subjecerant Sodomis atque Gomorrhæ, pertæsus tuæ effrenis maledicentiæ, malevolentiæque perpetuæ in nomen Ibernicum, tibi occinit illud: "Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus," paritur sed nil nisi mas mus. Quod autem scribis, ab Henrico II. rege, piissimo victore Ibernorum, quamprimùm ab ipso pacem petiisse atque impetrâsse proceres Iberniæ, etc., adscribi debet tuo in regem adulandi studio qui piissimum hoc tempore narras fuisse, (id est, antequam pœnitentiam egisset, et rationem Alexandro III. reddisset de nece S. Thomæ Cantuariensis martyris, quem Henricus sacrilegè per septennium fere fuit persecutus) quem universa Europa reliqua pro impiissimo habuit et appellavit, quod et etiamnum hodiè facit Romana ecclesia in lectionibus de S. Thomâ insertis in breviario canonico, ubi impiissimus nominatur, et sui immemor Gyraldus satis indicat, lib. 2. Vaticin. cap. 30. dicens: "Contra Petri cathedram, Cantuariæque præsulem non longè post (annum sal. 1163 usque ad necem S. Thomæ et annum sal. 1173) regio edicto publica per regnum (Angliæ) pejeratio." Auges adula-

tionem, addisque novum mendacium, aiens: "Henricum tunc* accensum fuisse ampliori desiderio magnificandi in partibus Iberniæ cultum Christi, et ecclesiæ Dei decus," etc. Scilicet qui hoc eodem tempore in suâ domo sive Angliâ, cultum Christi sincerum contempsit, et ecclesiæ Dei decus, atque servitutem, et cleri totius perniciem toto conatu per plurimos annos desiderabat, moliebatur, et jam etiam, excitato diuturno schismate universali, operabatur, in alieno regno incensis desideriis dabat operam magnificandi cultum Christi, et augendi decus ecclesiæ Dei! vide! ride!

Addis: "eodem tempore omnibus modis elaborâsse Henricum, ut status Iberniæ ecclesiæ et omnia divina officia in eisdem essent ad normam sacrosanctæ ecclesiæ Anglicanæ." Atque hoc unà cum aliis multis articulis in synodo Cassellense tunc decrevisse, atque, subscripto suo nomine, statuisse, Christianum episcopum Lismorensem, apostolicæ sedis legatum, Donatum archiepiscopum Tuamensem, et reliquos Iberniæ præsules. Quos et fingis, "censuisse, dignum justumque esse, ut ex Angliâ acciperent Iberni illius temporis formam vivendi meliorem unde acceperunt divinitùs dominum ac regem Henricum," etc. Qualis fuerit status ecclesiæ Anglicanæ illis diebus, qualis et vita cleri, qualis et cultus officiorum divinorum, et quàm sacrosancta fuerint omnia per Henricum facta per totam Angliam eodem ipso tempore, meliùs quàm tu, Camber, adulator regis, noverat Alexander III. qui, teste Rogero Hovedeno, scribens ad Rogerum Eboracensem archiepiscopum, et unà cum Henrico caput generalis schismatis Anglorum adversus Romanum pontificem, sic inter alia ait: "Quòd si ad excusationem tantæ prævaricationis, quisquam objiciat, in aliis quoque regnis gravia plurima et enormia perpetrari, in veritate possumus respondere quòd nullum adhuc regnum in tantum divinæ legis contemptum invenimus corruisse atque Anglicanum," etc. Hæc Alexander scripserat anno sal. 1170 aut 1171, et ad hujus scilicet sacrosanctæ ecclesiæ Anglicanæ statum, quo nullum fuisse noverat aut alibi invenerat Alexander papa inter christianos infeliciorem aut magis contemptorem divinæ legis, aut gravioribus enormibusque flagitiis fœdatam, voluit modis omnibus elaborare Henricus ut reformaret statum ecclesiæ Iberniæ. Christianum episcopum, sedisque apostolicæ legatum vis tu, Gyralde, credamus adeò cœcum fuisse ut statum miserabilem ecclesiæ Anglicanæ hoc tempore, et schisma septennale aut octennale, quod Henricus excitarât contra Alexandrum et ecclesiam, et enormissima flagitia illius regis, non viderit? sed potiùs, si tibi mentienti credimus, laudaverat tanquam piissimum, et ut divinitùs acceptum dominum ac regem Iberniæ, et tanquam optimum laudaverit statum ecclesiæ Anglicanæ illis annis, optaveritque, et jam editis decretis elaboraverit, ad illius formam, tanquam ad optimam pietatis, cultusque divini

* Nimirum post necem S. Thomæ, cùm esset adhuc in Iberniâ, et antequam purgaret se coram Alexandro III. de scelere illo.

normam, reformare vitiis omnibus fœdatam Iberniæ ecclesiam. Et hujuscemodi tuis fabellis, unà cum legato apostolico subscripsisse Laurentium et Catholicum et reliquos Ibernos præsules plurimos! Malè quantum conjector nosti quales et quanti fuerint tres illi viri Christianus, Laurentius et Catholicus, et quam habuerint aliam a vestrâ fictione opinionem de statu ecclesiæ in Iberniâ, antequam Henricus rex Angliæ illam planè deformarit turbando pacem et ciendo bella ubique in Iberniâ.

Fuit Christianus ille carissimus S. Malachiæ discipulus, quem cùm Romam iret et transiret per Clarevallem, commendaverat disciplinæ B. Bernardi qui Christianum prædictum habitu monastico induerat, pietatem autem adeò avidè hauserat Christianus, ut in claustrali observantiâ, omnique virtutum genere tantos fecerat progressus, ut adhuc viventem atque vix quinquennium in cœnobio Clarevallense morantem B. Bernardus sanctum vocarit: ut idem Bernardus disertè expressit in vitâ Malachiæ, ubi tanquam piissimum ac Deo carum laudat ac nominat Catholicum illum (postea factum archiepiscopum Tuamensem) alterum discipulum Malachiæ, cujus res gestas in Iberniâ nemo ex tribus illis nominatis ignorare poterat, uti neque quæ de Malachiâ prolixè scripserat B. Bernardus, cujus verba de statu ecclesiæ per eumdem Malachiam reformatæ ac stabilitæ postea proferam. In catalogum sanctorum ad 14 Novemb. intulit ecclesia Romana Laurentium illum, qui fuit filius regis Iberniæ, legatus sedis apostolicæ, meritis ac miraculis vivus ac vitâ functus coruscans, quem vivum summo in honore habuit Alexander III. papa, quando vidit Romæ sedentem illum inter ceteros 301 episcopos in concilio Lateranense, ut etiam et vidit atque honorificè habuit Catholicum inter ceteros archiepiscopos concilii sedentem. Amorem Alexandri erga Catholicum auxerat, quòd istum ex lectione vitæ S. Malachiæ intellexerit fuisse non discipulum tantummodo ejusdem Malachiæ, sed et virum illum piissimum, quem S. Bernardus scripserat miraculo per B. Malachiam imprimentem pectori Catholici signum crucis fuisse momentò sanatum a morbo elephantiaco sive caduco, qui miserum ferè per sexennium corripiebat, et per sex integras horas quotidiè affligebat.

Necesse non habeo hoc loco particulatim exponere, quàm optimè habuerit clerus et status cleri in Iberniâ temporibus Malachiæ, et trium istorum discipulorum ac familiarium ejusdem. Aliqua eaque eximia de disciplinâ ecclesiasticâ diœcesium, quibus præerat S. Laurentius (qui priùs fuerat Abbas Glandelacensis et post archiepiscopus Dubliniensis) narrat Laurentius Surius, tom. 6. ad 14 Novemb. in vitâ nostratis illius; quo statu res erant universæ ecclesiæ per provincias Iberniæ diffusa annis episcopi Christiani successoris Malachiæ, dicet nobis partim Robertus a Monte; (qui hisce diebus vixit) partim Baronius, tom. 12: partim S. Bernardus et alii. Sic scribit Robertus ad annum sal. 1148: "Sanctæ memoriæ Malachias, Iber-

norum episcopus, et apostolicæ sedis legatus, voluntate Dei, finem vitæ sortitus apud Clarevallem, sicut ipse præelegerat et prædixerat, locum sepulturæ accepit. Cui successit Christianus, abbas Mellifontis, vir plurimâ sanctitate præditus, qui ejusdem sancti viri archidiaconus extiterat, et primus abbas de ordine Cistertiense in Iberniam ab abbate Clarevallis sacræ memoriæ Bernardo, fuerat destinatus." Hunc Christianum, Arnoldus Wion, inter alios sanctos inseruit in suo Benedictino martyrologio, ad 18 Martii. Baronius, tom. 12, ita loquitur: "populus qui habitabat in tenebris vidit lucem magnam habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis; etenim florentissima olim Ibernorum ecclesia, quæ per multa inculta evaserat, tandem ex insperato et tantis tenebris emerserat per præstantissimum monachorum S. Malachiam episcopum." Et hoc verbis ex S. Bernardo descriptis ostendit, post quæ addit: "Quomodò autem accensa semel lux crescit usque ad perfectum diem dicetur suis locis pro temporis ratione." Sed ipsum Bernardum loquentem audire placet: "Malachias cœpit instar ignis urentis in consumendo criminum vepres, in dejiciendis plantationibus malis, in extirpandis barbaris ritibus, in plantandis ecclesiasticis, et tamdiu perseveravit pulsans donec ipsi aliquanto pulsanti apertum sit. Cessavit duritia, quievit barbaries, et domus exasperans paulatim leniri cœpit, paulatim correptionem admittere, recipere disciplinam, fiunt de medio barbaricæ leges, Romanæ introducuntur, recipiuntur ubique ecclesiasticæ consuetudines, contrariæ rejiciuntur, reædificantur basilicæ, ordinatur clerus in illis, sacramentorum ritè solemni celebrantur, confessiones fiunt, ad ecclesiam conveniunt plebes, concubinatus honestat celebritas nuptiarum, postremo sic in meliùs omnia mutata, ut hodiè* illi genti conveniat, quòd Dominus per prophetam dicit: 'Qui antè non populus meus, nunc populus meus,' et multò post, Malachiâ in patriam reverso (Roma, circa annum sal. 1141) de civitatibus et castellis et vicis occurrunt, et quocumque diverterat suscipitur exultatione universæ terræ. Verumtamen non sapit honor, opus exercendi legationis. Multis in locis celebrantur conventus multi, ne qua regio seu portio regionis legationis fructum et utilitate fraudetur. In conciliis quæ passim celebrantur, repetuntur antiquæ traditiones, quas tamen bonas fuisse constiterat, abolitas verò negligentia sacerdotum. Non modo vetera restaurantur, conduntur et nova, et quæcumque provulgavit, tanquam cœlitùs edita acceptantur, tenentur, scripto mandantur ad memoriam posteriorum. Quid ni cœlitùs missa crederentur, quæ tot cœlestia confirmârunt miracula."

Quibus istis S. Bernardi testimoniis, si adjungas quæ superius non semel ex Philippo Flattesburio et Baronio descripsimus de generali

* Ista scribebat S. Bernardus anno sal. 1152, aut circiter; id est, triennio aut quadriennio post mortem B. Malachiæ, qui annus fuit quo Eugenius III. papa, S. Christianum jam factum episcopum, creaverat legatum sedis apostolicæ per universam Iberniam.

concilio in Iberniâ habito, anno sal. 1151, jussu Eugenii III. papæ, qui illo legatum miserat cardinalem Joannem Paparonam, cum quatuor palliis archiepiscopalibus, præsentibus in eodem concilio, præter quinque aut sex reges Iberniæ, omnibus in regione universâ episcopis, (inter quos erant Christianus et Catholicus) abbatibus, (quos inter sedebat S. Laurentius) et ceteris præsulibus, præsidente omnibus et concilio toti legato Cardinali Paparonâ, si inquam, tot tantorumque scriptorum ac testium omni exceptione majorum, dicta cordatus quisque lector expenderit, procul dubio dicet vix in Europâ illis annis visam fuisse faciem ecclesiæ pulchriorem, clerum meliùs ordinatum aut magis reformatum, disciplinam ecclesiasticam exactiùs servatam, consuetudines, canones legesque Romanæ ecclesiæ habitas in honore, quàm visebatur in Iberniâ. Neque hæc nescire poterant qui rem oculis cernebant sancti viri illi Christianus, Christianus, et Laurentius, ut proinde prudens quivis meritò tanquam mendacia spernere possit, quæ Camber de tribus illis beatis episcopis spargit, et contraria omninò apparent cum Bernardi verbis, tum testatissimæ quàm oculatissimæ fidei sanctorum illorum.

Inter quæ mendacia Cambrensis, non postremum locum habere videntur, quæ finxerat finalia verba synodi illius Cassellensis, ubi tres illos S. Malachiæ discipulos et episcopos sanctos, ait ita scripsisse: "Ipsi namque regi magnifico (Henrico II.) tam ecclesiæ quàm regnum Iberniæ debent quicquid de bono pacis et incremento religionis hactenus est assecuta, nam ante ipsius adventum in Iberniam, multimoda malorum genera a multis retrò temporibus ibidem emerserant, quæ ipsius potentiâ et munere in desuetudinem abire." Scilicet discipuli S. Malachiæ, relictas ipsis ab eodem ecclesias Iberniæ pacificas, religione plurimùm auctas (ac longe meliùs ordinatas annis illis quàm fuerunt Anglicanæ Henrici) non viderunt antequam rex Anglus Iberniam armis pulsare cœperat! Mysterio non vacare videntur verba illa Cambri: "Quidquid de bono pacis hactenus a multis retro temporibus, etc., in desuetudinem abiere." Sed sunt illa mysteria mendacii improbabilis. "In desuetudinem," inquit, "abiere." Innuit Camber synodum hanc Cassellensem longo tempore post appulsum Henricum II. in Iberniam fuisse celebratum, quidnamque aliud indicat, "a multis retrò temporibus, etc., in desuetudinem abiere." Desuetudo, statum non brevem temporis secum apportat. Atque verbis disertis affirmat Rogerus Hovedenus ad annum sal. 1172, Henricum appulisse eodem anno, mense Octobri, et 18 die ejusdem; post quem diem effluxerunt alii dies quindecem aut viginti, quando jussu Henrici et cœptum et absolutum fuerat concilium Cassellense; quod ipsum affirmatè asserit idem Cambrensis, dicens Henricum anno sal. 1172 ipso die beati Lucæ evangelistæ, posuisse pedem in Iberniâ, eodemque anno nondum exacto finem fuisse impositum concilio Cassellensi. In quo concilio quid actum fuerit atque decretum, si nosse cupis, adire potes non Gyraldum, qui multa menda-

cia narrat, sed Baronium, ex Rogerio Hovedeno, qui paucis rem exponit, et tria capitula sive decreta ibidem promulgata fuisse refert. Vito pluribus refutare corruptam a Cambro vel alio, synodum prædictam, quæ vel inde, si alia deesent indicia, nullius esse auctoritatis aut momenti convincitur, quòd, teste Cambrensi, mandato regis Anglorum Henrici, nullo prævio assensu summi pontificis coactum sit; cùm laicus tamen princeps, ut fuit Henricus, nullo jure possit indicere vel cogere concilia ecclesiastica. Et Henricus in Iberniâ spectante ad Romanum pontificem, ipso inscio, synodum convocaverat! Sed de his hactenus, et de maledicentiâ Gyraldi adversus nomen ac nationem Iberniam. Satis ista sunto pro præsenti tempore. Nam omnia illius convicia, invectivas, fabulas sigillatim ad examen et refutationem revocare, res fuerit majoris otii, et maximi fastidii; finem proinde hic facio, et modum metamque defensionis patriæ, sanctorum patriorum, honoris eorumdem, atque historiarum aliquot majoris momenti, quas ille corruperat, hoc loco figo. Deinceps ex ipso, contentionibus prætermissis, describam, quæ benè, sincerè, verè, breviter de gestis aliquot sanctorum Iberniæ scripserat, quæ et majori fide digna noscuntur, qua constat securè credi posse, quæ laudat hostis in hoste; id est, quæ bona deprædicat Gyraldus de regione aut ullis indigenis sive sanctis, sive aliis Iberniæ. Sicut autem minùs esse debet suspecta laudatio ab adversario prolata, ita maximè suspecta noscitur esse vituperatio ab eodem profecta: a quo vituperio adversus Ibernum nomen, vix paucas pagellas tot suorum librorum passus est Gyraldus vacare, sed omnes voluit refercire immanibus, mordacibus, infamibus, et christiano homine indignis mendaciis, adeò ut non absurdè in illum quadrare videantur, quæ aliò respiciens adversus aliquos malevolos, libellorumque infamium dissipatores quondam scripserat S. Cyprianus, epist. 42 in hæc verba: "viderint qui vel furori suo, vel libidini servientes, et divinæ legis ac sanctitatis immemores, jactare interim gestiunt, quæ probare non possunt. Et cum innocentiam destruere atque expugnare non valeant, satis habent, famâ mendaci et falso rumore, maculas inspergere."

CAP. XXII.

De gestis quorumdum sanctorum Iberniæ relatis a Gyraldo.

In finem relationis syncerae, quam Camber, cogente conscientiâ, et rerum ipsarum evidentiâ, unà cum assiduâ miraculorum, totiusque in Iberniâ populi attestatione de ejusdem insulæ nonnullis sanctis scripserat, reservo describendum quam sinistrè minùsque piè de eisdem sanctis et senscrit et dixerit, quorum neque sanctimoniæ pepercerit neque ab ecclesiâ Dei quæ illos honore debito veneratur, linguam abstinuerit. Sed ad rem; in 2 distinct. Top. cap. 26, hunc titulum præfigit, De miraculis, et primo de pomis et corvis et merulâ S. Kevini, quem Coemgenum multi vocant, (cujus est præclara mentio in vitâ S. Laurentii, archiepiscopi Dubliniensis in Iberniâ, apud Surium, tom. 6. ad 14 Novemb. et honorifici nominis et mirandorum ipsius actorum apud doctissimum Jacobum Gretserum in libris de benedictione et maledictione) et nobili confessore et abbate sancto Kevino* initium sumamus: "sanctus igitur Kevinus cùm apud Glindelachan vitâ et moribus et sanctitate claruisset, puer quidem nobilis, quem alumnum habuerit ægrotans fortè poma desiderabat. Cui, sancto compatiente, et orationem ad Dominum fundente, salix quædam non procul ab ecclesiâ poma protulit, tam puero quàm aliis ægrotantibus salutifera, et usque in hodiernum diem tam salix illa, quàm aliæ ex eâ circa cemiterium transplantatæ, more pomarii, salicis tamen aliàs per omnia tam foliis quàm frondibus naturâ permanente, singulis annis poma producunt†. Sunt autem hæc poma alba et oblonga, salubria magis quàm sapida, et in magnâ reverentiâ ab indigenis habita, quæ etiam ad remotas Iberniæ partes contra varios conducentia morbos a multis referuntur, et Kevini poma dicuntur. Die solemnitatis ejusdem sancti, corvi de Glandelacham, quia fortè lac alumni ipsius fuderant, per ejus imprecationem nec ad terram descendunt, nec cibum sumunt, sed circa villam et ecclesiam cum magno clamore volantes, eo die a requie

* Cujus festum diem in suo martyrol. ponit Petrus Canisius ad 3 Junii, ut et faciunt alii veteres in Germaniâ sanctilogiorum scriptores, inter quos fuit qui composuit martyrologium antiquum bibliothecæ Subensis in Bavariâ.

† Hoc ipsum de eodem sancto refertur in vitâ B. Laurentii Dubliniensis, cap. 6 et 16.

suspenduntur quàm a refectione. Idem S. Kevinus quadragesimali quodam tempore, hominum frequentiam ex consuetudine fugiens, in solitudine quâdam tugurio modico, quo a sole tantùm et pluvio defenderetur, soli contemplationi vacans, lectioni et orationi insistebat. Qui cùm manum more solito per fenestram ad cœlum elevaret, ei fortè merula insedit, et quasi nido fungens, ova posuit, quod prædictus sanctus tantâ mansuetudine et patientiâ compassus est, ut nec manum clauderet, nec retraheret, sed usque ad plenam pullorum exclusionem, eam infatiganter extenderet et aptaret. In hujus autem signi perpetuam memoriam, omnes imagines S. Kevini per Iberniam, in manu extensâ merulam habent." Compendium antiquissimum vitæ ipsius Coemgeni, penes me habeo descriptum ex vetusto codice membranaceo, quem reperi in bibliothecâ Biburgensis cœnobii in Bavariâ. Sed pergit Gyraldus Cambrensis recitare fragmentum vitæ alterius ex sanctis Iberniæ nomine Colomanus. Titulum præfigit istum: "De cercellis S. Colemani quasi mansuetis." "Est in Lageniâ* stagnum modicum, aves S. Colomani continens, anates scilicet minores, quæ vulgari vocabulo Cercellæ vocantur. Hæ a tempore sancti tam mansuetæ factæ sunt, ut de manibus cibos sumant, et usque hodiè hominum accessus aut turbas non reformidant. Sunt autem semper quasi conventum adimplentes circa tredecem numero, quoties verò vel ecclesiæ, vel clero, vel ipsis aviculis injuria fit, fortè vel aliqua molestia illata fuerit, statim evolantes in lacu quodam procul inde remoto se recipiunt, nec ad priorem locum redeunt, donec condigna fuerit satisfactio subsecuta. Interim verò, dum absentes fuerint, aquæ stagni illius, quæ limpidissimæ priùs et claræ fuerant, fœtidæ fiunt et corruptæ, et nec ad hominum, nec ad pecorum usus accedunt. Contigit aliquando quodam ibi et aquam, nocturno tempore, hauriente, unam aviculorum non spontè, sed casu simul hausisse. Et cùm carnes in aquâ illâ diu coquerentur, nec excoqui possent, tandem avis in ollâ supernatans inventa est prorsus illæsa, quæ cum ad stagnum relata fuisset, statim carnes exactæ sunt. Contigit etiam nostris temporibus Roberto, filio Stephani, (patruo Gyraldi) cum Dermicio, rege Lageniæ, per locum illum transeunte, (circa annum sal. 1170,) sagittarium quemdam, unam avium illarum sagittâ percussisse, quam cùm secum ad hospitium detulisset, et in ollâ quâdam cum carnibus coquendam imposuisset, trium ignium consumpta materia usque ad mediam noctem coquendo non profecit. Sed jam carnes tertiò extractæ, semper tamen non minùs crudæ repertæ sunt, quàm cùm fuerunt impositæ. Tandem verò cùm hospes inter frustra carnium, aviculam conspexisset, audiensque quod de stagno illo fuisset, statim cum lacrymis exclamavit: 'Me miserum, quòd unquam infortunium istud in domum meam incideret, et in eâ

* Una est ex quinque aut sex provinciis Iberniæ.

contingere debuit," de avibus enim S. Colemani una, hæc erat, et statim carnes per se impositæ, cæturam, quam amiserant, admiserunt. Sagittarius verò non multò post, rebus humanis miserabiliter exemptus est. Præterea accidit ut milvus, cum unâ avicularum istarum quam rapuerat, in arborem quamdam propinquam se recepisset, qui et a multis intuentibus, membris omnibus statim irriguit; nec prædam sub pedibus prædo respexit. Accidit etiam glaciali quodam in tempore vulpeculam, avium istarum unam rapuisse, quæ manè facto in tugurio, quodam lacui conjuncto, et S. Colemani conversatione olim venerabili, intra fauces aviculâ vitalem spiritum præcludente, bestia inventa est suffocata. Relatis igitur ad lacum avibus prorsus illæsis, optimi patroni beneficio prædâ indemni, mortis pœnas prædo persolvit uterque."

CAP. XXIII.

De aliis aliorum Iberniæ sanctorum mirandis a Gyraldo recensitis.

In eâdem secundâ distinct. cap. 30, ita infit de lapide vinum quotidiè miraculosè continenti: "In australi Momoniâ (una est ex provinciis Iberniæ) citra partes Corcagiæ (urbis) est insula quædam ecclesiam continens S. Michaelis, antiquæ nimis, et authenticæ religionis, ubi lapis quidam est extra ostium ecclesiæ a dextris, ipsi ferè cohærens ostio, in cujus superioris partis concavitate, quotidiè manè, per merita sanctorum illius loci, tantum vini reperitur, quantum ad missarum solemnia, juxta numerum sacerdotum, qui ibi eo die celebraturi sunt, convenienter sufficere possit. Simile huic miraculum refert S. Gregorius in dialogis de Martino, Campaniæ monacho, etc. Cap. 31, prosequitur Gyraldus aiens: "Est in Conaciâ (una ex multis Iberniæ provinciis) vicus quidam quem S. Nannani illustrat ecclesia, ubi ab antiquo tanta pulicum excreverat multitudo, ut eâ pestilentiâ locus ille ferè desertus, et habitatoribus vacuus extitisset, donec intercessione S. Nannani in pratum quoddam proximum sint deportati, ut nec unus postmodum hìc reperiri potuit. In tantum igitur meritis sancti istius locum illum vis divina inundavit; in prato verò tanta superabundat copia, ut non tantùm hominibus, verùm etiam bestiis maneat inaccessibile."

Et cap. 32: "Est in Lageniâ provincia quædam, quæ Fernigenam dicitur, quam a Guessefordiâ (urbe) solùm Slanensis aqua disterminat, unde mures majores quæ vulgariter ratti vocantur, per imprecationem Sancti Ivori episcopi, cujus fortè libros corroserant, prorsus expulsi, nec ibi postea nasci, nec vivere possunt invecti." Et cap. 33: "Est in Lageniâ, in terrâ scilicet Mactalewi, campana quædam, quæ nisi a custode suo, exorcismo quodam ad hoc composito singulis noctibus adjuretur, et vinculo quolibet vel fragili ligetur, manè in Mediâ (provinciæ nomen est) apud Glunarech, in ecclesiâ S. Finnani, unde venerat, reperitur, quod et aliquoties certum est contigisse." Et cap. 34, loquens de igne S.

Brigidæ inextinguibili, cinereque non excrescente: inquit, "Apud Kildariam, Lageniæ urbem, quam gloriosa Brigida reddit illustrem, (festum Brigidæ in Romano Martyrologio ponitur Kal. Febr.) digna memoratu sunt miracula multa. Inter quæ primùm occurrit ignis Brigidæ, quem inextinguibilem dicunt, non quod extingui non possit, sed quia tam sollicitè, tam accuratè moniales et sanctæ mulieres ignem, suppetente materiâ, fovent et nutriunt, ut a tempore virginis per tot annorum curricula (nimirum, per spatium 700 fere annorum antequam Gyraldus ista scriberet) semper mansit inextinctus, et cum tanta lignorum strues tanto in tempore sit hic consumpta, nunquam tamen cinis excrevit." Et alibi, "Cùmque tempore Brigidæ viginti moniales hìc (in cœnobio Kildarense) Domino militâssent, ipsâ vicesimâ existente post gloriosum ejus transitum, (qui contigit anno salutis 518 aut 521) tantùm undeviginti semper extiterunt et numerum non auxerunt. Cùm verò singulis noctibus singulæ per ordinem, ignem custodiant, nocte vicesimâ, monialis ultima, lignis appositis, inquit: 'Brigida, custodi ignem istum tuum, te enim nox ista contigit.' Et sic, igne relicto, manè materiâ more solito consumptâ, inextinctus reperitur." Et cap. 36, "Virgeo quodam et orbiculari sepe ignis iste circuitur, intra quem mas non ingreditur, et si fortè intrare præsumpserit (quod a temerariis quibusdam nonnunquam attentatum,) diutinam sive divinam ultionem non evadit."

"Item per imprecationem virginis, caprarum fœtus hìc non proveniunt. Sunt et hìc campestria plurima, quæ Brigidæ pascua vocantur, in quæ nullus aratrùm ausus est mittere, de quibus pro miraculo ducitur, quòd licèt totius provinciæ animalia solo tenus vesperi herbam corroserint, mane facto non minùs herbositas apparebit, tanquam de pascuis illis dictum fuerit;

> "Et quantum longis carpunt armenta diebus,
> Exigua tantum gelidus ros nocte reponit."

Et cap. 37, loquens de falcone Kildariæ, quasi domestico et mansueto, inquit: "A tempore Brigidæ falco quidam egregius locum istum frequentabat, qui ecclesiasticæ turris summitati insidere consueverat. Unde et a populo, avis Brigidæ vocabatur, et in veneratione quâdam a cunctis habetur. Hùc adnutum civium seu militum castrensium tanquam mansueta et ad hoc domestica avis, anates et alias aves tam campestres quàm fluviales circa planitiem Kildariæ cum intuentium non modicâ delectatione persequi solebat, et ad terram ab aere innatâ velocitate coercere. Mirum de hoc alite, quòd circa templum quod frequentabat parem non admittebat, sed amoris tempore procul inde secedens, et ad montana de Glindelachan ex consuetudine parem inveniens, naturæ indulgebat, quo completo iterum ad ecclesiam revertebatur; viris ecclesiasticis et tunc præcipuè cùm intra ecclesiarum sinus et septa divinis deputantur officiis, signum præferens

honestatis. In ipso discessu primo comitis domini Joannis, filii regis Henrici II. ab Ibernia,* avem quæ per tot duraverat secula (sex secula et octoginta circiter annos) et delectabiliter Brigidæ locum illustraverat, demum prædæ, quam cœperat, minùs cautè insidentem, et humanos accessus parum evitantem, baculo quem gestabat, rusticus quidam petat et occidit." Cap. 38 et 39 prolixè narrat Gyraldus curiosa et miranda de libro evangeliorum, quo utebatur Brigida, scripto, et miraculosis picturis, angelorum operâ, ornato, quæ nos hoc loco prætermittimus describere, quod illa jam retulerimus superiùs, cap. 12, ubi memoranda alia de Brigidâ, Columbâ, Patritio recensuimus.

* Quo appulerat anno salutis 1185; secundò autem appulerat cum immensâ classe anno salutis 1210.

CAP. XXIV.

De mirandis sanctorum aliorum Iberniæ refugiis, aliisque rebus memorandis a Gyraldo narratis.

"IN ulteriore," inquit, cap. 40, "Ultoniæ (provinciæ) parte, sunt montana quædam, in quibus grues, et grutæ, avesque variæ suo in tempore abundè nidificant, propter refugium et pacem non tantùm hominibus, verùm etiam pecoribus et avibus ab incolis ibidem exhibitam, ob reverentiam scilicet S. Beani,* cujus ecclesia locum illustrat. Sanctus iste miro et inaudito more non tantùm aves, sed et avium suarum ova tuetur. Si enim ut ova rapias, manum admoveas, videas protinùs pullos marcidos et rubros et tanquam eâdem horâ exclusos. Sin autem manum retrahas cum voluntate, videas iterum seù miraculosè sue phantasticè contra naturæ cursum, pullos in ova vel conversos vel reversos. Accedant duo, raptor et simul inspector, iste ova, ille pullos videbit. In australi Momoniâ, inter collem Brendani et mare spatiosum, quod Hispaniam interluit et Iberniam, est locus quidam non modicus, uno ex latere fluvio piscoso, altero verò, rivulo quodam inclusus, qui ob reverentiam S. Brendani,† aliorumque loci illius sanctorùm, non tantùm hominibus et pecoribus, verumetiam ipsis feris tam advenis qùam indigenis refugium præstat inauditum. Unde non tantùm cervi, sed et apri et lepores, aliæque feræ, cùm canes e vestigio sequentes nullatenus fugere posse se præsentiunt, a partibus procul inde remotis, ad locum istum quantociùs transferuntur. Qui si rivulum pertransierunt, canibus ibidem cursum sistentibus, nec ulteriùs insequentibus, ab omni statim periculo cauti sunt. Mira Dei virtus, quòd sanctorum meritis, nec natura vorax, nec venator instigans, et præda percurrens, prædones impios et pertinaces promptam transvehunt ad rapinam. In duobus refugiis istis (Beani et Brendani) ex longo pacis usu, quasi domesticæ, hominum frequentiam aves et feræ non refugiunt. Ex altero loci prædicti latere fluvius illabitur piscosissimus, et præcipuè salmonibus ad miraculum usque

* Quem Romana ecclesia in martyrol colit, ad 16 Decemb.

† Cujus nomen in Romanâ ecclesiâ illatum est in catalogo beatorum ad 16 Maii.

fœcundissimus. Hospitalitatis namque gratiâ, quum sancti ibidem viri pro viribus, imò longè supra vires in peregrinos, et advenas infatiganter exercere solebant: ad charitatis explendæ tam sufficientiam, quàm experientiam piscium indulta est tanta copia. Et ne avaritiæ stimulis, ut assolet, ad emolumentum mercimoniale cupidos mortalium animos ipsa provocaret abundantia, ad mannæ modum, remedium divinitùs est indultum, ut nunquam ultra primam capturæ noctem pisces utiliter reserventur. Quantumlibet enim sale conditi, putredini tamen semper obnoxii, insipidi manent et insulsi, nec arte quantâlibet in crastinum reservati, vel ad usum provenient, vel ad esum. Præterea fluvius iste, inquit, nativam quamdam rupem transfluit et transcurrit, nec nisi cum impetu magno, ab alto, ut assolet, ad ima descendit. In summitate rupis istius est quædam concavitas sanctorum virorum manibus olim exsculpta, ad quam salmones abundanti in copiâ ab imis ad summa quantum hastæ longissimæ est altitudo, saltu, mirabili transferuntur, et, nisi piscis proprietas hoc exigeret, miraculoso. Hoc enim piscium genus saltum appetit ex naturâ, unde a saltu salmo nomen accepit. Modus autem saliendi, ait, talis est; pisces hujusmodi naturaliter aquæ cursum contra nitentes (sicut enim avibus contra flatus, sic et piscibus contra fluctus eniti mos est) cùm obstaculum inveniunt valdé præruptum, caudam ad os replicant. Interdum etiam ad majorem saltûs efficaciam, ipso ore comprimit. Dumque a curriculo hujusmodi se subitò resolvunt, cum impetu quodam, tam subitâ virgæ circulatæ explicatione, se ab imis ad altacum intuentium admiratione, longè transmittunt. Similis hujus in Avenliffensi fluvio, non procul a Dubliniâ, (urbe metropoli Iberniæ) saltus reperitur, sed non tantus."

"Nunc ea quæ circa moderna," inquit Camber, cap. 44, "contigerunt tempora, explicemus. Dubliniæ in ecclesiâ S. Trinitatis est crux quædam virtuosissima vultum præferens crucifixi. Hæc non multis annis ante adventum Anglorum (anno sal. 1172 Henricus II. Iberniam invasit) pluribus audientibus, sacrum os in verba resolvit. Contigerat enim quemdam civium super contractu quodam eam solam testem et quasi sponsorem invocâsse. Processu verò temporis, eo cum quo contraxerat, penitùs pactum inficiante, et pecuniam quam ejus fidei crediderat, constanter abnegante, de censurâ civium, ironicâ magis tamen quàm seriâ, astantibus ad hoc in ecclesiâ prædictâ, multis audientibus, crux adjurata, et obtestata testimonium perhibuit veritati.

"Comite Richardo,* primò Dublinium cum exercitu veniente, cives," inquit Gyraldus, cap. 45, "mente malorum plærumque præsagâ, casum civitatis metuentes, et de defensione diffidentes, cum fugam navigio jam machinarentur, crucem illam secum ad insulas,†

* Strongbow, Anglo, invasore paulò ante Henricum appulsum.
† Hebrides aliasque vicinas Iberniæ in oceano boreali positas.

asportare volebant. Quod cùm omni conamine et diligentiâ effectui mancipare tentâssent, totius civitatis populus, nec vi nec ingenio eam a loco movere poterat. Captâ verò civitate, ait cap. 46, cùm sagittarius quidam inter alios denarium obtulisset," revertens, eumdem statim post se volantem a tergo suscepit, cui iterum eumdem resumenti, et ad crucem reportanti, videntibus et admirantibus multis, idem evenit. Tum verò coram omnibus confessus est, se domos archiepiscopi (S. Laurentii Dubliniensis, tunc viventis et præsentis) intra ecclesiæ illius septa eodem die spoliâsse. Et sic pœnitentiâ super hoc ei adjunctâ, redditisque universis quæ ei obvenerant, tertiò, denarium eumdem cum timore magno et reverentiâ ad crucem retulit, quæ et ibidem tunc demùm sine motu permansit. Item Reymundo comitis Richardi tunc eonstabulario, cùm juvenis quidam de familiâ suâ ferreas ocreas furto sustulisset, tota ejusdem familia in ecclesiâ S. Trinitatis super crucem præfatam se ab hoc facinore sacramento purgavit, nec multò post juvenis ille reversus ab Angliâ quò secesserat, nemine de ipso hoc suspicante, ad pedes Reymundi macilentus et miser se prostravit, de scelere perpetrato et satisfactionem offerrens et veniam quærens. Confessus est etiam palam, publicè, se tantam a cruce persecutionem perpessum esse, ut post perjurium semper ei in collo, gravi cum pondere jacuisse videretur, ita ut nec postmodum dormire, nec requiem ullam habere potuisset. His igitur aliisque virtutibus et signis variis in primo nostrorum adventu, crux ubique veneranda, se venerabilem hic exhibuit."

CAP. XXV.

Varia de variis memoranda et mirabilia sanctorum gesta persequitur Gyraldus, 2 distinct. cap. 47. usque ad 54.

De phrenetico apud Fernas, (oppidum Iberniæ) verbis de præterito futura prædicente, sic infit Cambrensis: "Tempore quo filii Maurici (fuit iste patruus nostri Cambri) castrum apud Fernas obtinuerunt, juvenis quidam de eorum familiâ, "phantasticus" agnomine vocatus, cum ecclesiam S. Maidoci spoliâsset, in phrenesin raptus statim insanivit, a nescio quo spiritu ductus, prophetare cœpit, et verbis de præterito futura prædicere. 'Video,' inquit, 'homines nostros interfectos (plures etiam ex nomine designans) et castellum omnino destructum, et jam non est hic.' Sic ergo quotidie cum magnâ cunctorum admiratione vociferabatur, nec cessavit donec, hostili invasione, cuncta in brevi sicut prædixerat sunt completa. Apud Kildariam sagittarius quidam, de familiâ Richardi comitis, sepem transiliens, ignem S. Brigidæ ore sufflavit;* qui statim resiliens, demens esse cœpit, et cuicumque obviabat, insufflans in ejus os, dicebat: Viden? sic ignem Brigidæ sufflavi.' Sic quoque per domos totius villæ discurrens, ubicumque ignem invenit, eadem verba ingeminans, eum exsufflavit. Tandem verò captus a sociis et ligatus, rogavit ut ad aquam proximam duceretur, ad quam ductus, ore desiccato tantum exhausit, quod inter eorum manus, medius crepuerit atque expiraverit. Alius verò, ut ad ignem intraret, cùm tibiam alteram trans sepem jam posuisset, et a sociis tamen retractus esset et retentus, pes ille cum crure statim exaruit, unde et postmodum, quamdiu vixit, claudus et imbecillis permansit.

Cùm apud Corcagiam, (urbem) miles quidam terram S. Finbarri, citra præsulis assensum, occupâsset, et aratam terram tritici semine jam perfunderet, accedens loci illius episcopus, ex parte Dei et sanctorum ecclesiæ suæ prohibuit, ne terram illam ampliùs vel violenter occuparet vel seminaret; quod cum miles prætermittere nulla-

* Dixerat Gyraldus cap. 36, piaculare fuisse si mas quispiam attentâsset intrare sepem, quæ cingebat sacrum S. Brigidæ ignem, et solis item feminis, hisque non oris flatu, sed follibus tantùm et ventilabris ignem licebat exsufflare: quæ secus fecissent, divinam ultionem experiebantur.

tenus voluisset, revertens episcopus, cum lacrymis, 'Deum,' inquit, 'oro omnipotentem, ut nunquam tibi ad messem semen proveniat.' Contigit autem eodem anno, in campis illis, toto civitatis populo vehementer admirante, non tantùm in spicam non prosiluisse, sed nec in herbam vel unum granum germinâsse. Anno vero sequente, aliis ibidem cum præsulis assensu siliginem seminantibus, frumentum purum et siligini penitus impermixtum, in autumno messuerunt, vel siliginis grano in tritici naturam miraculosè converso, vel potiùs prioris anni semine tunc non proveniente, usque in anni secundi messem, sancti viri meritis reservato.

"Cum apud Ardmacham B. Patritii sedem, et proprium totius Iberniæ primatiæ locum, Philippus Wigorniensis (Anglus prætor Iberniæ designatus ab Henrico II. invasore insulæ) quadragesimali tempore exercitum duxisset, et in diebus sacris a clero tributum non modicum extorsisset, revertens cum spoliis et auro, non procul ab inde subitâ passione percussus vix evasit. Hugo vero Tyrrellus (Anglus, et ex centurionibus Philippi unus) cacabum magnum, qui conventûs clericorum fuerat, cum totius cleri maledictione ad Luvedensem civitatem secum asportaverat. Sed eâdem nocte igne proprio ejusdem hospitio accenso, equi duo qui cacabum extraxerant, cum aliis rebus non paucis statim combusti sunt. Pars etiam villæ maxima, eâdem occasione igne est consumpta; quo viso, Hugo Tyrrellus, manè cacabum inveniens, prorsus illæsum, pœnitentiâ ductus, Ardmacham eum remisit. Episcopus verò Luvedensis tunc præsens existens, de eodem Hugone, multis de exercitu audientibus, dixit! 'Homo iste hoc anno magnum infortunium indubitanter incurret. Nunquam enim tot bonorum virorum lacrymæ, nunquam tot maledictiones sunt frustra prolatæ.' Quod et ei per discordiam inter ipsum et Hugonem de Lacy, (iste fuit prætor Iberniæ qui Philippo successit) suis instigantibus, exortam, (unde et regnum ferè totum turbari cœperat et perverti) anno nondum completo vidimus evenisse."

"Apud Ossyriam est molendinum S. Lucherini abbatis, quod diebus Dominicis nihil; de furto verò vel rapina nunquam molit. In Mediâ (provinciæ nomen est) apud Foveram, est molendinum, quod sanctus in latere cujusdam saxi miraculosè nimis, manibus suis exculpsit. Hoc sicut et ecclesia sancti istius mulieres non intrant, nec in minore reverentiâ molendinum istud ab indigenis quàm una ecclesiarum sancti ejusdem haberi solet. Contigit autem, Hugone de Lacy exercitum per locum illum ducente, sagittarium quemdam mulierculam violenter attractam in ipso molendino libidinosè violâsse, qui repentinâ ultione igne infernali in membro percussus, usque in ipsum corpus statim exarsit, et nocte eâdem expiravit. Iterum exercitu ibidem pernoctante, annonam quam ab ecclesiis et molendino passim rapuerant, Hugo de Lacy totam restitui fecit, præter pauculam de molendino surreptam, quam coram dex-

trariis suis (id est, equis electis et præstantibus) duo milites occultè reliquerant. Quorum unus in insaniam versus, eâdem nocte in stabulo confracto cerebro interiit. Alter verò manè (milite qui insidebat ei, alios qui annonam reddiderant, super fictâ religione irridente) subitâ et improvisâ morte juxta Hugonis latus, vidente et admirante majore exercitûs parte, obiter occubuit. Contigit verò temporibus nostris Jove præter solitum in Iberniâ tonante, et rege Henrico ibidem expeditionem agente, plurimas sagittariorum turmas in quodam archipræsulis Dubliniensis (S. Laurentii tunc inter mortales agentis) vico, cui nomen Fineglas aliquamdiu, fortè moram fecisse. Qui et statim in fraxinos et taxos, arboresque varias, quas nobilis abbas B. Kenacus, aliique viri sancti (quorum frequens religio locum illustraverat, propriis manibus quasi ad ornatum ecclesiæ) circa cœmiterium olim plantaverant, enormiter et irreverenter desævire cœperunt. Cùm enim sylva propinqua esset, non insolitâ, sed insolenti tamen populi pravi malitiâ, et hominum officii illius intemperantiâ, prædictas arbores quasdam frondibus mutilatas, alias verò stirpitus evulsas, omnes ferè in brevi, igne consumpserunt. Et verè officium illud ab officiendo semper potiùs officere parati sunt, quàm proficere. Sed incontinenti a Deo divinâ indignatione (quæ sibi vindictam reservari jubet, et sanctorum suorum injuriam vindicare dignatur et in terris) subitâ quâdam et singulari pestilentiâ percussi sunt, ut pars eorum maxima intra paucissimos dies eodem in vico miserabiliter expirâssent, districti judicis examine, ubi deliquerant, foro subjacentes. Pars vero residua, cùm navigio fugæ præsidium quæsisset et attentâsset, naufragio submersa. Eumdem in extremis tam terræ quàm maris Dominatorem invenit, cujus quidem a facie nec fugere quis potest nec effugere:

> "Quo fugis ergo manum regis, gens impia, regum?
> An nescis longas regibus esse manus?

Quia quo fugis ex illo qui claudit cuncta pugillo? sed inter mille modos mortis, mors illa timori est, quâ cœpere mori. Sic ergo veri summique Tonantis iram, quam pravitas in terris provocaverat, Neptunus in undis vindicavit."

CAP. XXVI.

Quàm parum piè sentiat, minùsque reverenter scribat Gyraldus de his ipsis quos antè laudaverat Iberniæ sanctis, aliisque quorum nomina suppressit. Quàm inconsideratè sugillet ecclesiam Dei, arreptâ ex eisdem Iberniæ sanctis ansâ illam carpendi. Quàm denique, occasione acceptâ ex historiis sanctorum eorumdem, acriter ac falsò invehatur in clerum et cæteram Iberniæ gentem.

Audisti, lector, Cambrensem cum laude recensentem nomina, resque gestas Ibernorum sanctorum Kevini, Colemanni, Nannani, Ivori, Finnani, Brigidæ, Beani, Brendani, Maidoci, Finbarri, Patritii, Lucherini, Fechini, Kenaci, et quorumdam aliorum. Vidisti quoties, quàm severè, citòque vindex Deus a temeratoribus sanctorum, vel violatoribus locorum, quæ illis sacrata erant, pœnas exegerit. Quotquot autem temerarii a Gyraldo recensiti fuerunt, constat omnes fuisse ipsius vel cognatos, vel cognatorum famulos, vel populares suos Brittannos, nam, ipso teste, fuerunt sagittarii, hoc est, milites qui arcu et sagittâ utebantur in turmis Brittannorum, qui Iberniam invaserunt. Vide verò ut Gyraldus confestim vela convertat, et occasione vindictæ sumptæ de suis popularibus temeratoribus sanctorum Iberniæ locorum, obloqui videatur. De eisdem sanctis, in hæc verba, quæ scribit 2 distinct.: "hoc autem mihi mirabile et notabile videtur, quòd sicut nationis hujus (Iberniæ) homines hâc in vitâ mortali præ aliis gentibus impatientes sint et præcipites ad vindictam,* sic et in morte vitali meritis jam excelsi, præ aliarum regionum sanctis, animi vindicis esse videntur." Undenam hoc tibi, O Camber, constet, divinare non possum, nisi quod tui populares (neque enim Iberni quod sciam, præter perpaucos) plurimi, qui præ aliis temeritatis suæ in illos, atque irreverentiæ pœnas acerbas persolverant. Quod verò sanctos nostrates "animi vindicis esse præ cæteris cœlitibus," affirmas, nisi nostrates, quos tu odisse videris,

* Quando sobrius eras et affectibus vacuus in tuo lib. 2. Itiner. Cambriæ, cap. 2. scribebas, "Natio Cambrica præ aliis gentibus præceps in iram et ad vindictam in vitâ prona reperitur." Et in descriptione tuæ patriæ, Cambriæ cap. 17, ais: genus super omnia diligunt, et damna sanguinis atque dedecoris acriter ulciscuntur. Vindicis enim animi sunt, et iræ cruentæ. Nec solùm novas et recentes injurias, verùm etiam veteres et antiquas, velut instantes vindicare parati.

fuissent, non effutiisses, quantùm arbitror, in illos aliosque beatos, verba vindicis animi, non ipsorum, sed tui, qui incautè, quæ blasphemiæ speciem præ se ferunt, scripsisti, ut alibi in 3. distinct. cap. 31. id ipsum verbis astruens, "ex vi quâdam occultâ iis (Iberniæ sanctis in cœlum translatis) quâ divinitus insitâ, necnon et vindictâ, cujus præcipuè sancti illi appetibiles esse videntur, plus punire contemptores et graviter animadverti transgressores." Neque his contentus, non minore incogitantiâ, etiam beatorum vocabulo ac dignitate illos spoliare conaris, dum in dubium vocas an revera sancti unquam fuerint, an tantùm fictitii et errore plebeio pro viris sanctis, cœlorumque indigenis, propositi populis ad cultum et venerationem. Quinetiam innuis, sanctam ecclesiam in terris militantem, quæ illos in honore habuit, nec secus quàm ignarum vulgus errore delusam. Verba tua describo, quæ inseris in 3. distinct. tuæ Topogr. cap. 31: "Mirum autem cùm omnino tam desides officii, tam subditorum salutis negligentes semper extiterint* quòd tot ex ipsis in terrâ pro sanctis habeantur et ab incolis tamquam sanctis, tam devotè venerantur et coluntur, unde unum duorum inevitabile est non evitari; aut enim ab hagiographis nostris tam circa pastoralis officii debita, quàm aliarum quarumlibet rerum instructionem multa ad terrorem constat esse emissa, aut potiùs ecclesia militans in multis decipitur, triumphans verò non irridetur, unde et nonnullas quos recepit hæc, despicit illa, quos prædicat hæc, abdicat illa, et e diverso. Illa quoque inter electos non immeritò multos honorat, quos ista tamen prorsus ignorat. Quidam enim intus esse videtur, qui foras missi sunt, et quidam foras missi, qui tamen intus existunt, quia plerumque, quod altum est hominibus, abominabile est apud Deum."

Nempe hoc unum restabat ad commendandum Gyraldi affectum in gentem sanctosque Iberniæ, ut maluerit credere ecclesiam errare in colendis illis tanquam sanctos, quàm ipsos esse verè sanctos credere. Nescio quod sit, si hoc non sit, videri velle se unum supra alios omnes, imò supra ecclesiam Dei sapere. Non mihi videntur satis nosse Gyraldum istum, qui ejus sive auctoritati, sive judicio, sive fidei (præsertim in scribendo adversus Ibernos quos oderat) multùm fidunt, ut faciunt non pauci ex recentoribus ejus lectoribus, qui nimis citò credunt et dissipant quæ didicerunt a deceptore magistro, cui jocus et ludus erat carpere ecclesiam, invidere sanctis, lacerare nomen innoxiæ gentis, quam oderat, eo quòd pro vitâ et patriâ et libertate sese opposuissent, malèque sæpiùs mulctâssent

* Sermonem multum et mendacem antè instituit Gyraldus, aiens nullum unquam in Iberniâ a temporibus S. Patritii per 700 ferè deinceps annos vel unicum extitisse in eâdem insulâ bonum præsulem, pastorem animarum, aut alium ullum hominem ex clero vel populo, qui pro Christo sanguinem fuderit, nunquam in Iberniâ fidem aut religionem christianam floruisse aut ferbuisse, gentem totam fuisse semper crudelissimam, sanguinis sitibundam, enormiter immanem atque perversam, etc.

multos ex popularibus, cognatis, et amicis ipsius, qui manu armatâ et jure prædonum invaserant Iberniam, ut superiùs a me satis fuit ostensum. Sed cordatis lectoribus, qui momentis æquis pensant Gyraldum, una cum suis tot fabellis, famosisque libellis, et illum conferunt, cum tot probæ notæ fidei, atque auctoritatis scriptoribus testibusque, quos adversus illum produximus, non illudet deinceps, parumque morabuntur agnoscere quàm abjectè senserit, scripserit, detraxerit de tantâ multitudine priscorum Iberniæ sanctorum, quam fide antiquâ ex veteribus monumentis Laurentius Surius, in vitâ S. Wironis, ad 8 Maii, et in vitâ S. Kiliani martyris, ad 8 Julii, et alibi, ait penè exæquâsse stellarum numerum, et Marianus Scotus, in Chronico, ad annum 674, dicens: "Ibernia Scotorum insula sanctis veris plena habetur," ex quibus in solum martyrologium Romanæ ecclesiæ, illati sunt nominatim triginta quatuor, in alia aliorum prisca, et sequioris ævi sanctilogia, præsertim Notkeri, Molani, Petri Canisii, Arnoldi Wion, supra ducenta aut trecenta eorumdem sanctorum Iberniæ nomina.

Claudam caput istud verbis Gyraldi, quem nescio panegyrim aut invectivam, vel novum ex utroque commixtum, adornârit in laudem simul et contumeliam cleri Iberniæ, de quo ista scribit in 3. distinct. cap. 27: "Est autem clerus terræ istius satis religione commendabilis, et inter varias quibus pollet virtutes, castitatis prærogativâ præeminet atque præcellet. Item psalmis et horis, lectioni et orationi vigilanter inserviunt, et intra ecclesiæ septa se continentes, a divinis quibus deputati sunt officiis non recedunt. Abstinentiæ quoque et parsimoniæ ciborum non mediocriter indulgent, ita ut pars maxima ferè quotidiè, donec cuncta diei horarum debita compleverint, usque ad crepusculum jejunent." Hactenus panegyrim, audiamus invectivam, per omnia ferè contrariam; nam ex variis exemplis ex ipso Gyraldo superiùs a me productis, parum sibi fuit curæ quàm constans esset in dictis, modò tandem malediceret de Ibernis aut aliis: "Sed utinam post longa jejunia, tam sobrii fuerint quàm seri, tam veri quàm severi, tam puri quàm duri, tam existentes quàm apparentes, inter tot millia vix unum invenies qui post jugem tam jejuniorum quàm orationum instantiam, vino variisque potionibus diurnos labores, enormiùs quàm deceret, noctû non redimat. Diem itaque naturalem tanquam ex æquo dividentes, lucidaque spiritui tempora, nocturna quoque carni dedicantes, sicut de luce lucis operibus indulgent, sic et in tenebris ad tenebrarum opera convertuntur. Unde et hoc pro miraculo duci potest, quod ubi vina dominantur, venus non regnat. Hoc enim difficile Hieronimo, difficiliùs Apostolo persuaderi potest. Quorum iste vino inebriari vetat, in quo est luxuria; ille verò ventrem mero æstuantem, facile spumare docet in libidinem. Sunt tamen nonnulli inter hos optimi, et sine fermento sincerissimi. Est

enim gens cunctis ferè in actibus immoderata, et in omnes affectus vehementissima. Unde sicut inter illos mali deterrimi sunt, et nusquam pejores, ita et bonis meliores non reperies. Sed inter avenas et lolium, triticum est rarum; multos nimirum vocatos invenies, paucos electos; grana rarissima, paleas multas." Hæc et his plura Gyraldus Cambrensis.

FINIS.

APPENDIX.

No. I.

Bulla Alexandri III. Papæ, ad Reges et Principes Hiberniæ destinata, qua monet eos, quatenus fidelitatem, quam Henrico II. Regi Angliæ, sub juramenti religione fecerunt, in eum debita subjectione firmam et inconcussam servare curent.—Lib. Nig. Scac. Westm.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, nobilibus viris, regibus, et principibus Hiberniæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Ubi communi famâ et certâ relatione, plurimum nobis innotuit, quod vos karissimum in Christi filium nostrum Henricum regem Angliæ illustrem, in vestrum regem et dominum suscepistis, et ei fidelitatem jurastis,* tanto ampliorem lætitiam in corde concepimus, quanto, per ejusdem regis potentiam, in terrâ vestrâ, cooperante Domino, major pax erit atque tranquillitas; et gens Hybernica, quæ, per enormitatem et spurcitiam vitiorum† adeo videbatur longiùs recessisse, divino cultui propensiùs informabitur, et meliùs christianæ fidei suscipiet disciplinam.

Unde super eo, quod tam potenti et magnifico regi, et tam devoto ecclesiæ filio, vos voluntate liberâ subdidistis;‡ providentiam vestram digna laudis commendatione prosequimur, cum exinde vobis, ecclesiæ, et toti populo illius terræ utilitas speretur non immodica proventura. Monemus itaque nobilitatem vestram, attentiu et mandamus, quatenus fidelitatem quam tanto regi sub juramenti religione fecistis ei cum debita subjectione firmam et inconcussam servare curetis; et ita vos sibi in humilitate et mansuetudine exhibeatis obnoxios et devotos, quòd ejus semper gratiam possitis uberiorem percipere, et nos inde prudentiam vestram dignè debeamus commendare.

Dat. Tuscul. xii. Kal. Octob.

* Moore's History of Ireland, ii. p. 249 et seq.

† See Dr. Lanigan, Eccl. Hist. iv. p. 223. According to Alexander III. the disorders of the English church were more flagrant, supra, p. 229.

‡ None of the Ulster princes, except O'Carroll of Orgiall, submitted to Henry II. The English maintained that the submission of the monarch Roderic involved that of all the other princes.—*Lanigan*, iv. p. 206; *Moore*, ii. p. 253.

No. II.

Bulla Alexandri III. Papæ, ad Christianum Lismorensem Episcopum, Apostolicæ Sedis Legatum, et ad Archiepiscopos Hiberniæ, de adsistendo Anglorum Regi Catholico et Principi Christianissimo.—Lib. Nig. Scac. Westm.

Alexander episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Christiano, Lismorensi episcopo, Apostolicæ sedis legato, et Gelasio Ardmachensi,* Donato Cassiliensi, Laurentio Dubliniensi, et Catholico Tuamensi, Archiepiscopis, et eorum suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem :

Quantis vitiorum enormitatibus gens Hibernica sit infecta, et quomodo, Dei timore et christianæ fidei religione postpositâ, ea sequatur quæ pericula pariunt animarum, ex vestrarum serie litterarum nobis innotuit, et aliorum etiam veridicâ relatione nihilominus ad notitiam apostolicæ sedis plerumque pervenit.

Inde est, utique quod nos, ex vestris litteris intelligentes, quod, per potentiam karissimi in Christo filii nostri Henrici, illustris Anglorum Regis, qui divinâ inspiratione compunctus,‡ coadunatis viribus suis, gentem illam barbaram, incultam, et divinæ legis ignaram, suo dominio subjugavit, ea quæ in terrâ vestrâ tam illicitè committuntur, cooperante Domino, incipiunt tam desistere,§ gaudio gavisi sumus,

* Primate Gelasius was not present at the Synod of Cashel, A.D. 1172, which drew up the report on which this bull is founded; but, according to Gyraldus, he waited on Henry II. in Dublin, after the synod; a circumstance not mentioned, however, in the very detailed native accounts of the primate's life.—*Lanigan*, vol. iv. p. 206.

† Hoveden and Gyraldus, contemporary authorities, state that letters were forwarded to the pope by the prelates assembled in the synod of Cashel. It does not appear from the pope's answers, nor from any contemporary, that the prelates solicited the pope to make Henry II. their Lord. They confined themselves to a simple statement of facts, namely, that the Irish princes generally had submitted to Henry; that certain disorders in morals and discipline were to be reformed in Ireland; and that some of those disorders were commencing to be reformed since the arrival of Henry. It is not likely that St. Lawrence O'Toole, who alone had organized a national combination against the invaders, (*Moore*, vol. ii. p. 239, would have petitioned for the extinction of the independence of his country. There are some grave mistakes regarding these letters in *Cambrensis Eversus*, p. 188, and *Lanigan*, vol. iv. p. 218.

‡ Henry had been absolved of the murder of St. Thomas of Canterbury some months before the date of this bull. The word "compunctus," with a few others in these letters, probably allude to the king's supposed contrition for the crime.

§ This change is thus expressed in some accounts of the synod of Cashel; "in de

et ei, qui jam dicto regi tantam victoriam contulit et triumphum,‡immensas gratiarum actiones exsolvimus; prece supplici postulantes, ut per vigilantiam et sollicitudinem ipsius Regis, vestro cooperante studio, gens illa indisciplinata et indomita cultum divinæ legis, et religionem christianæ fidei, per omnia et in omnibus imitetur, et vos ac cæteri ecclesiastici viri honore et tranquillitate debita gaudeatis.*

Quoniam igitur decet vos, ad ea persequenda, quæ tam pio sunt inchoata principio solicitam adhibere diligentiam et favorem, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus atque præcipimus, quatenus memorato Regi, sicut viro magnifico, et devotissimo ecclesiæ filio, ad manutenendam et conservandam terram illam, et ad extirpandam inde tantæ abominationis spurcitiam, quantum (salvo vestro ordine et officio) poteritis, diligenter et viriliter assistatis.

Et si quis regum, principum, vel aliorum hominum ipsius terræ, contra juramenti debitum, et fidelitatem prædicto regi exhibitam,† ausu temerario venire tentaverit, si, ad commonitionem vestram, celeriter, sicut debet, non resipuerit, eum auctoritate apostolica freti, omni occasione et excusatione postpositâ, censurâ ecclesiasticâ percellatis; ita mandatum nostrum diligenter et efficaciter executuri; ut sicut præfatus rex, tanquam catholicus et christianissimus princeps, nos, tam in decimis, quam in

suetudinem abiere," supra, p. 224, on which Dr. Lanigan comments with his usual vigour.—iv. p. 209. As Henry had been in Ireland some months at least before the convocation of the synod of Cashel, if he had suppressed some of the more tangible ecclesiastical abuses, that reformation might be appropriately described by the words "incipiunt jam desistere." The "reformation," whatever it was, was transitory.—*Lanigan*, iv. p. 218.

* The "tranquillity" subsequently enjoyed by the Irish clergy subject to the English, appears from the series of bulls in the Liber Munerum, vol. i. pt. iv. Very frequently they are remonstrances against the oppressive interference of government. A collection of those bulls, with appropriate historical notes, would throw great light on a portion of Irish history not much studied, but replete with practical instruction. The French editor of Hurter's "Innocent III." justly remarks: "L'Irlande etait dejà à cette epoque, quoique non au même degre que depuis la reforme, le pays des ilotes de l'Angleterre. Il y avait dejà entre autres une loi portant," quòd donatio per quemcumque Hibernicum facta non valeat, post rem quæ donatur, alicui Anglo rex Anglorum concedit, etiamsi tempore quo donatio per Hibernicum ipsa domui religiosæ confertur, is qui facit donationem in plenâ rei donatæ possessione fuisse noscatur et eam possederit de antiquo."—Innoc. Epis. viii. 74. La spoliation de l'Eglise de l'Irlande fut elle autre chose qu'une application constante de cette loi?

¶ Hence, Alexander, not like his predecessor Adrian, had to deal with that strong title to dominion which moderns call a "fait accompli." Henry had invaded Ireland with a powerful army, and received the homage of most of its princes; Alexander orders them to observe their oaths. Adrian's conduct is not defensible by any of these solid principles, which unprejudiced scholars now generally admit, to have made papal interference with the temporal sovereignties not only justifiable but indispensable for the good of Europe. According to Cardinal Pole, Adrian gave the grant of Ireland, because he loved England, or, as the Irish expressed it, "Anglicanâ affectione."—*Lanigan*, vol. iv. p. 160.

aliis ecclesiasticis justitiis* vobis restituendis, et in omnibus quæ ad ecclesiasticam pertinent libertatem,† piè ac benignè dicitur exaudisse, ita vos, si ea, quæ ad regiam respiciunt dignitatem, conservetis firmiter, et quantum in vobis est, faciatis ab aliis conservari.

Dat. Tusculan. xii. Kal. Octob.

* This change in ecclesiastical property, its amount and mode of tenure, is no doubt one of the newly established measures referred to above, p. 244, *note* §.

† The spirit of "ecclesiastical liberty" introduced into Ireland by the invaders was that which dictated the constitutions of Clarendon, and which was expressed in England by the popular "old say," "cardinal never brought good to England." But that insular and erastian prejudice never became a general, much less a national, feeling among the people of Ireland, however strong the reasons they had to condemn Adrian's bull.

No. III.

Bulla Alexandri III. Papæ, ad Henricum II. Anglorum regem, qua monet ut gentem Hybernorum, plurimis spurcitiis atque abominationibus contaminatam, ad cultum Christianæ fidei per potentiam suam revocet et conservet.—Lib. Nig. Scac. Westm.

Alexander Episcopus, servus servorum Dei, karissimo in Christo filio, Henrico, illustri Anglorum regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Celebri fama et veridica relatione plurimum, non sine multâ mentis alacritate comperimus, quomodo, sicut pius rex et magnificus princeps, de gente illâ Hybernicâ, quæ, divino timore postposito, tanquam effrenis passim per abrupta deviat vitiorum, et christianæ fidei* religionem abjicit et virtutis, et se interimit mutuâ cæde,† et de regno illo, quod Romani principes, orbis triumphatores, suis temporibus inaccessum, sicut accepimus, reliquerunt, faciente Domino, cujus intuitu, sicut indubitanter credimus, adversus ipsam gentem, incultam et indisciplinatam, potentiam tuæ serenitatis extenderas, mirabiliter et magnifice triumphâsti.

* It is manifest from those letters that the pope saw nothing to condemn, either in the creed of the Irish church or the form of her government, though some modern writers descant very profoundly on the introduction of the Roman Catholic church into Ireland by the English. The only Irish irregularities were in subordinate matters of discipline.

† Down to the death of Malachy II. in 1022, the average of Irish war and massacre was not greater than in most European states during the same period. But after his death, the regular succession of the Hy Nialls having been broken by the usurpation of Brian Boroihme, the island was torn, during seventy-two years, by factions of rival claimants to the throne. All contemporary authorities agree that during that period there was no king of Ireland, nor generally recognised authority. But from the year 1094, the primates Domnhall, Celsus, Malachy, &c. were for Ireland what Gregory VII. was for Europe. The first made peace in 1094, 1099, 1092, 1104; the second in 1107, 1109, 1113, 1126, &c.—(*Annals of Ulster*) and the same vigorous policy was followed up by their successors, not without a promise of permanent reformation, until the English invasion replunged the country into the anarchy of the seventy-two years interregnum. The state of Ireland, after the invasion, is thus described by a writer in the Quarterly Review: "In the petty marauding vexatious scenes of burnings and massacres, and plunderings and perjuries, which constitute the wars of Ireland from the beginning of the English invasion to the final subjugation of the whole island, there is scarcely a single feature which can interest or attract. The whole scene is dark and dismal."—(*September*, 1845, p. 355.) Yet there is one singular "feature" in those wars—their duration. Few wars of subjugation last four hundred years.

Nam, ut alias enormitates et vitia, quibus eadem gens, omissâ religione christianæ fidei, satis irreventer deservit, præsentialiter omittamus; sicut venerabiles fratres nostri, Christianus Lismorensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, archiepiscopi et episcopi terræ, suis nobis litteris intimarunt;* et dilectus filius noster Radulphus, Landavensis archidiaconus,† vir prudens et discretus, et regiæ magnitudini vinculo præcipuè devotionis astrictus, qui hæc oculatâ fide perspexit, vivâ nobis voce, tam sollicitè quàm prudenter, exposuit, prædicta gens sic forte pleniùs ad notitiam regiæ serenitatis pervenit, novercas suas publicæ introducunt, et ex eis non erubescunt filios procreare; frater uxore fratris, eo vivente, abutitur; unus duabus se sororibus concubinis immiscet; et plerique, illorum matre relictâ, filias introducunt;‡ et omnes passim in quadragesimâ vescuntur carnibus,§ nec solvunt decimas, nec sacras Dei ecclesias et personas ecclesiasticas, prout debent, aliquatenus reverentur.‖

Unde quia, sicut, eisdem archiepiscopis et episcopis significantibus, et præfato archidiacono pleniùs et expressiùs nobis referente, comperimus, coadunato magnifico tuo navali et terrestri exercitu, ad subjugandam dominio tuo gentem illam, et ad extirpandam tantæ abominationis spurcitiam, divina inspirante clementia, tuum animum erexisti, gratum, sicut debemus, gerimus omnimodis et acceptum; et exinde ei, a quo omne bonum procedit, et qui pios suorum fidelium actus et voluntates in suo beneplacito salutis disponit, devotas gratiarum referimus actiones, omnipotentem Deum votivis precibus orantes, ut sicut, per potentiam tuæ magnitudinis, ea quæ tam illicitè in scriptâ terrâ fiunt, incipiunt jam desistere,¶ et pro vitiis virtu-

* See note † p. 244, supra.

† Ralph of Landaff might have found in Wales, to exercise his zeal, far more flagrant abuses than those exposed in the council of Cashel, if we can believe Giraldus Cambrensis.—*Cambrensis Eversus*, vol. i. p. 347. Dublin, 1848.

‡ The reader may consult Dr. Lanigan's History of Ireland, vol. iv. p. 206, for observations on the discipline of the Irish church regarding marriage, and explanations of some of the charges mentioned here.

§ For an explanation of this charge, see Cambrensis Eversus, p. 342; Lanigan, vol. iv. p. 342. Fasting was one of the characteristic virtues of the Irish. It was not till the close of the seventeenth century that the relaxations, long before established in other Catholic countries, were introduced into Ireland. In 1671, the pope, at the request of the Irish prelates, permitted the use of flesh meat on Wednesdays, and of eggs on Fridays, which had hitherto been unlawful. This indulgence was regarded by the mass of the Irish as uncalled for and dangerous; and for more than fifty years many adhered to the old practice.—*Ogygia*, p. 320. The same feelings and practice, but not so general, have been witnessed by the present generation, on the abrogation of the law of abstinence for Saturdays.

‖ Giraldus reproached the Irish, that they had no martyrs, to which Maurice of Cashel replied, "It is true that although our nation may appear barbarous, uncultivated, and rude, yet they were always wont to pay great honor and reverence to churchmen, and not to stretch their hands on any occasion against the saints of God. But now a people is come into this kingdom, which knows how and is accustomed to make martyrs. Henceforth Ireland shall, like other countries, have martyrs."—*Top. Hist. Dict.* 3. c. 28.

¶ See note §, p. 244, supra

tum germina pullulare, ita etiam, cooperante Domino, per te prædicta gens, ad tuæ sempiternæ gloriæ coronam immarcessibilem, et suæ salutis profectum, abjectâ spurcitiâ peccatorum, omnimodam christianæ religionis suscipiat disciplinam.

Rogamus itaque regiam excellentiam, monemus et exhortamur in Domino, atque in remissionem tibi peccatorum injungimus, quatenus in eo quod laudabiliter incipisti, tuum propensiùs animum robores atque confortes, et gentem illam ad cultum christianæ fidei per potentiam tuam revoces et conserves; ut sicut, pro tuorum veniâ peccatorum, adversus eam tantum laborem, ut credimus, assumpsisti, ita etiam de suæ salutis profectu, coronam merearis suscipere sempiternam.

Et quia, sicut tuæ magnitudinis excellentia, Romana ecclesia aliud jus habeat in insula quam in terra magna et continua, nos eam de tuæ devotionis fervore opem fiduciamque tenentes, quod jura ipsius ecclesiæ non solùm conservare velis, sed etiam ampliare. Et ubi nullum jus habeat, id debes sibi conferre, magnificentiam tuam rogamus, et sollicitè commonemus, ut in præscriptâ terrâ jura beati Petri nobis studeas sollicite conservare; et si etiam ibi non habet, tua magnitudo eidem ecclesiæ eadem jura constituat et assignet: ita quod exinde regiæ celsitudini gratias debeamus exsolvere copiosas, et tu primitias tuæ gloriæ et triumphi Deo videaris offerre.*

Dat. Tuscul. xii. Kal. Octob.

* These three letters are not noticed by Lynch, M'Geoghegan, Lanigan, or any Irish historian. They are copied from the Liber Munerum, vol. 1, part iv. Dr. Lingard assigns them to the year 1172. "What is extraordinary," says Edmund Burke, "is, that for a very long time, even quite down to the Reformation, and in their most solemn acts, the kings of England founded their title wholly on this grant (of Adrian); they called for obedience from the people of Ireland not on principles of subjection, but as vassals and mean lords between them and the popes; and they omitted no measure of force or policy to establish that papal authority * * * * When by every expedient of force and policy, by a war of some centuries, by extirpating a number of the old, and by bringing in a number of new people full of those opinions, they had fully compassed their object, they suddenly took another turn, commenced an opposite persecution, made heavy laws, carried on mighty wars, inflicted and suffered the worst evils, extirpated the mass of the old, brought in new inhabitants, and they continue at this day an oppressive system, and may for four hundred years to come, to eradicate opinions, which, by the same violent means, they had been four hundred years endeavouring to establish." —*Tracts on the Popery Laws.*

No. IV.

Commonitio ad Edvardum II. Regem Angliæ, ut corrigat gravamina populis Hyberniæ illata, contra formam concessionis habitæ a sede Apostolica.—A. D. 1318, *cir.*

Joannes episcopus, servus servorum Dei, christianissimo filio Edvardo regi Angliæ illustri, salutem et apostolicam benedictionem.

Paternum amorem ad tuæ celsitudinis incrementa, fili charissime, gerimus, dum de te ad ea, quæ justo placent judici, tui regni, terrarum, et subditorum suorum sint opportuna quieti, ac famæ tuæ pariter et honori prospiciant, solicitis hortationibus invitamus. Propter quod in iis persuasiones nostras devota debes mente suscipere, et ad executionem illarum te paratum et flexibilem exhibere. Ecce, fili, quasdam recepimus litteras directas pridem per Hybernicos magnates et populum, dilectis filiis nostris Anselmo, tit. S. S. Marcellini et Petri presbitero, et Lucæ, S. Mariæ in via lata diacono, cardinalibus, apostolicæ sedis nuntiis, et per eos nobis suis interclusas litteris destinatas; in quarum serie inter cætera videmus contineri, quod cùm felicis recordationis Adrianus predecessor noster, sub certis modo et formâ distinctis apertiùs in apostolicis litteris inde factis, claræ memoriæ Henrico Regi Angliæ, progenitori tuo, dominium Hyberniæ concessisset, ipse Rex ac successores ipsius Reges Angliæ, usque ad hæc tempora modum et formam hujusmodi non servantes, quinimo eos transgredientes indebitè, afflictionibus et gravaminibus inauditis importabilium servitutum ipsos diutius oppresserunt. Nec fuit hactenus qui revocaret illata gravamina, aut errata corrigeret: non fuit quem pia compassio super eorum contritione moveret, quamvis super his ad te recursus habitus fuerit, et clamor validus oppressorum aures tuas quandoque pulsarit. Unde talia ferre nequeuntes ulterius, coacti sunt se a dominio tuo subducere, et alium in suum regimen advocare. Hæc, dilectissime fili, si veritati nitantur, tanto nimirum infestiora nostris accedunt affectibus, quanto desideramus intentiùs ut ibi prosperè cuncta cedant. Circa illa versari sedulo debes, ea que promptis effectibus exequi, quæ tuo sint placita Creatori, et ab omnibus obstinere sollicitè, per quæ contra te debeat provocari Deus ipse, ac Dominus ultionum, qui gemitus afflictorum injustè, minimè despicit, et qui propter injustitias peculiare suum dejicisse describitur populum et translationem fecisse regnorum. Quanto etiam desiderabilius, his præsertim impacatis temporibus, cupimus te illis libenter intendere, per quæ tuorum corda fidelium ad tuam benevolentiam et obedientiam debeant allici, et illa prorsus vitare quibus valeant a tuæ cultu devotionis avelli.

Quia utique, fili, tua non modicum interest, hujus novæ mutationis vitare dispendium, quamplurimum expedit, ut hæc non negligantur turbationis initia: ne illis periculosè crescentibus serò medicinæ remedia præparentur. Excellentiam regiam sollicitamus attentè, præsentibus sane nihilominus suadentes, quatenus hæc

prudenti meditatione considerans, et cum tuo discreto concilio conferens super illis, circa præmissorum gravaminum correctionem, ac reformationem debitam et festinam, viis et modis decentibus, sic sufficienter provideri mandes et facias, sic discriminosis principiis in hâc parte obstare procures, quòd et illi per quem regnas placere valeas, et te in iis efficaciter implente quod debes, cujusvis adversum te justæ querelæ materia conquiescat, per quod iidem Hybernici saniori ducti consilio, tibi, ut Domino, pareant, aut si, quod absit, in cœptâ rebellione manere voluerint, causam suam in apertam injustitiam, te apud Deum et homines excusato, convertant. Ut autem de prædictis gravaminibus et quærelis, quibus prædicti innituntur Hybernici, tuis sensibus innotescant ad plenum, præscriptas litteras missas cardinalibus antedictis, cum formâ litterarum quas prædictus Adrianus, prædecessor noster, eidem Henrico Regi Angliæ de terrâ Hyberniæ concessit, tuæ magnitudini mittimus inclusas.*—*Magnum Bullarium. Luxemburgi*, 1727, *vol.* 1, *p*. 197.

* In 1323, a few years after the date of this bull, the king resolved to redress Irish grievances, and in the following year sent the bishop of Cork to consult on the subject with the Pope. The object of the first and principal article of reform is manifest from analogous rules enforced in modern British possessions: "Premierement, que la justice d'Irlaund, ne nul autre nostre ministre en cette terre, tant come ils sont en nos offices illoeques, ne purchasent terre, ne tenement, dedens les listes ou boundes de lour baillies saunz nostre congie especial, &c."—*Liber Munerum*, vol. 1, part iv. p. 9, 15. But this, like many other just and politic measures, projected at different times by the executive, was defeated by the landed oligarchy, the real sovereigns of the country.

INDEX NOMINUM ET LOCORUM.

LL